SC.19.Pl.5.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO
37
29 C
22
MAG 2154

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI XAVERII
ALEGRII
PRESBYTERI VERACRUCENSIS
INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM
LIBRI XVIII.

In quibus omnia Catholicæ Ecclesiæ Dogmata, Præcepta, Mysteria, Sacramenta, Ritus adversus Paganos, Hæreticos, et Recentiores Philosophos asseruntur, et explicantur.

TOMUS SEPTIMUS.

COMPLECTENS DUOS SEQUENTES LIBROS.

XVII. De Ecclesiæ Præceptis. || XVIII. De futuro Piorum & Impiorum statu.

Et Indicem quæstionum, ac rerum notabilium, quæ in prædictis hujus operis libris continentur.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA



VENETIIS,

TYPIS ANTONII ZATTÆ, ET FILIORUM.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

M. DCC. XCI.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER DECIMUM SEPTIMUS.

De Ecclesia Præceptis.

P R Æ F A T I O.

HOminem natura perfectum, Gratia, virtutibusque, ac donis supernaturalibus ornatum, legibus eruditum, post lapsum reformatum, & in Ecclesiam adoptatum, cœlestibus mysteriis instructum, Sacramentisque munitum quum exhibuerimus præcedentibus libris, reliquum est, ut Ecclesiæ Matris oeconomicis, ac veluti domesticis præceptis eruditum etiam ostendamus. Ecclesiæ autem legislativam potestatem alibi asseruimus. (*lib.* 11. *prop.* 9.) Sunt autem Ecclesiæ præcepta universim Christianis imposita quinque. Primum est, quo diebus festis Missæ sacrificio interesse jubemur.

P R O P O S I T I O I.

Primi hujus præcepti antiquitas, sanctitasque adstruitur.

1. JUre enim naturæ homo inducitur ad Religionem. Ad Religionem autem pertinet cultum Deo exhibere. (2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *per totum*.) Sicut autem in Scriptura divina traditur cultus interior sub aliquibus corporalium similitudinibus, ita cultus exterior Deo debetur per aliqua sensibilia signa. Et quia ad interiorem cultum, qui in devotione, atque oratione consistit, magis inducitur homo ex instinctu Spiritus Sancti, præceptum de externo cultu dandum fuit secundum aliquod sensibile signum... Externi autem actus hominis determinantur per locum, & tempus: ergo sicut, ratione ducente, inducti sunt homines, ut loca aliqua in Dei cultum consecrarent, ita eadem duce inducti sunt, ut tempora aliqua divino cultui deputarent.... Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, ut cuilibet rei necessariæ tempus aliquod deputet, sicut corporali refectioni, somno, & aliis hujusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, qua mens in Deo reficitur, secundum dictamen rationis aliquod tempus deputandum est, & sic habere aliquod tempus deputatum

non est ita arcta prohibitio operandi in festis Christianis, sicut olim in Sabbatho. Sed quædam opera conceduntur in nostris festis, quæ in die Sabbathi prohibebantur Judæis, ut decoctio ciborum, & alia hujusmodi. Et etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in nova, quam in veteri lege, quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico oportet præterire. Opera autem secundum se considerata possunt immutari pro loco, & tempore. Quum autem cessatio a servilibus sit medium quoddam necessarium ad sanctificationem diei festi, manifestum est, sanctificationem potiorem esse, & magis attendendam, ceu finem, quam cessationem a servilibus. Unde in hanc potissimum intenti homines, augustiora sacrificia, atque alios particulares colendi Dei ritus pro diebus festis sanctificandis instituerunt præter communia tempora. Quod non solum in Lege veteri Judæorum, sed etiam in profanis legibus Paganorum cernitur, ut apud Ægyptios, Assyrios, Græcos, Romanos. Igitur quum observatio dierum festorum ad Religionem pertineat, maximus autem, & perfectissimus actus Religionis externus sit sacrificium, quo Dei summam Excellentiam Omnipotentiam, Sapientiam, Providentiam, Beneficentiam protestamur, congruentissimum est, ut hoc nobilissimo cultus ritu Deum colamus in diebus festis. In Evangelica autem lege unum est dumtaxat, & æque solenne, atque augustum semper Missæ sacrificium; quod veterum hostiarum omnes differentias complectitur, ut alibi statutum: (*lib.* 14. *prop.* 1.) ergo hujusmodi sacrificio festa nostra sanctificare jure optimo sancitum est.

2. Præterea. Sanctificatio dierum festorum, sicut & omnes reliquæ actiones externi cultus non alium in finem instituta est, nisi ut in ipsis nosmetipsos sanctificemus. (1. *Thess. cap.* 4.) Hæc enim est voluntas Dei sanctificatio vestra. Nihil autem ad nostram sanctificationem utilius, & opportunius, quam Sacrificium Missæ, sive oblatio Corporis, & Sanguinis Christi. Est enim Sacrificium simul Lautreticum; per quod Deo debitam servitutem protestamur. Est sacrificium Impetratorium, per quod auxilium nobis necessarium impetramus. Est Propitiatorium, & Expiatorium, per quod peccatorum veniam obtinemus. Est Eucharisticum, per quod pro acceptis omnibus beneficiis gratiam rependimus, ut supra probatum manet: (*lib.* 14. *prop.* 5.) æquum est igitur, ut in diebus ad nostram santificationem destinatis huic potissimum Sacrificio vacemus.

SCHO-

SCHOLION.

3. Sunt autem Ecclesiasticorum festorum duo genera. Alia enim sunt mobilia; quæ non stato mensis die quotannis recurrunt: alia immobilia, quæ determinatum, fixumque mensis diem habent. Primi generis est Dies Dominica.

PROPOSITIO II.

Dominicæ diei observatio antiquissima est, & Catholica.

1. Dicta est autem Dominica, quasi dies Domini. Dominus autem dicitur Deus, non ratione alicujus beneficii particularis, sed ratione Excellentiæ suæ, & infinitæ perfectionis, quam habet ex natura unius, atque individuæ Trinitatis. Primitivi enim Christiani in Spiritu, & Veritate Deum adorantes, sicut locum orationi, ac divino cultui deputatum, quod nunc Templum, aut Ecclesiam dicimus, Dominicum simpliciter appellabant, id est, Ædem Domini, ita & diem divinis obsequiis deputatam, Dominicam nuncupabant. Dominica ergo dies Domino, ut Domino simpliciter, id est, ratione Divinitatis, & summæ suæ Excellentiæ consecratur. Divinitas autem in unà, atque individua personarum Trinitate adoratur, & colitur. Dominica ergo dies Sanctæ Trinitatis cultui est singulariter deputata: In hujus rei signum, quondam in cunctis Dominicis Symbolum, quod S. Athanasii dicitur, canebatur, & in Responsorio secundo tertii Nocturni Trisagium Isaiæ dicebatur: Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus &c. In hujus etiam rei vestigium novissime statutum est ab Clem. XIII. ut in singulis Dominicis Præfatio dicatur de Sancta Trinitatæ, quod alibi (*lib.* 8. *prop.* 4.) admonuimus. Et hoc quidem meritissimo. Festa enim ab hominibus ininstitui consueverunt in signum, & commemorationem gratam beneficii alicujus notabilis, quod ope superni Numinis accepissent, (*Jacob* 1.) a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum; sed prima dies Hebdomadæ, quam nos dicimus Dominicam, insignita est Divinarum in nos Personarum beneficiis, quibus majora, aut præstantiora excogitari non possunt. In ipsa enim mundus incepit, cujus creatio singulariter tribuitur Patri. In ipsa opus Redemptionis consummatum per Christi Resurrectionem, quæ est opus singulare filii Dei. In ipsa nova lex promulgata, & sanctificatus mundus per effusionem Spiritus Dei, quæ est opus singulare Spiritus Sancti: merito ergo prima dies Hebdomadæ, in qua singulæ personæ, & tota in-

indivisim Trinitas hæc humano generi beneficia contulerunt, in ejusdem unius, ac Trini Dei cultum, atque adorationem est consecrata. Accedunt & aliæ hujus diei prærogativæ non vulgares, quas Aug. commemorat serm. 251. de tempore dicens: Ipse dies Dominicus fuit primus dies sæculi: in ipso formata sunt elementa mundi: in ipso creati sunt Angeli: in ipso quoque resurrexit a mortuis Christus: in ipso descendit de cœlis in Apostolos Spiritus Sanctus: in Solitudine, misso cœlitus Manna, Deus veterem populum Hebræorum liberaliter, ac magnifice pavit. Et serm. 54. Venerabilis hæc est dies, qui & Dominicus dies, & dies primus, atque perfectus, dies clarus, in quo prima lux visa est: in quo transgressi sunt filii Israel siccis pedibus mare rubrum: in quo pluit Manna in deserto: quo Dominus baptizatus est in Jordane, quo vinum ex aqua factum est in Cana Galileæ, quo de quinque panibus satiabit quinque millia hominum: in quo resurrexit Dominus: in quo ad discipulos januis clausis intravit: in quo Spiritus Sanctus in Apostolos descendit: in quo speramus Dominum ad judicandum venturum.... Diei ergo Dominici, quod habetur in 6. Synod. cap. 8. quia in eo Deus lucem condidit, quia in eo Manna de cœlo pluit, in eo nasci dignatus est Dominus, in eo baptismum suscepit, in eo a mortuis resurrexit, in eo Spiritum Sanctum super discipulos effudit, tanta debet esse observantia, ut præter Orationem, & Missarum solennia, atque ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Similia habet Leo Papa in ep. ad Dioscorum, Beda cap. 1. de Off. Eccles. & alii passim.

COROLLARIUM I.

2. Igitur Sabbathismus, sive observatio Sabbathi jam cessavit. Erat enim mere figuralis, & cæremonialis, ut, nimirum, per cessationem Dei ab omni opere creationis, reminisceretur populus illius quietis, quam per Josue Deus daturus erat populo Hebræorum in terra promissa, & quam per JESUM Christum daturus erat fideli populo in vita beata. Igitur relinquebatur Sabbathismus populo Dei, ut est ad Hebræos 4. Sed ab hac spe quietis futuræ, seu promisso Sabbathismo exciderunt per incredulitatem in deserto illi, quibus propterea juratum est in ira Dei si introibunt in requiem meam. (*Ps.* 94.) Deinde exciderunt etiam illi, qui Christum JESUM negaverunt, & petierunt virum homicidam donari sibi. Ergo sublato Sabbathismo, reliquus erat populo Christiano verus Sabbathismus in æterna quietis possessione, ad quam introivit per Resurrectionem JESU Christi ex mortuis, quæ quum contigerit in die Dominica, ideo hæc dies præ an-

antiquo Sabbatho ad cultum Domini est deputata, qua Christiano populo Sabbathismus non solum figuratus, & promissus est, ac sperari jussus, sed in Christo capite, & in eis, quos ipse in cœlum detulit, dormientium primitiis in possessionem est traditus.

3. Deputata est autem hæc dies non post aliqua tempora, sed ab ipsius Ecclesiæ exordio. Siquidem jam hujus institutionis mentio habetur in Joann. Apocalypsi cap. 1. ibi: Et fui in Spiritu in Dominica die, hoc nomine eam intelligens, quæ in aliis novi Testamenti libris una Sabbathi, aut prima Sabbathi, aut una Sabbathorum, id est, prima dies Hebdomadæ appellatur. Hinc autem efficitur.

COROLLARIUM II.

4. Dominicæ diei observationem Catholicam esse, id est, universæ Ecclesiæ ab Apostolis traditam. Juxta Vulgatam enim Augustini regulam: (4. *de Bapt. cap.* 24.) Quidquid in tota Ecclesia Christiana receptum invenitur, nec habetur in Concilio aliquo Oecumenico statutum, aut alicujus Pontificis decreto observari jussum, id datur intelligi ex Apostolorum institutione descendere; Dominicæ autem diei observatio talis est, cujus institutionis primæ nullum exstat in Ecclesia monumentum, & aliunde ab antiquissimis temporibus cultam esse constat ex antiquis Patribus Ignatio M. ad Magnesianos, Justino M. in 2. Apolog. Origen. hom. 7. in Exod. Tertulliano in lib. de Coron. ergo. Confirmatur ex Irenæo in lib. de Pasch. asserente, Christianos orantes in Dominica genua non flectere ex Apostolica traditione apud Justinum, seu quis est author qq. ad Orthodoxos q. 115. Item testimonio August. ajentis: Dominicum diem Apostoli, & Apostolici viri ideo religiosa solenitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit serm. 151. de Temp. Et item: Talibus indiciis Dominica dies exstat insignis, & ideo Sancti Ecclesiæ Doctores decreverunt, omnem Judaici Sabbathi gloriam in illam transferre, ut quod ipsi in figura, nos in veritate celebremus &c. His vero accesserunt postea Canonici, & Civilis Juris Constitut. cap. Pronuntiandum, cap. Sabbatho de Consecr. dist. 3. cap. Omnes de feriis, leg. Omnes. C. eod. Sic enim omnia jura componimus Christiani, naturale quidem, quatenus tempus aliquod divino cultui destinamus; Divinum, quatenus, ut dicitur in cap. Licet de Fer. septimam quamque diem Deo tribuimus, quam tam veteris, quam novi Testamenti pagina ad humanam quietem specialiter deputavit. Cum hoc tamen discrimine, quod nos primam hebdomadæ diem, Judæi ultimam celebrabant. Componimus item Jus Apostolicum, quum præ Sabbatho Do-

Dominicam diem majoribus, & clarioribus mysteriorum Sacramentis insignitam, ac decoratam observamus.

5. Observamus autem more, & instituto majorum. Scribit enim Justinus M. apolog. 2. consuevisse veteres Christianos eo die ad lectionem Scripturarum, earumque explicationem convenire, ad concionem ad rem divinam audiendam, ad hymnos, ac divinas laudes canendas, ubi peracto Sacrificio, Eucharistiam percipiebant. Semper item more, & instituto majorum feriati sunt Christiani ab operibus, non solum servilibus, sed etiam judicialibus, & forensibus, quod & Civilia jura præscribunt. Prohibitum item semper fuit in die Dominica jejunium ex can. 64. Apostolor. de quo Patres passim. Item orantes genua non flectebant, quod ex Justino, Irenæo, Hilario, & Augustino liquet, & usque ad Alex. III. tempora viguisse videtur, saltem a Pascha ad Pentecostem, de quo in cap. Quoniam de Feri. Denique ex Leone relato in cap. Quod die dist. 75. non possunt Episcopi nisi in die Dominica consecrari.

6. Quæri hic solet, utrum consuetudine, aut Ecclesiæ statuto, sicut abrogatum est Sabbathum, ita & Dominicæ cultus abrogari possit, atque in diem alium mutari? Pendet hæc quæstio ab illa alia: Quo jure Dominicæ diei observatio inducta sit? Si enim juris sit divini, nulla consuetudine, aut humana constitutione aboleri potest; si autem sit juris Canonici, poterit consuetudine, aut contrario statuto abrogari. Sed huic quæstioni jam obviam itum est. Dictum est enim, Dominicæ diei observationem inductam fuisse ab Apostolis, & ex eorum ad nos traditione descendere. Multi item Canonistæ eo in sensu forte dixerunt esse juris divini. Quæ enim Apostoli universim Ecclesiæ tradiderunt, verisimillimum est eos a Christo Domino accepisse. D. Thomas autem (*loco cit.*) & communis sententia Theologorum censet esse juris Canonici, nec ideo tamen sequitur, eum ritum posse Ecclesiam immutare. In iis enim, quæ Ecclesia universim ex Apostolorum doctrina, atque institutione accepit, nihil unquam immutavit, nec id in ejus positum arbitrio videtur. Ratione item confirmari potest. Nam tempora, ac dies per sese sunt indifferentia, nec est cur unus dies præ alio perpetua, & in universum pro omnibus Gentibus eligi possit, nisi quia dies ille insignioribus, & communioribus beneficiis fuerit hominibus commendabilis; nulla autem dies aut fuit, aut in æternum esse potest majoribus in humanum genus beneficiis insignis, quam ille, in quo beneficia Creationis, Reparationis, & Sanctificationis commemorantur: nullus ergo dies potuit, aut in futurum poterit pro Dominica subrogari. Præterea. Festorum observatio pertinet quodammodo ad fidei protestationem. Fides autem Christiana discernitur ab quocumque etiam veri Dei cultu Judaico,

Mahometano &c. per protestationem, & confessionem Trinitatis: ergo externus noster cultus, ut Catholicus, sive universæ Ecclesiæ communis, non solum Divinitatis, sed etiam Trinitatis protestatio est. Sed per cultum primæ diei, sive Dominicæ non solum Patrem Creatorem, sed etiam Filium Redemptorem, & Spiritum Sanctum Sanctificatorem, Deum nempe unum, & Trinum, & indivisum per communia, & singulas personas per propria, & singularia in nos beneficia profitemur, quod nulli alii dierum singulare est, ac proprium: nullus ergo dierum præ Dominica pro cultu est in Christiana Religione assignabilis. Et hæc ratio est cur usque ad tempora Alex. III. festum Sanctissimæ Trinitatis speciali cultu celebratum non fuerit in Rom. Ecclesia. Festivitas, inquit Pontifex, cap. Quoniam de Feriis, secundum consuetudines diversarum Regionum, a quibusdam consuevit in octavis Pentecostes, ab aliis in Dominica prima Adventus celebrari: Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, ut in aliquo tempore celebret specialiter hujusmodi festivitatem, quod & admonuit Durandus in Rationali Divinor. Offic. lib. 6. cap. 114. Quo autem tempore id statutum fuerit, infra dicetur.

7. Constat autem annus Julianus diebus 365., si communis est, & 366. si fuerit bissextilis, tunc enim ex hor. 5. minutis 49., quæ per singulos annos supersunt, quarto quoque anno dies pene completus resultat, qui anno bissextili adjungitur. Quod si 365. dies dividantur per septem dies, sive hebdomadas, habebuntur per annos singulos Hebdomadæ 52., & dies unus, aut in bissextili duo: ergo sicut cujusque Hebdomadæ pars septima divino cultui deputatur, ita & cujusque anni pars septima tribuitur Deo. Nam si 365. dividas per 7., quotus erit 52., sive numerus Hebdomadum, seu Dominicarum. Diviso autem numero 365. per 7., quotus residua erit unitas, sive dies unus: igitur dies prima Januarii non eadem erit in anno sequenti, quæ in præcedenti fuerat, sed uno gradu promovebitur. Quare si littera Dominicalis primi anni dicatur A, sequentis erit B, tertii C, quarti D, quinti E, sexti F, septimi G. Igitur si omnes anni communes essent, & solum 365. dierum, post cyclum septem illorum litterarum, in octavo anno rediretur ad A., eumdemque ordinem dierum. Quia tamen ejusdem Julii Cæsaris statuto quarto quoque anno intercalatur annus bissextus, hic ordo turbatur, nam dies ad duos gradus promoventur: ergo ut omnes habeantur combinationes dierum necessariæ, multiplicandus fuit num. 7., dierum Hebdomadæ, per 4. numerum annorum bissextilium, ut habeatur numerus 28. exhibens omnes mutationes, quæ in litteris Dominicalibus accidere possunt. Hæc periodus, aut Cyclus Solaris dicitur, aut Litterarum Dominicalium, cujus ope facile in Kalendario depre-

pre-

prehenditur, qui dies Dominicales ſint, & Christiano populo obſervandi.

8. Diſponantur enim in Kalendario 7. primæ litteræ initio facto a prima die Januarii, & ſequentibus adſcribantur B, C, D, E, F, G, tum repetantur eodem ordine bis, & quinquageſies pro 52. anni hebdomadibus, quibus completis, reſtabit unus dies, ultimus Decembris, qui neceſſario incidet in litteram A, quæ fuit prima Januarii: ergo annus ſequens neceſſario incipiet ab die Lunæ, aut feria 2. Feria tertia erit B, quarta C, quinta D, ſexta E, Sabbathum F, Dominica G, & ordine retrogrado in 3. anno Dominica erit F, in quarto E, & ita conſequentur, niſi annus biſſextus intercesserit. Annus quippe biſſextus duas litteras Dominicales vendicat, unam ab initio anni usque ad finem Februarii, alteram a fine Februarii ad anni reliquum.

9. Cycli ergo Solaris, aut Litterarum Dominicalium uſus eſt pro inveniendis in Kalendario Eccleſiastico diebus cujusque menſis incidentibus in Dominicam, quod ut quivis per ſe præſtare poſſit Kalendarii ſtudioſus, tria adnectimus problemata facilia, nec injucunda.

I.

10. Invenire Cyclum Solarem competentem anno primo Æræ vulgaris Christianæ. Supponatur ex Kalendario, & communi Christianorum uſu, anno v. g. 1780. Cyclum Solarem eſſe 25. Hos 25. detrahe ex 1780., reſidui erunt anni 1755. Divide 1755. per 28. diviſione facta, reſtabunt 19. Subtrahe 19. ex 28., reſiduum erit 9. Annus ergo antecedens proxime ad æram Christianam habuit Cyclum Solarem 9: ergo primus annus æræ Christianæ habuit Cyclum Solarem 10. Nam addito reſiduo 9. poterat fieri diviſio per completas hebdomadas: ergo novem annis ante Christum Cyclus inceperat: ergo annus primus Christi, ſive æræ Vulgaris fuit Cycli decimus, quod erat &c.

II.

11. Invenire Cyclum Solarem cujusvis anni ante Christum. Sit v. g. quærendus Cyclus Solaris anni primi Olympiaci, ſeu primi Iphiti, qui fuit ante Christum 776 Porro cum annus proxime antecedens ad æram Christianam fuerit Cycli Solaris 9: ergo anno Christi 19. novus Cyclus inceperit: anno 776. addantur anni Christi 19. fietque ſumma annorum 795. Divide per 28, reſtabunt 11. Detrahe 11. ex 28. reſtabunt 17: ergo primus annus Olympiacus, ſeu primus Iphiti erit Cycli Solaris 18. Quod erat &c.

 12. Vel

12. Vel item sic. Supponatur cognitus cyclus Solaris anni alicujus Christi, v. g. ann. 1672. sitque 1. Addantur annis Christi anni ante æram Christianam 776., summa erit 2448. Hanc summam partire per 28, restabunt anni 12. Detrahe 1., qui est Cyclus Solaris anni 1772., restabunt 11. Detrahe 11. ex 28., restabunt 17. exacti, & annus primus Iphiti, aut primus Olympiadicus habebit Cyclum Solarem 18., quod erat &c.

III.

13. Invenire cyclum Solarem anni cujusvis post Christum. Anno currenti adde 10., qui erat cyclus Solaris anno primo Christi. Summam divide per 28. Si nihil restabit, Cyclus illius anni erit 28., si aliquid supererit, residuum illud erit Cyclus Solaris currentis anni, vel quod in idem recidit: anno currenti adde novem, qui effluxerant Cycli Solaris ante Christum. Summam divide per 28. Residuum, si erit aliquod, erit numerus Cycli Solaris currentis anni.

14. Porro Cyclus Solaris idem est pro veteri, & novo Kalendario. Eidem tamen Cyclo, aut Cycli numero non respondent eædem litteræ Dominicales, quia per præteritionem decem dierum, quæ contigit anno correctionis 1582., ordo Litterarum Dominicalium interturbatus est. Pro inventione igitur Litterarum Dominicalium Tabellæ compositæ sunt, aut Laterculi, in quibus ex altera parte anni Cycli Solaris inscribuntur, ex altera Dominicales Litteræ eisdem respondentes, ita ut una littera communibus annis, duæ autem pro bissextilibus assignentur, quarum prima utemur usque ad finem Februarii, altera usque ad finem anni. Ex his erit perspicuum, annum primum, quintum, nonum, decimumtertium, decimumseptimum, vigesimumprimum, & vigesimumquintum bissextiles fuisse, & quum annus ante æram Christianam fuerit, ut diximus, Cycli Solaris nonus, bissextilis fuit, & consequenter annus primus Christi fuit primus post bissextilem, atque adeo quartus quisque Christi annus, octavus, duodecimus, decimussextus, & ita consequenter bissextiles erunt, universimque quicumque annus Christi, qui divisus per 4. nihil relinquit, bissextilis erit. Unde omnes centenarii bissextiles sunt, quare in millenariis, & centenariis non opus est totum numerum, sed ultimas duas cyphras dividere per 4. Nam si divisis 88. per 4. nihil erit reliqui, numerus 1788. totus divisus erit, & hic annus erit bissextilis. In annis autem ante Christum, quum annus ultimus ante æram Christianam, sive in cujus fine natus est Christus, bissextilis fuerit, quicumque annus divisus per 4. relinquit unitatem bissextilis est, ut 21., aliique impares, de quibus supra. Pro juvanda memo-

ria, & faciliori praxi aliquos versus, & regulas præscribunt Chronologi Petavius, Dechalius, Clavius, ad quos Studiosos remittimus. Hic tantum ea commemorare libuit, ex quibus pateat, quanto studio, ac diligentia Ecclesia usa fuerit in cultu diei Dominici sanciendo, investigando, & confirmando.

PROPOSITIO III.

Pascha Sanctissimum, & antiquissimum festum Christianorum, & quæ ad illud sequuntur, elucidantur.

1. Dominicorum dierum præstantissimum ab Apostolorum tempore habitum est, & sanctissimum Pascha, a quo etiam ipsorum Dominicalium dierum observatio originem, atque initium duxisse videtur, ut sicut Sabbathum antiquum inventum est ad jugem commemorationem primi Sabbathi, quo Deus ab opere creationis cessavit, ita Dominicæ diei cultus videatur inductus in perpetuam memoriam Dominicæ Resurrectionis, unde nova lex, & Ecclesia sumpsit exordium. Unde reliquæ per annum Dominicæ aliud esse non videantur quam jugis, & perpetua per totum annum Octava Resurrectionis Dominicæ. Id autem ab Apostolorum tempore cœpisse patet ex Canone Apostolor. 68. ubi mentio fit jejunii Quadragesimalis, quod proxime ante Pascha suscipitur.... Debebatur quidem tantis mysteriis incessabilis devotio, & continuata reverentia, ut semper tales permaneremus in conspectu Dei, quales in ipso Paschali festo dignum est inveniri. Sed quia hæc fortitudo paucorum est, & dum carnis fragilitate austerior observantia relaxatur, dumque per varias actiones vitæ hujus solicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere: magna provisum est divini pietate consilii, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & jejunia casta decoquerent. His autem verbis Leo satis innuit, (*Serm.* 4. *de Quadrages.*) Divino consilio ductos Apostolos, quum ad Paschatis celebrationem diuturno jejunio nos præparari decreverunt, quod expressius declaravit Clem. Romanus in 8. Constitut. Cap. 3. dicens: Constitutionem esse Apostolicam, ut dies Dominicæ Resurrectionis tanquam sacer, & festus honoretur. Sunt & qui festum Paschæ de jure divino esse putaverint. Sed hi juris Canonici Interpretes sunt, aut Morales Theologi, qui jus divinum vocare solent, non solum Apostolicum, sed etiam quodcumque Ecclesiasticum statutum, quod in jure divino, aut in Scripturis rationem aliquam, vel exemplum habeat. Vere autem

ob-

observatio Paschatis ex Apostolorum institutione descendit. Nec enim in ullo Concilio invenitur primum inducta, nec ullius Pontificis constitutione sancita, & Patres passim tanquam de re Apostolica loquuntur, ut ex dicendis clarius constabit.

2. Quæres autem, inquit hic ad rem Augustinus ad Januarium Ep. 119. quæ causa sit, cur anniversarius dies celebrandæ Dominicæ Passionis non ad eundem redeat anni diem, sicut dies, qua creditur natus? . . . Noveris, diem Natalem Domini non in Sacramento celebrari, sed tantum in memoriam revocari quod natus sit, ac per hoc nihil opus est, nisi revolutum anni diem, quo res ipsa gesta est facta devotione significari. Sacramentum autem est in alia celebratione, quum rei gestæ ita rememoratio fit, ut aliquid etiam ita significari intelligatur, quod sancte recipiendum est. Eo itaque modo agimus Pascha, ut non id solum, quod gestum est, in memoriam revocemus, id est, quod mortuus est Christus, & resurrexit, sed etiam ob cætera, quæ circa ea gesta obtestantur, ad Sacramenti significationem non omittamus. Quia sicut dicit Apostolus: Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Transitus de morte ad vitam in illa Passione Domini, & Resurrectione sacratus est, ut nimirum, incipiente anno, & nos in novitate vitæ ambulemus deponentes veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum... Hic autem, inquit Beda, (*lib. de ration. tempor.*) quem vobis monstramus, computus Paschæ decemnovenali circulo continetur, qui dudum quidem, hoc est, ipsis Apostolorum temporibus jam servari in Eclesia cœpit, maxime Romæ, & in Ægypto, ut supra diximus; sed per industriam Eusebii, qui a B. Martyre Pamphilo cognomen habet, distinctius est in ordinem compositus, ut quod eatenus per Alexandrinum Pontificem singulis annis per omnes Ecclesias mandari consueverat, jam deinde congesta in ordinem serie Lunæ quaterdecimæ facillime posset ab omnibus sciri. Ex quibus Bedæ verbis agnoscimus, antiquitus Alexandriæ Pontificibus hanc provinciam fuisse injunctam, ut consultis Viris in Astronomia peritissimis, qui in eo studio multi tunc erant, Kalendarium Ecclesiasticum conficeretur, & inde per omnes Ecclesias mitteretur, ut Paschatis, & reliquorum festorum mobilium dies observarentur. Unde & nostrorum Kalendariorum, qui per singulos annos Pastorum authoritate promulgantur, necessitas, antiquitas, atque origo patet, & simul mobilium horumce festorum antiquitatem, & præstantiam demonstrat, quorum notandorum tanta fuit semper virorum Ecclesiasticorum diligentia.

3. De Paschate præceptum erat in lege Moysis. Hic mensis (Nisan, qui Græcis Xanthicus) primus erit in mensibus anni. Quarta-

de-

decima die ad vesperam, seu in die Plenilunii ad vesperam: Phase Domini est. Et in quintadecima die solennitas Azymorum Domini. Quamvis autem præceptum hoc Mosaicum nullo modo ad Ecclesiam spectaret, tamen quia eodem tempore mysterium Passionis Christi, & Resurrectionis contigit, quod ad Ecclesiam potissimum spectat, ideo ad celebrationem nostri Paschatis & mensis certi, & certæ in mense diei rationem habendam censuit. Tria autem ex antiqua traditione, Conciliorum postea, & Pontificum decretis observat Romana, & Catholica Ecclesia, nimirum, Æquinoctium vernum, Lunam decimamquartam, seu Plenilunium primi mensis, & diem Dominicam. De duobus primis Ambrosius ep. 83. Duo, inquit, sunt consideranda in celebratione Paschæ quartadecima Luna & primus mensis, qui dicitur novorum.... Incipit autem mensis non secundum vulgarem usum, sed secundum consuetudinem peritorum ab æquinoctio, qui dies est 12. Kal. Aprilis. De his tribus has accipe definitiones. Æquinoctium vernum illud est, ab quo dies incipiunt crescere, & noctes minui. Luna decimaquarta est dies Plenilunii, sive in quo Luna plena apparet. Primus mensis est ille, cujus plenilunium incidit in Æquinoctium vernum, vel post illud. Semper enim ac Plenilunium contingit ante equinoctium vernum; mensis ille non ad novum, sed ad veterem annum Ecclesiasticum spectat, nec Paschalis esse potest. Dominica dicitur dies Solis, aut prima cujusque Hebdomadæ.

4. Pascha ergo Christianum non potest ante æquinoctium vernum celebrari. Non parum igitur delinquunt, inquit Anatolius Laodicenus apud Euseb. (*7. hist. cap. 29.*) qui ante initium novi anni, hoc est, ante vernum æquinoctium Pascha putant esse celebrandum. Nec a nobis exordium sumit hæc ratio, sed ab antiquis Judæis fuisse comprobatam demonstratur, & ante Christi adventum observata, sicut evidenter docent Philo, & Josephus, sed & horum antiquiores Agathobulus, & ab eo eruditus Aristobolus ex Paneade, qui unus ex illis Septuaginta senioribus fuit, qui missi fuerunt a Pontificibus ad Ptolomæum Regem Ægypti Hebræorum libros interpretaturi in Græcum sermonem .... Ipsi ergo, quum quæstiones Exodi exponerent, docuerunt, Pascha non esse prius immolandum, quam vernale æquinoctium transiret. Aristobulus vero etiam hoc addidit, in die Paschæ non solum ut Sol æquinoctium vernale transcendat, verum & Luna .... Legi in horum libris, & alia multa de his validissimis assertionibus exposita, quæ evidenter ostendunt, Paschæ solennitatem omnimodo post æquinoctium celebrandam.

5. Circa secundum de Luna decimaquarta observandum est magnum discrimen inter Judaicam, & Christianam disciplinam. Judaicinam-

namque Pascha suum celebrabant ex præscripto legis Luna decimaquarta ad vesperam, modo incideret vel in ipsam diem æquinoctii, vel post illud. At Christiani nunquam Pascha in ipsa die decimaquarta. Nam Christus post decimamquartam Lunam resurrexit. Unde si inciderit, sicut proxime futurum est, inquit Ambrosius Ep. 83., quartadecima Luna mensis primi in diem Dominicam, in alteram hebdomadam celebritas Paschæ transferenda, quia neque Dominica die jejunare debemus, neque decimatertia in diem Sabbathi incidente jejunium solvere. Convenit itaque, inquit Beda, (*lib. de rat. temp. cap.* 57.) diligenter advertere, ut quoties quartadecima Luna in Dominicum incurrit diem, in sequentem hebdomadam Paschalem diem differamus, ne Luna 13. inventa in Sabbatho solvamus jejunium, deinde ne in Dominica die Luna quartadecima constituta, jejunare cogamur. Hoc enim Manichæorum secta habuit . . . . Unde Paschæ hæc lex observanda est, pergit Ambros. ut non quartamdecimam observemus in die Resurrectionis, sed magis in die Passionis, aut certe aliis præcedentibus diebus, quia Resurrectionis solennitas die Dominica celebratur.... Si ergo fieri posset, inquit ap. Bedam (5. *Hist. angl. cap.* 22.) Ceolfridus, ut semper in diem 15. primi mensis, seu in Lunam 15. Dominica dies incurreret, uno semper eodemque tempore cum antiquo Dei populo, quanquam Sacramentorum genere discreto, sicut una, eademque fide, Pascha celebrare possemus; quia vero dies Septimanæ non æquali cum Lunæ tramite procurrit, decrevit Apostolica traditio, quæ per B. Petrum Romæ prædicata, & per Marcum Evang. & Interpretem ipsius Alexandriæ per Ægyptum confirmata est, ut adveniente primo mense, id est, æquinoctio verno in vesperis diei decimæquartæ, expectetur etiam dies Dominica a quintadecima usque ad 21. ejusdem mensis. Pascha enim omnino in Dominica die celebrandum esse ex authoritate Apostolica tradit Pius Papa in Epist. Decret. circa ann. Dom. 150. habeturque in cap. Mose de Cons. dist. 3. & Victor Papa in cap. Celebritatem ibid. ead. dist. ibi: Celebritatem Sancti Paschæ die Dominico agi debere, & Prædecessores nostri jam statuerunt, & nos illud eadem die solenniter celebrari mandamus, quia non decet, ut membra a capite discrepent. A quartadecima vero Luna usque ad 21. ejusdem primi mensis eadem festivitas celebretur. In Concilio item Cæsariensi, quod ejusdem Victoris hortatu congregatum fuit, statutum est, ne liceat, nisi in die Dominica, in qua Dominus resurrexit, Dominicum Paschæ celebrare mysterium, & in hac sola solvendum esse Paschale jejunium. Theophilus autem, qui ei Concilio præfuit, ita rem exponit. (*lib.* 1. *Paschali*.) Constitutum est in hac Synodo, ut ab 11. Kalend. Aprilis usque ad 12. Kal. maj. Pascha celebrari debeat, &

nec

nec antea, nec postea cuicumque limites transgrediendi facultas sit. Similiter & de Luna præceptum Dominicum teneatur a decimaquarta Luna usque ad 21. Quando ergo sit intra eos limites ad 11. Kal. April. usque ad 12. Kal. Maji dies Dominicus; & Luna ex illis septem sanctificatis, convenit Pascha nobis, ut justum est, observari in Christo JESU Domino nostro. Additi autem sunt dies quinque, ita ut Pascha celebrari possit usque ad 25. Aprilis inclusive. Idem deinde confirmavit Nicæna Synodus apud Socratem, ac Theodoret., (*lib. 1. hist. cap.* 9.) deinde Antiochena, & Chalcedonensis. Decreverunt autem hæc Concilia universim, ut Pascha ita ageretur, sicut moris erat in Romana Ecclesia, de qua Beda: (*lib. 3. hist. cap.* 25.) Pascha, inquit, quod facimus die Dominica post 14. Lunam vidimus Romæ celebrari, ubi BB. Apostoli Petrus, & Paulus vixerunt; docuerunt, passi sunt, & sepulti. Hoc in tota Italia, hoc in Gallia &c.... Circuli autem Decemnovennalis ordinem, ait idem, de Rat. Temp. cap. 42. primus Eusebius Palæstinæ Episcopus ob quartasdecimas Lunas festi Paschalis, ipsumque diem Paschæ inveniendum primus composuit, eo quod Luna cujuslibet ætatis intra tantumdem temporis ad eandem redeat anni Solaris diem. Non quod Ægyptus, vel cætera per Orientem Christi Ecclesia usque ad illud tempus Lunæ cursum, vel diem nesciverit rite invenire Paschalem. Sed quia quæ annuatim summo labore, & studio investigari, & per orbem mandata sæpius in quæstionem venire solebant, præfixa semel regula facilius, & sine ambigendi scrupulo edisci poterant. Hinc

I.

Nulla Luna, quæ incipit ante diem septimam Martii, Paschalis est.

II.

Nulla Luna, quæ incipit post diem quintam Aprilis, Paschalis est.

III.

Lunæ igitur Paschales solum esse possunt viginti novem, quot possunt nimirum incidere in postremis 24. diebus Martii ab 8. usque ad 31., & in primis quinque diebus Aprilis.

IV.

Paschale festum ultra latitudinem 35. dierum non vagatur. Nunquam enim incidere potest ante 22. Martii, nec post 25. Aprilis.

6. Jam vero vernum æquinoctium, quod erat primum pro inventione Paschatis inquirendum, & quod tempore Julii Cæsaris prope diem 21. Martii contingere credebatur, non fixam, & statam habet sedem, ita ut aliquorum annorum decursu eam non mutaverit, ac mutet subinde. Tradit Staifferius in Kalend. prop. 37., & Joannes Lucidus de ver. die Passionis Christi cap. 5. aureum numerum, qui in Kalendario assignatur post correctionem Julianam, non habere fixam, & perpetuam sedem, sed continue paulatim suam sedem anticipare, ita ut hujusmodi anticipatio crescat in annis solaribus 304. ad diem unum, hoc est, ad horas 23., min. 28., 52. sive horam fere dimidiam. Demonstrat item Clavius in Apolog. nov. Kalendar. Æquinoctia, & Solstitia in annis 134. integrum diem, & in annis 402. sedem suam anticipare tres dies integros, quod in quolibet anno Juliano, quo utitur Ecclesia, æquinoctia, & Solstitia sedes suas præcurrant minutis 10., 44. Id etiam constat antiquissimis observationibus Timocharis, qui primam Arietis stellam ab intersectione æquinoctiali distantem observavit gr. 2., Hypparchus gr. 4., Menelaus Milesius gr. 6., 12. Floruit autem ann. circiter ante Christum 274., Hypparchus ann. ante Christum 160., Menelaus primo Christi sæculo: 400. igitur, aut circiter annis gr. 4. stella prima Arietis ab æquinoctiali intersectione discesserat. Item tempore Concilii Nicæni anno 324. æquinoctium vernum constitutum fuit 21. Martii; sed anno Correctionis Gregorianæ inventum est æquinoctium vernum incidisse 11. Martii: ergo 1258. ann. æquinoctia versus anni initium anticipata fuerant 10. dies. Tanta igitur Paschatum deviatio ex non animadversa Æquinoctiorum anticipatione oriebatur. Quod si error ulterius processisset, Pascha etiam in Epiphania, aut in Natali Domini celebraturi eramus. Duo ergo circa æquinoctium authoritate Apostolica facienda fuerunt. I. Æquinoctium vernum ad suam sedem restituendum, sive ad diem 21. Martii juxta statutum Conc. Nicæni. Et hoc factum fuit satis convenienter, & commode per substractionem decem dierum in mense Octobri anni illius 1582. Sic enim factum fuit, ut in sequenti anno 1583. qui dies futurus erat XI. Martii, diceretur XXI. Item II. providendum fuit, ut in posterum æquinoctium ab ea die 21. Martii non dimoveretur. De hoc quidem ita statutum est. Ut primo quidem quartus quisque annus bissextus esset, quod longe antea per Julium Cæsarem fuerat statutum. Igitur centesimus quisque

annus

annus juxta hanc regulam bissextilis esse debebat. Verum quia unusquisque annus Julianus dies habet 365., hor. 5. minuta 49:, ex quatuor annis fieri non poterat dies solidus, nisi assumerentur sex horæ integræ cujuslibet anni. Non sunt autem integræ, nam pro quolibet anno deficiunt minuta 11., atque ita quarto cuique anno, seu bissextili deficiunt pro hor. 24. minuta 44. Ergo quum in annis 100. sint bissexti 25., in anno quoque centesimo deficerent ad diem integrum minuta 1100., idest, plusquam 17. horæ. Ut igitur huic incommodo occurreretur, fuit statutum, ut anni centesimi non omnes sint bissexti, sed ex quatuor unus. Igitur primus centesimus post correctionem Gregorianam, nimirum, 1600. bissextus esset, deinde tres centenarii sequentes bissextiles non essent, nimirum, 1700., 1800., 1900., deinde rursum 2000. bissextilis esset, & sic in posterum. Videndus Clavius in Apolog. Kalend. Romani lib. 1. cap. 5.

7. Quoniam, vero, uti diximus, Pascha celebrandum est non solum post æquinoctium vernum, sed etiam post decimamquartam Lunam primi illius mensis, erat cyclus aliquis necessarius, qui decimasquartas Lunas exhiberet. Inventi sunt autem ad eam rem cyclus quatuor annorum authore ut fertur Œnopide Chio, sed hujus cycli vitium, seu Tetraeteridis; detexit Cleostratus, & Octaeteridem, sive cyclum annorum, 8. induxit, quem invenisse Eudoxium Gnidium, nonnulli putant. Post hos Meton Enneadecaterida, sive Cyclum 19. annorum invenit, cujus numerus in foro Atheniensi publice expositus Aureus dictus est, & annus Metonicus. Hunc cyclum Decemnovennalem exposuit Eusebius Cæsariensis, & sequuti sunt Græci, & Latini Patres in suis scriptis, ac Tabulis Paschalibus, ut ex Beda liquet. Arbitrati sunt enim, per eam periodum Solares annos, & Lunares perfecte coincidere, atque ad idem principium reduci. Cyclus quidem Metonicus justior erat quam Cycli quatuor, aut 8. annorum. In primo enim aberratio erat quatuor dierum; in secundo autem horar. 36., sive diei unius cum dimidio. Non tamen periodus Metonica perfecta erat, & adamussim exacta. Nam quum sint in anno Juliano dies 365. hor. 5., min. 49., erunt in annis 19. dies 6939., hor. 14. minut. 11. Dentur autem Lunationi mediæ 29. dies hor. 12. min. 44. 3. erunt in annis 19. Lunationes mediæ 235., diesque 6939., hor. 16. min. 31. Igitur 235. Lunationes excedunt annos Lunares 19., hor. 2. min. 20. Ostendit item ex antiquis Kalendariis Deehalius, ab anno Christi 331. ad annum 1623., id est, intra annos 1292., seu cyclos decemnovennales 68., differentiam, seu anticipationem fuisse dier. 4., horar. 13., secund. 131., & decimamquartam Lunam assignatam fuisse die 7. Aprilis, quum revera accidisset die 3. April. Hæc autem labes, sive Noviluniorum antecessio primis sæculis fuit ignorata, ideo

 quod

quod de uno, aut altero tantum die ageretur. Jam vero octavo sæculo, quo Beda scripsit, aliqua dubitatio animis inciderat, quum Luna multo major oculis cerneretur, quam calculus Civilis, seu Cyclus Decemnovennalis eam exhiberet. Huic porro dubitationi respondere conatus Ven. Beda, quippe non in rebus Astronomicis multum eruditus in varia abivit commenta, & rationes a vero alienas. Melius, ac simplicius respondisset, si id vitio cycli Decemnovennalis tribuisset, qui major justo esset constitutus, & quem Lunæ motus præverteret. Ad hujus igitur vitii emendationem alius ordo excogitandus fuit, & quia nullus est dies in toto anno, in quo aliquando Novilunia non fiant, talis esse debuit cyclus, qui totum compleret Kalendarium, sive nullam sedem vacuam relinqueret, quare Cyclus decemnovennalis, qui tantum 19. constat numeris, rejiciendus fuit, quum mensis Lunaris sit 29., aut triginta dierum. Pro aureis igitur numeris substitutæ sunt a Romani Kalendarii Correctoribus Epactæ, quæ sunt dispositæ eodem fere modo, quo aurei numeri, & tamen unoquoque sæculo, novemdecim solum in usu sunt, quæ Novilunia justa indicent. Epactæ autem dies transactos Lunæ significant, suntque excessus anni Solaris supra Lunarem, seu dies addendi anno Lunari, ut civilem, & Solarem annum adæquet. Est igitur Epacta ætas Lunæ in primo die Januarii, seu dies in primo Januarii transacti a præcedenti plenilunio. De his late Clavius, Dechalius, Petavius, & universim Chronologi. Nos juxta institutam methodum ea solum brevi calamo perstrinximus, ex quibus constet, quanto studio, & qua methodo Ecclesia Pascha Sacratissimum coluerit, invenireque, ac discernere, & perpetuum ejus in Ecclesia, atque invariatum cultum pro toto orbe Catholico statuere adlaboraverit, adhibitis doctissimorum hominum in re Astronomica lucubrationibus.

8. Tertium erat de die Dominica, de quo quidem vetus fuit controversia Victoris Papæ tempore inter Romanam, & Asiaticas Ecclesias. Et quidem dum de mera disciplina res fuerat, Romana Sedes, quanquam traditionis antiquæ tenax Pascha semper in Dominica celebraret, non tamen Asiaticorum morem damnavit, qui 14. Luna in quamcumque diem incideret, Pascha celebrabant. Quum vero multi dicerent, non aliter Pascha celebrari debere, aut posse nisi 14. Lunæ, in quamcumque diem incidisset, quoniam ita præscriptum fuerat in lege Moysi, ad quam Christianos obligari simul cum Evangelio existimabant Judaizantes, tum vero Romana Ecclesia, Asiaticorum morem per sese non noxium, falso, & impio dogmate adhærente, detestata est, Thessaradecastitas, aut Quartadecimanos condemnavit, ab eorumque se communione sejunxit, prohibens, ne Christiani Pascha unquam nisi die Dominica celebrarent, & ne quidem die

Do-

Dominica, si decimaquarta Luna in eam incideret, ne videretur Judaizantibus manus dare, sed eo casu Pascha ad vigesimam Lunam transferendum, ut ex Ambrosio, Cæsariensi Concilio, Nicæno, & aliis supra diximus. Sed de ratione inveniendi, & computandi Paschatis satis dictum.

9. Pascha vero antiquitus per septem continuos dies agebatur, & hæc videtur fuisse Ecclesiasticarum octavarum antiquissima origo. Ita habetur præceptum ex Concilio Lugdunensi in cap. Pronuntiandum de fer. dist. 3., & in cap. Conquestus de Fer. ubi inter dies festos Christianorum dicitur: Sanctum Pascha cum tota hebdomada, id est, cum septem diebus sequentibus. Hæc ex parte retinentur, ex parte vero in desuetudinem abierunt. In choro enim, seu divinis Officiis Paschalis hebdomada integre celebratur. In foro autem communi, quod ad vacationem servilium operum spectat, & Missæ audiendæ obligationem tres primi dies festi habentur. In foro autem Judiciali, dies septem Paschæ præcedentes, & sequentes totidem coluntur ab omni strepitu forensi liberi leg. Ut in die, l. Omnes dies c. de fer. & si quid contra fiat, omnibus modis irritum declaratur. Quoniam vero Dominica Paschalis prima est, & sacratissima totius anni, inde ab ea reliqua festa mobilia computantur.

10. Igitur completis a Dominica Resurrectionis quinque Septimanis, quæ faciunt dies 35., & quinque sequentis hebdomadæ diebus adjectis, occurrit in feria quinta sextæ hebdomadæ Dominicæ Ascensionis dies, post dies nimirum a Resurrectione 40., uti ex Evangelio habetur. Hujus autem diei in Ecclesia observationem esse antiquissimam, & ab ipso tempore Apostolorum inductam, patet ex Clem. Romano Patrum antiquissimo, & Apostolis coævo in 8. Constit. Apost. cap. 33. De Ascensionis Dominicæ loco, hora, atque aliis circumstantiis multa disputant Interpretes in Acta Apostol. & Scriptores earum, quæ Legendæ dicuntur pro festis singulis, quæ non tam festi institutionem, quam mysterium ipsum celebratum exponunt, & quæ propterea ad præsens argumentum non spectant. Quoniam vero Ecclesia circa diem mensis, quo Christus mortuus est, aut resurrexit, propriam sententiam non tenet, sed eam quæstionem Chronologorum disputationi reliquit, ideo & circa Domini Ascensionem ita se gessit, ut non certo, atque immobili diei mensis, sed feriæ quintæ mobili festum Ascensionis assignaret. Pro diversitate igitur opinionum circa Resurrectionem, & mortem Christi, relicta est libertas opinandi circa diem mensis, quo Ascensio Domini recurrat, dummodo teneatur feria quinta sextæ hebdomadæ post Resurrectionem, seu dies a Resurrectione quadragesimus.

11. Completis vero septem a Resurrectione Septimanis, quæ efficiunt

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ciunt dies 49. iterum recurrit Dominica, & dies a Resurrectione quinquagesimus, qui Græco nomine dicitur Pentecostes. Apud Hebræos autem dicitur festum Hebdomadarum. Hoc festum de jure divino erat apud Judæos, ut habetur Levit. 23. Jussi sunt enim numerare ab altero die Paschæ 7. hebdomadas plenas, id est 49. dies, & quinquagesimus proxime sequens festus erat. Colebant autem diem illum in memoriam datæ legis. Nos autem Christiani non ex Mosaycæ legis præscripto, sed ex Apostolica institutione diem illum observamus. Siquidem hujus diei festi apud Christianos meminerunt antiquissimi Ecclesiæ Scriptores, Iren. orat. de Pasch. cit. a Just. Martyr. sive auth. qq. ad Orthod. q. 115. Origenes lib. contra Celsum. 8. Tertullianus de Cor. Epiphanius in Syn. fid. Basilius de Sp. S. cap. 27. & his omnibus antiquior Clem. Rom. Constit. 5. cap. 18., & 8. cap. 33. Convinciturque ex doctrina Aug. supra tradita, & centies repetenda ex Ep. ad Januar. 118. & alibi: Illa quidem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ toto terrarum orbe observantur, datur intelligi ex Apostolica institutione statuta retineri, sicut, inquit, quod Domini Passio, & Resurrectio, atque Ascensio, & Spiritus Sancti adventus anniversaria solennitate celebrantur. Hæc Augustinus. Contra vero institutionem, & computationem dierum Pentecostes argumentari quis posset, quoniam in ea computatione supponitur ex traditione, & praxi Eccl. Catholicæ, Spiritum Sanctum descendisse in Apostolos Dominica die. Hoc autem in sententia Pauli Burgensis, & aliorum Recentiorum falsum esse convincitur. Probant enim, anno, quo mortuus est Christus, primam diem Azymorum translatam fuisse in Sabbathum, unde infertur ex textu Levitici, Pentecostem non in Dominicam diem, sed in Sabbathum incidisse. Sed huic argumento occurrimus ad propos. 6. libri 14., ubi commentum Pauli Burgensis confutavimus, atque ex eodem Levitico ostendimus, Pascha, id est, primum diem Azymorum juxta Moysis præscriptum, celebratum fuisse Luna 15. die Veneris, & ab sequenti die post festum Sabbathi, septem hebdomadas completas, & diem unum, sive quinquaginta dies computandos, ita ut quinquagesimus dies in Dominicam inciderit, ut semper tenuit cum Patribus, atque in praxi observavit Romana Ecclesia.

12. Sequitur ordine festum Sanctissimæ Trinitatis, quod in Dominica Pentecostem sequente, seu in Octava Pentecostes celebrari consuevit. Et quidem Caroli M., aut Ludovici Pii temporibus, id est, nono sæculo Albinus officium de Sanct. Trinitate composuisse dicitur. Sed hoc in Gallia. Romana siquidem Ecclesia, inquit Alex. III. in cap. Quoniam de fer. in usu non habet, ut in tempore aliquo celebret specialiter hujusmodi festivitatem, cum singulis diebus Gloria

Pa-

Patri &c. similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis. Post vero tempora Alex. III. festum particulare Sanctissimæ Trinitatis celebrari cœpit. Unde author Pisanellæ diem, inquit, Trinitatis in nostro tempore celebratur ex mandato Joann. XXII. Præfatio autem de Trinitate, cujus meminit Pelag. II. in cap. Invenimus de Consecr. dist. 1. non pro festivitate speciali Sanctissimæ Trinitatis institutam fuisse credendum est, sed pro singulis Dominicis, quod Dominici dies secundum morem Ecclesiæ Romanæ, olim cultui Sanctissimæ Trinitatis dicati erant, quod scribit Microlog. in lib. de Eccl. observ. cap. 66., & ad praxim revocavit nuper Clem. XIII., qui eam præfationem in singulis Dominicis non impeditis cantari præcepit.

13. Feria quinta proxime sequenti Octavam Pentecostes, sive festum Sanctissimæ Trinitatis occurrit festum Corporis Christi institutum ab Urbano IV., cujus institutio habetur in Clem. Si Dominus de Reliq. & ven. SS. Hujus diei officium jussu Urbani IV. composuit mira cum devotionis suavitate D. Thomas. Atque hæc de festis mobilibus dixisse sufficiat.

PROPOSITIO IV.

Festorum immobilium institutio, & Sanctitas.

1. PRimum horum est festum Circumcisionis Domini, quod idem est cum Octava Nativitatis. Octavo enim die post Nativitatem circumcidebantur infantes juxta præceptum Moysis, eisque nomina imponebantur, quod Romani apud Plutarchum post dies 8. fœminis, nono masculis imponebant. De Circumcisionis loco, tempore, mysteriis, ritibus videndi Suar. in 3. partem. Azorius part. 2. libr. 1. Benedictus XIV. de festis, & alii apud ipsos. Colitur Circumcisio Domini ex antiquo more Ecclesiæ Kal. Januarii, mentio ejus fit in cap. Pronuntiandum de fer. exstantque de eadem multæ Patrum, & SS. homiliæ.

2. Sequitur ejusdem Januarii die 6. festum Epiphaniæ, quæ Teophania, sive Dei manifestatio a Græcis dicitur, quam esse antiquissimam in Ecclesia festivitatem patet ex Clem. Roman. in 5. libr. c. 12., & in 8. cap. 33. Primos hos ex Gentibus Christi cultores Magos appellat Matthæus. (*cap.* 2.) Regulos, aut viros Principes fuisse, communis habet traditio. Beda in Collectaneis tres fuisse, eorumque nomina, ætatem, vultusque physiognomiam describit. Unde hæc vero post septem ab Christo sæcula vir ille desumpserit, non apparet. Simile est dubium circa eorum patriam, tempusque adorationis, munera, quæ Domino obtulerunt &c., de quibus multa D. Thomas de

my-

mysteriis Vit. Christi latissime disserens in 3. p. & ibi Suarius, ac reliqui Commentatores. Circa objectum autem hujus festivitatis occurrit dubium ex Ecclesiastico officio; ubi: Tribus miraculis ornatum diem Sanctum colimus: hodie stella magos duxit ad præsepium, hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie in Jordane a Joanne Christus baptizari voluit &c. Dicendum, hæc referri ad eamdem diem in diversis annis. In primo enim anno decimatertia post nativitatem die Christus a Magis est adoratus, id est, 6. Januarii. Anno trigesimo Christi incipiente baptizatus est in Jordane die eadem Januar. 6., & anno sequenti, quum jam aliquot menses prædicasset, aquam in vinum convertit, 6. item Januar. Quod vero dicitur in 6. Synodo cap. 8. die Dominica Dominum natum esse; die Dominica stellam Magis refulsisse &c. intelligendum est, stellam apparuisse Magis eadem die Dominica, qua natus est Christus, non qua Christum inventum adoraverunt, nam decimatertia dies ab Dominica, non potuit esse Dominica, sed feria 6. Augustinus vero, quum dicit (*Serm.* 29. & 37. *de temp.*) Christum baptizatum fuisse in Dominica, & in Dominica aquam conversam in vinum, humanum aliquid passus est. Nam si anno 30., quo Christus baptizatus est, sexta dies Januarii fuit Dominica ergo anno sequenti eadem dies 6. Januarii non potuit fuisse Dominica: ergo vel non in 6. Januarii utrumque accidit, vel non utrumque accidit in Dominica. Optime Maximus Taurinens. in hom. 1. de Epiphania: Ferunt, inquit, (Patres) hodie Christum vel stella duce, a Gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse, vel suscepto a Joanne baptismate, consecrasse fluenta Jordanis . . . Sed quid potissimum præsenti hoc factum sit die, noverit ipse, qui fecit; nos tamen credere, nec dubitare debemus, quidquid illud fuerit, factum esse pro nobis. Nam quod eum fulgentioris stellæ radiis incitati adoravere Chaldæi, Deum verum Gentibus spes data est adorandi. Quod aquæ novo sunt ordine in vina mutatæ, novi nobis poculi prælibatum est Sacramentum. Quod autem baptizatus est Agnus Dei, regenerantis baptismi salutare nobis munus est dedicatum.

3. Postridie Kalend. Februarii agitur festum Pueri JESU in templo oblati, & Purificationis Mariæ; quod festum a Græcis dicitur: Occursus Domini, & Simeonis. Ab Apostolis, aut eorum discipulis institutum nonnulli existimant, sed nullo id documento probatur. Nicephorus in lib. 7. cap. 28. scribit, Justiniani senioris constitutione fuisse institutum, sed verius est, fuisse nova sanctione confirmatum, & diligentius observari jussum. Sergius I., qui exeunte sæculo septimo Ecclesiæ præerat, diem hunc celebri, ac solenni supplicationis pompa decoravit, ut in Ordine Romano habetur, & in Bedæ Marty-

tyrolog. ad diem quintum Id. Septemb. Circa hujus festi objectum solum videtur quærendum, an Simeon, qui Dominum ulnis excepit, Sacerdos fuerit, quod Euthymius, & Theophylactus negarunt. Contrarium tamen videtur probabilius, quod diserte testantur Athanasius in libro de communi Essentia Trinitatis, Epiphanius in lib. de Vitis Prophet. Cyrillus hom. de Occurs. Domini, & Augustinus, qui Simeonem senem annosum, famosum, probatum, coronatum vocat. (*Serm.* 13. *de temp.*) Certe quum primogenita Deo offerebantur, oportebat Sacerdotem aliquem adesse, qui Dei nomine puerum exciperet, ac tamdiu retineret, donec quinque siclis a parentibus redimeretur. Simeon item puerum oblatum benedixit, quod non Laicorum, sed Sacerdotum munus erat. Festum hoc porro apud Græcos, potius Christo; apud Latinos potius Virgini matri adscribitur, vere tamen ad utrumque pertinet.

4. Octavo Kal. Aprilis, seu 25. die Martii celebratur festum Incarnationis Dominicæ, & Annuntiationis Virginis gloriosæ. Hujus festi mentio non habetur in cap. Pronuntiandum de Consecr. dist. 3. ubi tamen tres festivitates B. Mariæ recensentur, Purificationis, Assumptionis, & Nativitatis. In cap. autem Conquestus de Feri. universim dicitur: omnium festivitatum Virg. gloriosæ. Jam vero longe ante Greg. IX. Annuntiationem B. Virginis celebrari solitam non est dubitandum, inquiunt Panormitanus, Hostiensisque, & Joannes Andreas ibid. suadentque multæ SS. Patrum de eodem argumento homiliæ. Annuntiatio, inquit Hostiensis, celebratur in Vere, Assumptio in Æstate, Nativitas in Autumno, Purificatio in Hieme, ut quatuor anni tempora singulis B. Virginis solennitatibus decorentur, & ipsius patrocinio defendantur. Sæculo septimo videtur incœpisse in Hispania celebrari hoc festum, de quo habetur in Conc. Toletano X. can. 1. Quoniam ea festivitas non potest suo tempore condigne celebrari, quum tempore Quadragesimæ, vel Paschali occurrat, in quibus nihil de SS. Solennitatibus convenit celebrari, sicut ex antiquitate regulari cautum est .... ideo speciali constitutione sancitur, ut ante octavam diem, quo natus est Dominus, Genitricis etiam ejus dies habeatur solennissimus, & præclarus. Hinc infert Thomass. nullum aliud Deiparæ festum in Hispania solitum celebrari.

5. Die Augusti decimaquinta festum Assumptionis Sanctæ Virginis celebramus ex antiqua institutione, quam nulli Apostolis tribuunt. Sed probabilius est, quod Bernardus tenet ep. 174. Ecclesiam hoc festum instituisse. Quo vero tempore cœperit, dubiæ quæstionis est. Legitur quidem in officio hujus diei homilia quædam nomine Athanasii in antiquis Breviariis. Leguntur item duo Augustini sermones, & unus Hieronymi. Sed in recentioribus Breviariis hæc omnia tanquam

ex dubiis, atque incertis scriptis excerpta, rejecta sunt. Leguntur item alia ex 2. Orat. Damasceni de Dormit. Deipar. sed illa oratio non est magis certa. Nicephorus lib. historiæ 17. cap. 28. tradit, Mauritium Imperatorem, qui regnavit sæculo sexto, constituisse, ut hic dies festus, & sacer haberetur. Putant alii, longe antiquius, seu paulo post Concilium Ephesinum hoc festum celebrari cœpisse, nam ab eo tempore gloria, & honor Virginis Matris, damnato Nestorio, splendidius enituit. Ita Azorius. (Lib. 1. Cap. 20. parte 2.) Tempore autem Caroli M. non erat adhuc festum universale. Nam in Capitul. 1. cap. 158. dicitur: De Assumptione B. Mariæ interrogandum relinquimus. Unde probabile est Mauritium Imperatorem non festi institutorem, sed promotorem fuisse, ut quod ab Episcopis decretum fuerat, authoritate sua, & lege communi per Imperium observari faceret. Quidquid autem de hoc sit, certum est, sensum Ecclesiæ eum esse, ut non solum celebret diem, quo Virgo Mater ex præsenti vita ad cœlos evolavit, sed etiam ejus in carne resurrectionem, & in cœlos corporis assumptionem veneretur. Sed de hac re alibi dictum in prolegom. 3. Occasione libri Melithonis Sardensis. Certe hoc festum jam tempore Gregor. I. celebrari solitum constat ex Præfatione ejus solennitatis, quæ in ipsius Antiphonario habetur, de qua dictum loc. cit.

6. Sexto Idus Septembris, sive mensis hujus die octavo celebratur festum Nativitatis Virginis Mariæ, de quo illud certum videtur, nec ante quintum, nec post sextum sæculum incepisse. Non primum. Nam Augustinus, qui sæculo quinto vixit, semel, atque iterum disertis verbis testatur, (*Serm.* 10. *de Sant.*) nullius alterius ortum ab Ecclesia celebrari, quam D. N. JESU Christi, & Sancti Joannis Baptistæ. Tempore igitur Augustini, sive sæculo quinto, festum Nativitatis B. Mariæ publico ritu in Ecclesia non colebatur. Secundum patet: nam ab Gregorii tempore Præfatio solennis canebatur, quæ pro die Nativitatis B. Mariæ exstat in Sacramentario Gregorii: sæculo ergo sexto, quo Gregorius Ecclesiæ præfuit, jam hic dies colebatur. Sergius I., qui vixit septimo desinente sæculo, pro hoc festo supplicationem publicam dicitur instituisse. Ejusdem meminit S. Ildephonsus, qui vivebat sæculo septimo in lib. de Virginitate B. Mariæ, teste Grimoaldo Abbate. Meminit item liber de Divinis Officiis, qui dicitur ordo Rom., & scriptus habetur sæculo octavo, ubi dicitur: De ea leguntur Homiliæ SS. PP. ad ipsum diem pertinentes. Certe legitur Homilia Sancti Augustini, (*Serm.* 18. *de Sanct.*) ubi sic habetur: Gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata Natali. Sed ea quidem Homilia, quamvis Augustini sit, non est tamen de Nativitate, sed de Annuntiatione scripta. Et quod dicitur: Tantæ Virginis illustrata

Na-

Natali, apud Aug. legitur: Tantæ Virginis illustrata solennitate. Solet enim Ecclesia in Antiphonis, & Lectionibus, ac Responsoriis nonnulla in Scripturis, nedum in Patribus ad rem aliam dicta, pia accommodatione ad præsens festum applicare, ut cuivis legenti notum est.

7. Contra vero nonnulli existimarunt, hanc festivitatem non nisi post nonum sæculum incæpisse. Nam in Conciliis, quæ Caroli M., & Ludovici Pii temporibus, eorum hortatu celebrata sunt, dies festi, qui tunc erant in observatione positi, recensentur, inter quos Natalis Deiparæ non habetur. Celebrata sunt autem ea Concilia sæculo nono: ergo eo sæculo festum Natalis Deiparæ non adhuc erat institutum. Sed hoc solum probat, in Gallicanis Ecclesiis non adhuc eam festivitatem fuisse communi usu receptam, erat autem recepta in Italia, & Hispania, ut ex Gregorio, Sergio, & Ildephonso liquet. Sunt qui putent, tardius adhuc, id est, tempore Innoc. IV. festum Nativitatis Sanctssimæ Virginis institutum decepti authoritate Durandi, quem sequuntur Beletus, & Platina. Verum hi authores non dicunt festum illud, sed Octavam illius Innocentii IV. mandato celebrari.

8. Mens autem, sensusque Ecclesiæ est, per hujusmodi cultum protestari, B Virginem in sua Nativitate sanctam fuisse, quod esse non posset, nisi ante Nativitatem fuisset in utero materno sanctificata. Hinc Bernardus (Ep. 147.) ortum Virginis indubitanter didici ab Ecclesia haberi festivum, atque sanctum firmissime cum Ecclesia sentiens eam accepisse in utero, ut Sancta prodiret. Nec fallitur omnino sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, & omni anno votiva celebritate suscipiens. De qua porro sanctificatione nihil, inquit D. Thomas, (3. *p. q.* 27. *art.* 1.) in Scriptura Canonica traditur; quæ neque de ipsius Nativitate mentionem facit .... tamen rationabiliter argumentari possumus, quod fuerit sanctificata in utero. Rationabiliter enim creditur, quod illa, quæ genuit Unigenitum a Patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis majora acceperit gratiæ privilegia .... Invenimus autem quibusdam aliis hoc privilegialiter fuisse concessum, ut in utero sanctificarentur, sicut Jeremias, cui dictum est: (*Jer.* 1.) Antequam exires de ventre, sanctificavi te, & sicut Joannes Baptista, de quo dictum est: (*Luc.* 1.) Spiritu Sancto replebitur ab utero matris suæ: ergo rationabiliter creditur, quod & B. Virgo sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur. Ubi D. Thomas verbum illud *Rationabiliter* posuit ter. Catharinus vero Ambrosius Cajetanum reprehendit, (*lib.* 4. *contr. Cajet.*) quod sanctam Deiparæ nativitatem, non fide divina credi, sed pie, ac probabiliter teneri dixerit. Catharino item quasi favens Azorius,

 di-

dixit. (*lib.* 1. *cit.c.* 19.) Ecclesiasticam traditionem videri in hac parte fidem facere, nam ex Ecclesiæ traditione multa credimus, quæ ex sacris litteris non habentur. Verum quæ Traditio argumentum fidei faciat, supra (*lib.* 4. *per omn. prop.*) explicatum est, & explicuit optime Azorius ipse in cap. 4. libri octavi, part. 1.

9. Sexto Id. Decembr., sive 8. ejus mensis colitur festum Conceptionis Deiparæ, de quo primum, & antiquissimum decretum post multas, longasque Theologorum discensiones habetur in Concilio Basileensi, ibi Doctrinam asserentem, gloriosam Deigenitricem Mariam, præveniente Dei gratia singulari.... immunem semper fuisse ab omni culpa originali, vel actuali, sanctamque fuisse, & immaculatam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico fidei Catholicæ, certe rationi, & Sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam, & amplectendam esse definimus, & declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare, ac docere. Ita sess. 36. Sed quia Concilium Basileense eo tempore Acephalum erat, imo aperte schismaticum, decretum illud, sicut & alia ipsius multa nullius roboris esse existimata sunt. Unde multo post Concilium Basileense Sixtus IV. edita Constitut. anno Domini 1483. quæ habetur in Extravag. Quam grave de Reliq. & Vener. SS. declaravit, nondum de hac re fuisse a Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum. Porro jam ab tempore Bernardi festum Conceptionis in Ecclesia Lugdunensi celebrari cœptum, constat ex Ep. Bernardi ipsius 157. ad ejusdem Ecclesiæ Canonicos, in qua eos suggillat, quod absque authoritate Rom. Ecclesiæ novum diem Conceptionis induxerint, prætextu supernæ cujusdam revelationis. Quæ autem revelatio hæc fuerit, non explicat. Certe ea videtur fuisse, quæ facta dicitur, regnante in Anglia Guillielmo Normanno, Elpino Abbati. Unde noscitur festum hoc in Anglia primum fuisse celebratum, ac deinde in Galliam ad Lugdunensem Ecclesiam transiisse. Apud Græcos item festum Conceptionis ex Constitutione Emmanuelis Imperatoris celebratum scribit Theodorus Balsamon ad Nomocanonem Photii tit. 7. exstatque sermo Leonis Imperatoris de Concept. Deiparæ. Tempore autem Sixti IV. jam & in Romana Ecclesia celebrari cœperat, qui sedere cœpit ann. Chr. 1471., unde & festum illud devote celebrantibus Pontifex Indulgentias concedit, quas festum Corporis Christi celebrantibus Urbanus IV., & Martinus V. concesserant, ut ex ejusdem Sixti constitut. habetur in Extravag. Quum præexcelsa de Rel. & ven. SS. edita ann. Dom. 1476., non 1466., ut in aliquibus editionibus habetur. Jam vero in cap. Quam grave supr. citato ita habetur: Quum Sancta Rom. Ecclesia de intemerata Virginis Conceptione festum publice, ac solenniter celebret, & speciale, ac proprium super

hoc

hoc officium ordinaverit, damnamus, ac reprobamus eos, qui ausu temerario præsumpserint prædicare, docere, aut scriptis libris asserere, crimen hæresis incurrere, aut quomodolibet mortaliter peccare eos, qui festum hoc celebrant. Item simili pœnæ, ac censuræ, subjicimus eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet, gloriosam Virginem in originali peccato fuisse conceptam, peccatum mortale, aut hæresis crimen incurrere, quum nondum sit a Rom. Ecclesia, & Apostolica Sede decisum. Synodus postea Tridentina Sixti IV. prohibitionem, & censuras confirmavit, (*Sess.* 5.) declaravitque, non esse suæ intentionis comprehendere in decreto, ubi de peccato originali agitur, Deigenitricem Virginem. Sixti etiam Constitutiones confirmavit, cum restrictione tamen, ut contra sentientes, etiam in publicis, aut privatis disputationibus coram viris doctis, ubi nulla esse possit scandali occasio, argumentari, & suam sententiam tueri permittantur. Non ergo adhuc Ecclesia quicquam de reipsa, seu de Immaculata Conceptione Deiparæ definivit, id solum declaravit, non esse habendam hæreticam, aut erroneam sententiam eorum, qui pro exemptione Virginis scripserunt, ac prædicarunt, aut qui festum Conceptionis coluerunt, & colunt. Quamvis autem de hujus festi objecto, nihil aliud definitum sit, patet tamen, intentionem; sensumque Ecclesiæ in eo festo celebrando esse, ut pie credatur, B. Virginem in primo suæ Conceptionis instanti sanctam fuisse, sive a peccato originali præservatam. Quod autem D. Thom. dixit in responsione ad tertium 3. p. q. 27., art. 2. quod licet Romana Ecclesia non celebret Conceptionem B. Mariæ, tamen tolerat consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas, inquit, non est totaliter reprobanda. Interpretatur autem mentem Ecclesiæ aut celebrantis, aut tolerantis sic: Nec tamen per hoc, quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua Conceptione fuerit sancta; sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis ejus, potius quam Conceptionis in die Conceptionis ipsius. Hæc, inquam, responsio, & interpretatio non habet locum in præsenti. Nunc enim Ecclesia Romana non tolerat solum, sed etiam celebrat festum Conceptionis, & Indulgentiis ornat, summoque studio ad ejus celebrationem fideles hortatur, præceptoque adigit. Demum Alex. 7. ad preces Philip. IV. Hispaniarum Regis edita Const. incip. Solicitudo anni 1661. objectum hujus solennitatis, ut pie colatur, non tempus illud incertum, in quo virgo sanctificata fuerit post animationem in materno utero, sed momentum illud certum, ac determinatum, in quo anima Dei gratia a peccato immunis illibato corpori infusa est. Sed de reipsa satis dictum est in lib. 9. p. 10.

10. Quin-

10. Quinto Non. Maji, seu Maji 3. Inventionis Sanctæ Crucis festum celebratur. Sed de eo neque in cap. Pronuntiandum de Consec. dis. 3., neque in cap. Conquestus de Feriis mentio fit, ubi accurate omnia Catholicorum festa recensentur. Fit vero festivæ hujus institutionis memoria in eadem dist. 3. cap. Crucis, ubi ex persona Eusebii Papæ, ita habetur: Crucis D N. JESU Christi, quæ, nobis gubernacula S. R. E. tenentibus, nuper inventa est 5. Non. Maji,... Inventionis diem vobis solenniter celebrare mandamus. Sunt qui Decretalem istam spuriam esse, aut vitiatam existiment, & pro Eusebio legendum Silvestrum, quod & verisimilius esse, putat Azorius. (*Part.* 2. *lib.* 1. *cit. cap.* 16.) Tamen in 1. tom. Conciliorum habetur Epist. Eusebii Papæ ad Episcopos Thusciæ, & Campaniæ, unde desumpta sunt verba, quæ habentur in cap. Crucis. Aliunde vero nec stylus Decretalis illius videtur quarti sæculi, nec temporum ratio cum Eusebio congruit. Nam peregrinatio Helenæ in Palæstinam ponitur ab Historicis post Concilium Nicænum, id est, anno Christi 326., quo tempore jam post Melchiadem Eusebii Successorem, sedebat Silvester. Sunt qui & totam Inventionis Sanctæ Crucis historiam fabulosam putent. Quî enim fieri posset, ut Eusebius Cæsariensis Constantino coævus, qui quatuor libros de vita Constantini scripsit, atque matris ejus sæpe cum laude meminit, de hac re omnino tacuerit? In Damasi Pontificali dicitur: Crux Domini Eusebii tempore inventa est 5. Non. Maji. Baptizatur quoque Judas, postea Cyriacus dictus, Crucis Inventor, ubi de Helena nihil. Testimonia, quæ afferuntur Ambrosii, Paulini, Severi Sulpitii, Cassiodori, Socratis, Theodoreti rem non probant. Hi enim narrata, & sibi bona fide credita narrant, non investigant, ut in aliis multis passim usuvenit, ut quæ audivimus, aut legimus, data occasione proferamus. Unde post Ambrosium, Paulinum, & Ruffinum scribens Gelasius Papa in cap. Sacrosancta dist. 15. Scripta de Inventione sanctæ Crucis, & de inventione Capitis S. Joann. Baptistæ, novellæ quidem revelationes, (alias relationes) sunt, & a nonnullis Catholicis leguntur; sed quando hæc ad Catholicorum manus pervenerint, Pauli Apostoli sententia præcedat: (1. *Thes.* *cap.* 5.) omnia probate, quod bonum est, tenete. Hæc de Inventionis historia dicta sunto. Sive autem hac, sive alia occasione institutum sit festum, jam ab quarto sæculo celebratum est, & in Martyrologiis antiquis commendatum Bedæ, Usuardi, Adonis, itemque apud Ordinem Roman.

11. Tertio Kalend. Octobr. seu 29. die Septembr. Colitur festum Sancti Michaelis, & Angelorum omnium, quod diserte memoratur in cap. Pronuntiandum, cap. Conquestus sæpe citatis. Occasio autem videtur fuisse celebris Apparitio Sancti Archangeli in monte Gargano,

quæ

quæ contigit tempore Gelasii primi, cujus agitur memoria 8. Id. Maji. Inde & Romæ templum in ejus honorem Deo dicatum est in Circo maximo, sedente Bonifacio, cujus Dedicationis festum annua hac celebritate recolitur. Porro cultus Sancti Michaelis, & ædium ipsi dicatarum mentionem obiter fecit Theodoretus, ut dictum alibi.

12. Octavo Kal. Jul. occurrit festum Natalis Sancti Joannis Bapt., de quo in cit. cc. Pronuntiandum, & Conquestus. Hoc festum esse in Ecclesia antiquissimum, patet ex Augustino supr. citato, & adhuc antiquiori Chrysostomo in homilia de Nativ. Sancti Joannis, in qua illud tradit, Joannem conceptum fuisse 8. Kalend. Octobris, sive die 24. Septembr. Hinc in Martyrologiis Bedæ, Usuardi, Adonis habetur: Octavo Kal. Octobr. Conceptio Sancti Joannis Baptistæ, non quod in ipsamet Conceptione Sanctus fuerit, sed quod tunc conceptus fuerit, qui totidem dotibus futurus fuerat insignis, ut inter natos mulierum major haberetur Præcursor Domini, Propheta, Doctor, Virgo, Martyr demum. In quorum munerum venerationem tres olim Missæ dicebantur apud Albinum, (*de divin. offic. c de Joann. Bapt.*) & Amalarium, (*de reb. Ecclesiast. cap.* 3.) & Ordinem Romanum. Quod non ita intelligendum est, ut in eodem die tres Missæ dicerentur, sicut in Natali Domini, sed quod tribus diebus continuis Missa de S. Joanne Baptista diceretur, una quidem in Pervigilio, duæ aliæ in duobus diebus sequentibus, ut diserte explicuit ordo Romanus cap. ult. Nunc vero, festo Conceptionis omisso, dies duo, ac totidem Missæ de Joanne in Romana Ecclesia aguntur, altera de ejus Natali, quæ festiva est 24. Junii, altera de ejus morte 4. Kalend. Septembr. Quoniam enim Joannes occisus est anno Christi 32. currente, & quidem Paschali tempore, ut Beda testatur in 6. Marci, Ecclesia autem antiquitus nullius Sancti festum Paschali tempore celebrabat, ideo festum Decollationis S. Joannes translatum est ad 29. Augusti, quando Edessæ caput ejus inventum est. Festum autem dixi Chori, non fori.

13. Festa Apostolorum hoc ordine celebrantur. 24., aut 25. Februar. in anno bissextili S. Matthiæ Apostoli. Kalend. Maji Philippi, & Jacobi Alphæi, sive Minoris. 29. Junii Petri, & Pauli. 25. Julii Jacobi Majoris. 24. Aug. Bartholomæi Ap. 21. Septemb. Matthæi. 28. Octobr. Simonis, & Thaddæi. 30. Novemb. Andreæ. 21. Decembr. Thomæ. 27. Decembr. Joannis Evang. Verisimile est, hujusmodi solemnitatis, non communi aliquo Ecclesiæ decreto, sed sensim consuetudine Ecclesiarum, pietate Successorum inductas, atque ad totam deinde Ecclesiam cum rerum ab ipsis gestarum notitia propagatas. Certe jam sæculo secundo Clem. in 8. Constit. cap. 43. dierum me-

meminit Apostolorum memoriæ dicatorum, ac deinceps omnia quum Græca, tum Latina Martyrologia.

14. Quinto Kal. Januarii proxime post Natalem Domini festum agimus SS. Innocentium, quos velut erumpentes Ecclesiæ gemmas tyrannicæ persequutionis pruina decoxit, ut pulchre ab Augustino dictum est. (*Serm.* 10. *de Sanctis.*) Ex quo patet, tempore Augustini, id est, quinto sæculo jam Innocentium memoriam in Ecclesia festivam fuisse. Imo longe ante Augustinum Origenes, qui tertio vixit sæculo hom. 3. in Matth. Bene, inquit, & secundum voluntatem Dei eorum memoriam celebrari mandarunt sempiternam in Ecclesiis, tanquam eorum, qui pro Domino mortui fuerint. An vero Martyres dici possint, ut eos Irenæus vocat, (*lib.* 3 *cap.* 18.) alibi explicatum est. (*lib.* 6. *prop.* 18.)

15. 26. Decembr. agitur festum Sancti Stephani, quod antea apud Durandum (*in rationali Divinor. Offic. lib.* 7. *cap.* 44.) celebrari consueverat die 3. Augusti, quo & nunc Inventionis ejus memoria colitur, quæ contigit ann. Christi 415. Quod vero Augustinus, Fulgentiusque asserant, festum S. Stephani suo tempore celebrari post diem Natalem Domini, seu 26. Decembris, non obstat, quum Augustinus, & Fulgentius exeunte sæculo quinto scripserint, quo ineunte, id est, ann. 415. festum translatum erat.

16. Quarto Id. Aug. occurrit festum item antiquissimum Sancti Laurentii M. de quo in cap. Pronuntiandum, & Conquestus adductis. In Martyrologio Romano passus dicitur sub Valeriano; alia vero Martyrologia, imo & Acta ipsius Martyrii sub Decio occisum esse, tradunt. Sed utrumque verum esse potest. Nam Decii persequutio, quamvis ab ipso indicta, & incœpta fuerit, atque ab eo propterea nomen acceperit, tamen post Decii tempora perduravit, novo edicto a Valeriano confirmata. Unde, qui passi sunt sub Valeriano, non incongrue dicuntur sub Decio passi. Et sic intelligenda sunt Acta Martyrii, & reliqua Martyrologia. De cætero autem sub Valeriano passum esse Laurentium, aperte convincitur ex S. Cypriano, qui certum nuntium de morte Sixti se accepisse, scribit. Laurentius autem triduo post mortem Sixti martyrio coronatus est. Nuntium autem mortis Christi acceperat Cyprianus paulo ante mortem suam, nam martyr occubuit eodem anno, quo Sixtus, ut Pontius Diaconus in ejus vita testatur coævus Scriptor.

17. Sanctorum Joachim, & Annæ festa recentiora sunt, neque in cap. Conquestus habentur a Greg. IX. memorata. Illud antea colebatur 20. Martii usque ad tempora Bened. XIV., qui ad Dominicam infra octavam Assumptionis illud transtulit. De sancta Anna festum agitur die 26. Julii. Item recentioris ævi est festum Sancti Joseph, quod

quod 19. Martii celebratur. Alii sunt dies festi non jure communi in tota Ecclesia recepti, sed particularium Eclesiarum consuetudine, aut constitutione inducti, ut festa Sancti Silvestri, Martini, de quibus in cap. Pronuntiandum, de Consecr. dist. 3. Augustini, Antonii Patavini, de quibus omnibus hic non loquimur. Alii item antiquitus dies festi erant, ut feriæ Rogationum, quibus per contrariam consuetudinem derogatum est, cui in rebus hujusmodi Juris positivi maxime deferendum.

18. Denique festum omnium Sanctorum Kal. Nov. de jure communi ex præcepto celebratur. Cœpit hoc festum primum celebrari Romæ ex mandato Bonifacii IV. in memoriam omnium MM., quod deinde Gregorius IV. dicitur, ad omnes Occidentis Ecclesias extendisse. Azorius (*lib.* 1. *cap.* 25. *p.* 2.) putat, jam Caroli Magni tempore celebratum fuisse, sed non adhuc in Gallia receptum: at neutrum probat. Certe Augustini, & aliorum antiquorum Patrum Homilias, & Sermones in festivitate omnium SS., vel ex hoc capite supposititias esse, manifestum est. Quæ Augustini nomen præseferunt, Alcuino ab aliquibus tribuuntur; sed & de hoc dubium est. Alcuinus enim Caroli Magni ætate vixit, quo tempore festum illud in Gallia receptum non fuisse, scribit Azorius, ex quo hæc selectiora decerpsimus. Videndus Baronius in Not. ad Martyrol. Durandus in Rational. Prosp. Lambertinus de fest. Eccles.

19. Jam vero dierum festorum instituendorum authoritatem Episcopis de jure communi competere, non est ambigendum. Dicitur enim in cap. Conquestus de Fer. eos dies festos esse colendos, quos singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero, & populo duxerint solenniter venerandos, quod idem prorsus habetur in cap. Pronuntiandum. Ex qua disciplina Tridentinum Ses. 25. cap. 12. de Regularibus: Dies, inquit, festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab Exemptis omnibus, etiam Regularibus, observentur. Hinc inferunt Canonici juris Interpretes, Episcopum per sese, inconsulto Clero, & populo, aut ejus nomine Civili Magistratu, dies festos instituere non posse, quum eorum observatio ad eos maxime pertineat, & juxta commune Juris axioma, quod ad omnes attinet, communi omnium consensu stabiliendum sit. Hic adhibenda quoque limitatio est, ut non possint Episcopi dies festos instituere, nisi de iis mysteriis, advocationibus, aut Sanctis, quos Ecclesia publico ritu veneratur, & colit. Non enim licet pro lubitu Episcopi, aut publico populi accedente consensu in honorem alicujus Sancti non solenniter Canonizati, aut advocationis alicujus non in Ecclesia approbatæ festum instituere, postquam hujusmodi Approbatio, & Canonizatio Sedi Apostolicæ reservata est gravissimis de causis, de quo alibi.

bi. (*lib.* 18. *prop. ultima.*) Idque statutum est in cap. Audivimus de Reliq. & Ven. SS., ubi Alexand. III. Canonica lege sancimus, ne liceat pro Sancto absque authoritate Rom. Ecclesiæ aliquem colere, & venerari, atque adeo nec festum diem in ejus honorem instituere. Unde quod dicitur in cap. Conquestus intelligendum est, supposita approbatione, & permissione Rom. Ecclesiæ, ut meliores Juristæ interpretantur, attenta præsentis Ecclesiæ disciplina, quamvis olim, dum illa solennis canonizatio, & rituum approbatio aut non erat, vel non erat Romano Pontifici reservata, aliter usus ferret.

20. Nec tamen dubium est, quin Principes, & Magistratus possint dies quosdam in anniversariam memoriam Coronationis *v. g.* suæ, aut insignis victoriæ, vel alterius profanæ actionis instituere, & lege observandos præcipere, quod ad cessationem Tribunalium attinet, aut etiam interdictionem operum servilium, ut exemplo omnium Historiarum patet. Possunt item in honorem Dei, ac cœlitum, se, suosque subditos ad aliquorum dierum observationem obligare, quod ex Antiquorum Christianorum Principum Constantini, Justiniani, Mauritii edictis, & legibus patet. Hoc tamen, quamvis inconsulto populo, cujus nomine regnant, non tamen inconsulto Episcopo, & Clero, alias festum sic institutum solum civile, aut profanum erit, non Ecclesiasticum, & sacrum. Quia vero cujus est legem indicere, ejusdem est in lege dispensare, patet, in civilibus festis, & quod ad civiles effectus attinet, Principem, aut publicum Magistratum dispensare posse, ut contraventores statutas pœnas non incurrant; in festis autem sacris, & Ecclesiasticis ab interna obligatione eximi non posse quemquam nisi authoritate Episcopi, aut Parochi, qui invigilant quasi rationem pro animabus nostris reddituri. (*Mat.* 12.) Dominus enim est filius hominis, etiam Sabbathi, atque adeo & illi, qui filii hominis authoritate Ecclesiæ præsunt, & quos qui audiunt, filium Dei audiunt.

21. Quæ vero liceant, quæ non liceant in diebus festis, non tam subtilibus speculationibus ex ipsarum rerum, & operum natura petitis inquirendum est, quam ex consuetudine, & recepto usu Ecclesiarum, in quibus vivimus, & versamur. Ecclesiam primitivorum jam mortuorum suspicere, ac revereri debemus; audire autem jubemur, id est, nostros mores conformare tenemur præsenti, & vivæ Ecclesiæ, quæ sive olim, sive nunc columna est, & firmamentum veritatis. Breviter, ac sapienter Scævola apud Macrob. 1. Saturnal. interrogatus, quid in diebus feriatis fieri liceret? Quod, inquit, prætermissum noceret. Sui ergo, & proximi Charitas, quæ maximum est, & primum mandatum, cæterorum esto regula. Quidvis fieri potest, ex quo nostrum, aut proximo impendens nocumentum fugiatur. Mihi

in-

indignamini, (*Matt.* 12.) quia totum hominem salvum feci in Sabbatho? Nescitis, quid fecerit David, quando esuriit? Nescitis, quia Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt? Si scîretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium? Si Sabbatho eciderit ovis in foveam, nonne tenebis, & ligabis eam? Nimirum, non homo propter Sabbathum, (*Marc.* 2.) sed Sabbathum propter hominem factum est. Sanctificatio hominis finis Sabbathi, non sanctificatio Sabbathi finis hominis. Hæc sunt Christi Domini de sanctificatione Sabbathi doctrinæ, & exempla. Unde ejusdem charitatis, & lenitatis spiritu informata Ecclesia quædam opera concedit in die Dominica, quæ in die Sabbathi prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia hujusmodi, nec est tam arcta prohibitio operandi in Dominica, sicut in die Sabbathi, quod est apud D. Thom. (2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 4.) Et etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in nova, quam in veteri lege. Opera enim secundum se considerata immutantur pro loco, & tempore. Unde in præsenti statu Ecclesiæ, & constitutione Reipublicæ potest hic, & nunc necessarium haberi, quod alibi, & olim necessarium non fuerit. . . . .

22. Præceptum autem de observatione festorum partim Ecclesiasticum, partim divinum, & naturale est. Tenemur enim jure naturæ tempus aliquod destinare divino cultui, & jure divino tenemur dies, aut tempora ita divino cultui destinata pie, ac religiose transigere, id est, dies festos sanctificare. Quum autem multis operibus, & actionibus dies sanctificari possit, Ecclesia maximum, præstantissimum, & Religiosissimum designavit, nimirum, Missæ sacrificium. Utrumque autem præceptum sive divinum, sive Ecclesiasticum partes continet duas, sive obligationes. Aliam negativam, nimirum, cessationem ab operibus servilibus, sive ab omni eo, quod divino cultui adversatur, aut eum impedit.... (*loc. cit. ad tertium*.) Et quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per aliud opus per se licitum, quamvis corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud opus corporale per se licitum facit. Unde Ambros. super illud Luc. 13. Lex in Sabbatho non prohibet hominem curare, sed servilia opera facere, id est, peccatis gravari prohibet. Et Augustinus: (*lib. de decem chordis cap.* 3.) Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam si in theatro seditiosus existeret, & melius fœminæ eorum in Sabbatho lanam facerent, quam si tota die in Neomeniis suis impudice saltarent. Non vero qui peccat venialiter in Sabbatho, contra hoc præceptum facit, quia peccatum veniale non excludit sanctitatem.

23. Aliam item obbligationem præceptum hoc importat positivam,

 ni-

nimirum, diem festum sanctificare, sive vacare operibus, quibus divinum nomen, & nos sanctificemur. Atqui non videtur sanctificari dies, nisi totus, aut saltem magna ejus pars in Dei cultum impendatur. Nam quota pars diei est semihorula, qua Missæ assistitur, inquit hic Van-Espenius? Non igitur per solam Missæ auditionem, aliis sanctis operibus omissis, festum sanctificatur, ad quod præcepto Decalogi tenemur. Propter hoc argumentum multi putant cum cit. Van-Espenio, per solam brevis Missæ auditionem satisfacere quidem Christianum præcepto Ecclesiastico, sed non præcepto divino de sanctificatione festorum, nisi alia pia opera addantur ad cultum Dei, & nostram sanctificationem spectantia. Ita Cathechismus Conc. Tridentini, Catechismus Hieron. Ripaldæ, qui magnæ sunt authoritatis, utpote qui fere nihil nisi D. Thom. doctrinam continent. Certe D. Thomas in 4. Sentent. dist. 32. unde desumptum est Suppl. in 3. part. q. 65. art. V. diserte docet, non licere conjugi in die festo petere debitum. I. quidem argumento a paritate. Nam sicut sunt, inquit, loca, ita tempora sacris deputata; sed in loco sacro non licet petere debitum: ergo nec in tempore sacro. II. quia actus matrimonialis, quamvis culpa careat, nec sit opus servile, tamen quia rationem deprimit propter vehementiam delectationis, reddit hominem ineptum ad spiritualia, & ideo in diebus, in quibus præcipue spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum. Ibidem ad secundum docet, quod quamvis non teneatur homo in die festo omnibus horis orare, tamen tenetur tota die se conservare idoneum ad orandum. Docet autem ibi D. Thomas, conjugalem copulam, & similiter quamcumque aliam occupationem, quæ hominem ab actuali devotione, aut exercitio pietatis avertat, non esse mortaliter peccaminosam, sed solum venialiter, nam diei festivitas, inquit, non est circumstantia trahens in aliam speciem peccati, unde non potest in infinitum aggravare, & ideo non peccat mortaliter conjux debitum petens. Ex qua doctrina patet sensus sententiæ illius D. Thomæ supra ajentis: Magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit. Videtur namque sententia hæc falsa esse: si enim vera esset, circumstantia diei festi mutaret speciem, nam fornicatio, quæ per se solum opponitur Castitati, commissa in die festo, opponeretur Religioni: unde consequenter qui fornicaretur in die festo, teneretur in confessione eam circumstantiam exprimere, quod etiam piorum hominum consuetudo non fert, ut Cajetanus dixit. Hoc igitur argumentum occupavit D. Thomas quum dixit, circumstantiam diei festi non aggravare in infinitum, nec trahere peccatum in aliam speciem, sed solum addere peccato majorem indecentiam, & incongruitatem,

ut

ut ibidem ad secundum. Ratio autem est, quia de cultu Dei, sive de Religione semper habemus præceptum, dicente Apostolo: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quum ergo peccatum per sese non sit dirigibile in gloriam Dei, manifestum est, omne peccatum, quocumque fiat tempore, esse oppositum Religioni, sive sanctificationi divini Nominis, unde de peccato Davidis dictum est: (2. *Reg. cap.* 12.) Blasphemare fecisti nomen meum in Gentibus. Et D. Thomas (2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 1.) itidem dicit, præceptum de Sabbatho secundum moralem significationem, prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo, esse cæremoniale, & in hoc sensu esse quodammodo generale præceptum, atque adeo peccatum in die festo commissum non importat specialem deformitatem in confessione explicandam, excepto contemptu, aut scandalo irreligiositatis, quale erat in eis, qui dicebant: (*Ps.* 73.) Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

24. Ex quibus omnibus, præcisis ambiguitatibus speculabilium rationum, quarum nullus est finis, instruendus est populus Christianus, quærere Deum in simplicitate cordis, atque in festis diebus Deo dicatis cum omni custodia servare cor suum, Missæ sacrificio integre, ac devote interesse, ac toto reliquo die vacare ab operibus servilibus, atque ab omnibus aliis, quæ ab divinis animum avocarent, ac Dei immemorem redderent. Instruendus, ipsammet cessationem a peccato, & ab occupationibus terrenis, corporalibus, quæ mentem deprimunt ad cura sæculi, hanc, inquam, cessationem propter Dei honorem in die festo susceptam, sanctam esse, ac Deo gratam, non minus, quam quietem corporis, dum suscipitur ad quotidianos vitæ labores utilius, & avidius repetendos. Instruendus denique, ipsam deambulationem, ipsam recreationem, & amicorum convictum, & innocentes jocos, & colloquia, ac reliqua hujusmodi, imo & ipsum quum virorum, tum fœminarum cultiorem, & elegantiorem ornatum in die festo ad Dei cultum referri posse, ac debere, ac referri ab iis, qui non sibi laborem fingunt, ac difficultatem fingunt in præceptis, sed in spiritu, & veritate lætantur in Domino, & confitentur memoriæ sanctificationis ejus.

PRO-

PROPOSITIO V.

Eccleſiaſtici Jejunii indoles, ſanctitasque adſtruitur.

1. SEcundum Eccleſiæ præceptum eſt, ut deſignatis, ac præſcriptis ab Eccleſia diebus jejunium cuſtodiatur. Eſt autem Jejunium multiplex. Aliud quidem Spirituale, ſeu Myſticum, nimirum, abſtinentia a peccato, de qua Is. 58. Nonne hoc eſt magis jejunium, quod elegi? diſſolve colligationes impietatis &c. Docet enim Scriptura, inquit Aug. (*lib.* 2. *qq. Evang. q.* 18.) generale jejunium, non a concupiſcentia ciborum tantum; ſed ab omni lætitia temporalium voluptatum. Aliud eſt jejunium Morale, eſtque parſimonia illa, aut moderatio cibi, & potus, quæ pertinet ad temperantiam, cujus duæ ſunt partes Abſtinentia, & Sobrietas, de quibus (*lib.* VI. *prop.* 30.) dictum eſt. Aliud eſt jejunium naturale, ſive omnimoda abſtinentia ab omni cibo, & potu, veluti quum Medici præſcribunt, ut tale pharmacum a jejuno ſumatur, id eſt, ante omnem alium cibum, aut potum. In quo etiam ſenſu Eccleſia jejunium præſcribit Euchariſtiam ſumpturis. Denique aliud eſt jejunium Eccleſiaſticum, eſtque apud Bellarminum: (2. *de Jejunio cap.* 1.) abſtinentia a carnibus ſecundum Eccleſiæ regulam aſſumpta. Quatuor autem circa jejunium Eccleſiaſticum obſervanda. Primum ciborum delectum, in quem multum invehuntur Hæretici Kemnitius, Calvinus, Dallæus tanquam ſuperſtitioſum, & erroneum, veluti Manicheiſmi, aut Montaniſmi, vel ſaltem Judaiſmi ſurculum. De hoc vero late diſſeruimus libr. 6. propos. 30. Hoc igitur ibi conſtituto, ſtatutum eſt, ut una tantum in diebus jejunio deputatis comeſtio fiat, ut jejunantes a carnibus abſtineant, utque jejunium ante Veſperam, aut ſaltem ante horam nonam non ſolvatur. De ſingulis his capitibus ſeorſim diſſeremus. Et primo quidem ſtatuendum eſt, jejunium eſſe actum virtutis.... (2. 2. *q.* 147. *art.* 1.) Ex hoc enim aliquis actus virtuoſus eſt, quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honeſtum, hoc autem convenit jejunio. Aſſumitur enim jejunium principaliter ad tria. Primo quidem ad concupiſcentiam carnis reprimendam, unde Apoſtolus dicit: (2. *Corinth. cap.* 6.) in jejuniis, in caſtitate, quia per jejunium caſtitas conſervatur. Unde & Hieronym. dicit, (2. *contra Jovinian.*) quod ſine Cerere, & Bacho friget Venus, id eſt, per abſtinentiam cibi, & potus tepeſcit luxuria. Secundo aſſumitur jejunium ad hoc, ut mens elevetur ad ſublimia contemplanda, unde dicitur Dan. 10. quod poſt jejunium trium hebdomadarum revelationem accepit. Tertio ad ſatisfaciendum Deo pro preccatis. Unde dicitur Joel. 2 Con-

ver-

vertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu. Unde Aug. in serm. de Orat. & jejun. (230. *de temp.*) Jejunium purgat animam, mentem sublevat, carnem Spiritui subjicit, cor facit contritum &c. Deinde eadem est materia habitus, & actus. (*q. cit. art.* 2.) Unde omnis actus virtuosus, qui circa aliquam materiam versatur, ad illam virtutem pertinet, quæ medium in materia illa constituit. Jejunium autem attenditur in cibis, in quibus medium constituit Abstinentia: jejunium igitur est actus abstinentiæ. Abstinentia autem virtus est, & pars Temperantiæ ponitur a Philosophis, ut supra habitum est. (*lib. 6. p.* 30.) ergo.

2. Secundo consequenter dicendum est contra præcitatos Hæreticos, jejunium cadere sub potestate Legislativa Ecclesiæ, sive posse Ecclesiam jejunia indicere, & sub gravi obligatione præcipere.... (*q. cit. art.* 3.) Nam sicut ad sæculares Principes pertinet leges ferre juris naturalis determinativas ad utilitatem communem in temporalibus, ita ad Ecclesiæ Prælatos spectat ea statutis præcipere, quæ pertinent ad communem utilitatem fidelium in spiritualibus bonis. Dictum est autem, quod jejunium utile est ad frænandam concupiscentiam, ad cohibitionem culpæ, atque ad elevationem mentis in spiritualia. Iis autem, quæ sunt ad finem aliquem necessaria, jure naturæ tenentur uti quicumque ad finem illum contendunt. Tenentur autem omnes fideles ad frænandam concupiscentiam &c..... Unusquisque igitur ex naturali ratione tenetur in tantum uti jejunio, quantum sibi necessarium est ad prædicta, & ideo jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ. Sed determinatio temporis, & modi jejunandi secundum convenientiam, & utilitatem populi Christiani cadit sub præcepto juris positivi, quod est a Prælatis Ecclesiæ institutum..... (*ibid. ad Primum.*) Licet ergo jejunium secundum se consideratum non sit aliquid eligibile, sed pœnale quidem, sicut scissio venæ, redditur tamen eligibile, & appetendum, secundum quod est utile ad finem aliquem spiritualem. Et ideo absolute consideratum non est de necessitate præcepti unicuique tali remedio indigenti. Et quia multitudo hominum, ut plurimum, indiget tali remedio, tum quia in multis offendimus omnes, ut dicitur. Jac. 3., tum quia caro concupiscit adversus Spiritum, ut est ad Galat. 3., tum quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, (*Sap.* 9.) atque ad terrena deprimit; conveniens fuit, quod Ecclesia aliqua jejunia indiceret ab omnibus communiter observanda, non quasi præcepto subjiciens id, quod simpliciter ad supererogationem pertinet, ut Calvinus voluit, (4. *instit. cap.* 12.) sed quasi in speciali determinans id, quod in communi omnibus necessarium est, atque ex jure ipso naturali descendit. Ut enim propter corporis valetudinem, aut propter sapien-

pien-

mandam, ita tamen ut salvetur natura, atque ad alias occupationes vitæ idonea, atque apta conservetur. Ad hoc autem satis esse videtur unica comestio, per quam homo simul & naturæ necessitati satisfacit, & tamen concupiscentiæ quicquam detrahit diminuto comestionum numero. Et ideo Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur.... (*art.* 6. *ad primum*.) Non autem intendit Ecclesia indicere prohibitionem potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & concoctionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, quamvis etiam aliquo modo nutriat, & ideo licet jejunantibus sæpius bibere. Si autem quis immoderate potu uteretur, peccaret, & meritum jejunii perderet, sicut qui immoderate semel quidem, sed nimis manducaret. Similiter Electuaria, etsi aliquomodo nutriant, non tamen principaliter sumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum, unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem jejunii Electuaria in magna quantitate assumeret, aut eo modo condita, ut cibus potius, quam potus videretur. Exstatque hujus disciplinæ argumentum insigne in Actis Martyrii S. Fructuosi, Tarraconensis Episcopi. Nam quum jamjam rogum subituro, Christiani, si quomodo possent, Pastoris sui amantissimi dolorem, mortemque acerbissimam delinire, poculum aromatibus conditum propinarent, ille abstinentiæ rigidissimus custos: Sinite, inquit, filioli, nondum est hora solvendi jejunii.

4. Secundo igitur statuit Ecclesia, ut tardius in diebus jejuniorum refectio assumeretur, & jam versus occasum vergente Sole, ut non jam prandium, sed cœna esset.... (*art.* 7. *in corpore*.) Nam sicut dictum est, jejunium ordinatur ad concupiscentiam subingendam, & culparum expiationem. Unde oportet, ut aliquid in eo fiat præter communem vitæ consuetudinem, alias natura non pateretur; nec tamen oportet, ut ita patiatur, ut nimium gravetur, & quotidianis vitæ occupationibus inepta reddatur. Est autem debita, & communis hominum consuetudo comedendi circa meridiem, sive horam diei sextam. Unde Joseph Gen. 43. cum fratribus ad meridiem prandet, & Esdræ 2. cap. 8. populus in meridie dimittitur ad capiendum cibum. Similiter Danielis 13. terminatis hora sexta judiciis dicunt Senes: Eamus domum, quia hora prandii est. Apud Plautum Parasitus queritur de hora meridiana, & Plutarchus (*lib.* 8. *de Problem. Convival.*) ab eadem hora prandium dictum vult quasi πχρενδιον. Idem apud antiquos observatum. Unde apud Joann. 4. hora quasi sexta discipuli Domino prandium præparaverunt. Actor. 10. Petrus prandium sibi parari jubet hora sexta. Videturque hoc naturæ consentaneum... tum quia videtur esse completa digestio, nocturno tempore naturali

calore interius revocato propter frigus noctis circumstans, & diffuso per membra humore cooperante calore diei usque ad summum Solis ascensum, tum etiam quia tunc præcipue natura humani corporis indiget adjuvari contra exteriorem aeris calorem, ne humores interius adurantur, maxime accedente defatigatione matutini laboris .... Ut igitur jejunans afflictionem aliquam experiatur pro culparum expiatione, conveniens hora comedendi taxatur jejunantibus circa horam nonam.... Non est enim magnum temporis spatium ab hora sexta, in qua communiter homines prandere consueverunt usque ad horam nonam, quæ jejunantibus determinatur, & ideo talis taxatio temporis non multum potest alicui nocere, cujuscumque conditionis sit, vel si forte ratione infirmitatis, aut ætatis, vel hujusmodi in gravamen magnum cederet, esset cum eis in jejunio dispensandum, aut indulgendum, ut horam prævenirent .... Convenit etiam hora illa mysterio Passionis, quæ completa fuit hora nona, ut videantur ii salubriter jejunare, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis ad Galat. 5. Quod autem de hora nona cum D. Thoma dictum est, intelligitur de communibus jejuniis. In Quadragesimali enim jejunio, quod semper habitum est maximum, & Religiosissimum, abstinentia usque ad Vesperam protendebatur.

5. Hujus autem rei locupletissimos habemus testes Patres, Concilia, & Ecclesiasticos Authores. Post communionem, inquit Athanas. (*lib. de Virginitate.*) hora nona comede. Basilius orat. 1. de jejun. Expectas, inquit, vesperam, ut cibum capias. Epiphanius versus finem libr. de Hæresibus. Quarta, inquit, & pro Sabbatho jejunium statutum est usque ad horam nonam; sex autem diebus ante Pascha jejunatur usque ad Vesperam. Paulinus ad Amandum: (*Epist.* 6.) Pauperem, inquit, mensam vespertinus conviva non respuit. Non putemus, ait Chrysostomus, (*homil.* 4. *in Genes.*) inediam usque ad vesperam nobis sufficere ad salutem. Eadem tradunt Ambros. Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Benedictusque in Regul. apud Bellarminum. (*cap.* 2.) Apertissime Bernardus: Hactenus, inquit orat. 3. de jejunio Quadragesimæ ad Monachos suos loquens, hactenus soli jejunavimus usque ad nonam: nunc usque ad Vesperam jejunabunt nobiscum Reges, & Principes, Clerus, & populus, nobilis, & ignobilis, simul in unum dives, & pauper. Ex quibus Micrologus de Eccles. observationibus cap. 49. In hoc, inquit, quadragesimale jejunium ab aliis differt, quod in aliis post Nonam, in hoc autem post Vesperam reficere debemus, nec juxta Canones quadragesimaliter jejunare censemur, si ante vesperam reficimur. Canon autem ab hoc authore citatus ille esse videtur, qui exstat apud Gratianum in cap. Solent de Consecr. dist. 1. ex Concilio

Ca-

Cabilonensi, ibi: Solent plures, qui se jejunare putant in Quadragesima, mox ut audierint signum ad horam nonam manducare. Qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum officium celebretur. Est enim Ecclesiastica consuetudo, pergit idem Micrologus, ut ad Nonam refectio fiat, quum ad Sextam Missam celebramus, ad Vesperam autem, quum sacrificamus ad Nonam. Hæc ille ex antiqua consuetudine, quam primi Christiani ex priscorum Patrum usu in Mosaica lege desumpsisse videntur, ut de Davide, Daniele, Juditha ex Scripturis constat, qui jejunasse laudantur usque ad vesperam, quo enim magis jejunium protrahitur, cæteris paribus, perfectius, ac religiosius esse videtur.

6. Hic vero calumniandi occasionem arripit Kemnitius in 4. part. Examinis Conc. Trident. Reprehendit enim Catholicos, quod utrumque hoc antiquum Ecclesiæ statutum neglexerint. Nunc enim in hora refectionis nullum est discrimen inter dies jejuniorum, & reliquos communes anni. Quocumque enim die ad sextam horam, vel Meridiem, aut circiter refectio sumitur, nisi quod antiquitus ordine inverso tardius Monachi, & viri Ecclesiastici, quam Sæculares potentes, ac divites epulabantur; nunc autem contra. Præterea nostris temporibus non semel, sed bis Christiani, primum quidem sub meridiem, deinde ad noctem tenui cœnula corpus reficiunt. Hæc Kemnitius, cui Bellarminus (*loco cit.*) respondet I. eam mutatiunculam non esse ab Ecclesia dispositam, aut probatam, sed solum toleratam, & contrarium optare, ac præseferre, & multos ferventiores Christianos adhuc observare. Respondet II. neque unicam refectionem, neque certam horam refectionis fuisse primum per Canones stabilitam, sed ex consuetudine inductam, ac deinde per Canones confirmatam, ut supra dictum est. Quæ autem non sunt divino jure præscripta, sed Ecclesiastica lege, aut consuetudine vim legis habente inducta, posse pro locorum, aut temporum diversitate variari. Nam & apud veteres non idem erat jejunii etiam Quadragesimalis ritus. In aliis usque ad nonam regionibus, in aliis usque ad vesperam abstinebant: in aliis Sabbatho jejunabatur, in aliis non item. Feria quinta quandoque fuit ab jejunio immunis, deinde eidem oneri subjecta, ut ex multis Canonibus, & Patrum locis eruitur, & infra dicetur. Itaque tametsi nostro tempore severitas jejuniorum aliquantulum relaxata videatur, tamen non ideo reprehendendi sunt Christiani, qui morem in Ecclesia introductum, & a Pastoribus vel probatum, vel permissum observant. Adde, nostro tempore quamvis non severius jejunetur, crebrius tamen jejunari multis Sanctorum Vigiliis additis. Respondet III. non carere probabili ratione mutationem illam horæ nonæ in sextam. Nam quando veteres taxarunt horam nonam pro solutione jejunii, tempus or-

ordinarium edendi erat Meridies. Satis enim esse putaverunt ad carnis afflictionem, si ad spatium trium horarum, id est, ab hora sexta usque ad nonam refectio differretur. Nostro vero tempore, inquit Bellarminus, qui scribebat ducentis ab hinc annis, id est circiter 1586., magna pars hominum non hora sexta, sed tertia cibum sumit, maxime æstivo tempore, ex quo sequitur, ut si in die jejunii cibunt sumant hora sexta, tribus horis serius ad reficiendum corpus accedant, quam ordinarie soleant, atque adeo ab antiqua consuetudine non recedant. Refectio autem hora tertia nunc assumi solita apud mechanicos artifices fere pro prandio est; apud cultiores autem gentes jentaculum, aut collatiuncula dici consuevit, & in calidis regionibus communior est, & abundantior. Ex mutatione autem circa horam refectionis, etiam mutatio circa numerum refectionis exorta est. Nam quum antea post Nonam, aut ad horam Vespertinam epularentur, & intra paucas horas cubitum irent, non erat opus tenui aliqua refectiuncula ad somnum conciliandum, non adhuc perfecta ciborum concoctione, ac digestione. Nunc vero, quum cibus sumatur hora circiter sexta, multæ horæ residuæ sunt usque ad cubitum, in quibus, digestione facta, nihil in stomacho remanet somno concoquendum, unde oritur defectus somni, & quæ ex eo sequuntur incommoda, cui malo occurritur per tenuem aliquam refectiunculam, quæ ideo communi medicorum consensu recepta est, & piorum usu, atque exemplo confirmata.

7. Tertio denique, quod est in hac materia potissimum, statuit Ecclesia, in diebus jejunii ciborum delectum esse adhibendum, id est, non omnibus cibis indiscriminatim esse utendum. Sic enim Clemens in 5. Constitut. cap. 17. A carnibus abstinete his diebus. Sunt enim luctuosi, non festi. Theodoretus in Epit. divin. Decretor. Ab esu carnium, & aliis ejusmodi abstinentiam amplectitur Ecclesia, non similiter ut Hæretici; illi enim ab his tanquam immundis abstinent. Jejunamus enim, inquit Cyrillus Catech. 3., a carnibus abstinentes, non quod has odio habeamus, qui aliis diebus his utimur, sed quia mercedem expectamus. Nam quare a carnibus abstineamus, quibus aliis diebus uti solemus, inquit Augustinus serm. 64. de tempore. Basilius orat. 1. de Jejun. Carnes non edis, sed devoras fratrem tuum. Similia Origenes, Theophylactus, Chrysostomus, Isidorusque apud Azorium, (*lib. 7. cap. 10. p. 1.*) Similiter in 10. cap. Epistolæ ad Romanos Ambrosius, sive quis est author eorum Commentariorum, & Gregorius scribens Augustino Anglorum Episcopo, & habetur in cap. Denique dist. 4. Par est, ut nos, qui his diebus a carnibus abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt carnis originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo &c. Non autem, quia

car-

carnes malæ sunt, prohibentur, ait Isidorus in 1. de Off. cap. 49.; sed quia illarum epulæ luxuriam carnis gignunt. Sunt enim fomes, & nutrimentum vitiorum. Nomine autem carnium intelligimus eas, quæ sunt animalium, quæ diu extra aquam naturaliter vivere queunt; pisces dicuntur, qui extra aquam naturaliter diu vivere nequeunt. Hanc vero disciplinam primitivi Christiani hauserunt a majoribus suis. Joannes enim venit non manducans, neque bibens, qui locustis, & melle silvestri vescebatur Matt. 3. Petrus lupinis vitam transegisse, scribit Nazianzenus Orat. de pauper. amore. Similia de Matth. Apostolo scribit Clem. Alexandrinus, (*2. Pedagogi cap. 1.*) de Jacobo minore Euseb. lib. 2. cap. 22. de Marco, & ejus discipulis, totaque Alexandrina Ecclesia Euseb. 16. cap. 17. Hieronymus in Catalog. de Philon.

8. Rationem autem ex ipsa rei natura petitam reddit D. Thomas scribens: (*quæst. cit. art.* 8.) Dicendum, quod sicut supra dictum est, jejunium est ab Ecclesia institutum ad reprimendas concupiscentias carnis, quæ quidem sunt delectabilium secundum tactum, & consistunt in cibis, & venereis, & ideo illos cibos Ecclesia jejunantibus interdicit, qui & in comedendo maximam habent delectationem, & qui maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium, & respirantium, & quæ ex iis proveniunt, sicut lacticinia ex gressibilibus, & ova ex avibus. Quia enim hujusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, & sic ex eorum comestione plus superfluit, ut vertatur in materiam seminis, cujus abundantia, & multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ. Et ideo ab his cibis præcipue jejunantibus Ecclesia statuit, ut abstineant. Signate autem D. Thomas *præcipue* dixit. (*ad primum.*) Nam ad actum generationis tria concurrunt, nimirum, calor, spiritus, & humor. Ad calorem quidem maxime cooperatur vinum, unde dictum est: (*Prov.* 20.) luxuriosa res est vinum, & (*Eph.* 5.) nolite inebriari vino, in quo est luxuria, & simile est de reliquis, quæ corpus calefaciunt. Ad spiritum autem maxime videntur cooperari inflativa, sed ad humorem terreum maxime cooperatur usus carnium, ex quibus multum de alimento generatur. Alteratio autem caloris, & multiplicatio spirituum cito transit; sed substantia terreni humoris diu manet. Et ideo magis interdicitur jejunantibus usus carnium, quam vini, aut leguminum, vel seminum, quæ sunt inflativa. Item (*ad secundum.*) Ecclesia jejunium instituens intendit ad id, quod communiter accidit. Quamvis autem aliquibus magis delectabilis sit usus piscium, quam usus carnium, tamen communiter apud homines esus carnium delectabilior habetur, salubriusque est, & fortius

nu-

nutrimentum.... (*ad tertium.*) Ova vero, & lacticinia jejunantibus interdicuntur, quatenus sementinam trahunt originem carnis, ut Gregorius inquit, & præcipitur in Can. 56. Conc. Trullani, quod in hac parte universa adoptavit Ecclesia. Unde principalius interdicuntur carnes, quam ova, vel lacticinia. Adeo ut communis opinio fuerit Theologorum usque ad nostra tempora, teste Azorio, (*loc. cit.*) eum, qui ex gravi aliqua causa ab abstinentia carnium exemptus est, omnino ab jejunandi lege exceptum esse. Dixi autem *usque ad nostra tempora*, nam hac ætate Benedictus XIV. Medinæ, Navarri, & Cajetani opinionem sequutus contrarium præcepit, declaravitque: Eos etiam, qui ex Indulto Apostolico carnes in diebus jejunii edere permittuntur, non propterea esse continuo ab omni jejunii lege solutos, sed quod ad unicam comestionem, horam &c. Ecclesiastici jejunii formam' observare debere. Statuit item novo decreto, ut qui ex justa causa carnes edere permittuntur, non possint promiscue in eodem prandio carnibus, & piscibus uti. Cæterum de his, & aliis practicis quæstionibus multæ regulæ traduntur, quas, inquit Bellarminus, non existimamus huic nostro operi inferendas, præsertim quum de his rebus copiosissime scripserint tum Scholastici Theologi in 4. sententiarum, tum etiam ii, qui casus Conscientiæ confecerunt.... Existunt namque apud diversos diversæ consuetudines, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur. Unaquæque Provincia, quod est apud Hieronymum, (*in Epist. ad Lucin.*) suo sensu abundet, & præcepta Majorum, & Pastorum suorum in simplicitate cordis amplectatur, & leges Apostolicas arbitretur.

PRO-

PROPOSITIO VI.

Quadragesimale jejunium antiquissimum est, & Catholicum.

1. PRobatur inviċtissime testimonio Patrum, quorum nullus est, qui Quadragesimæ non meminerit. Ex Græcis antiquissimus Ignatius scribens ad Philippens. Irenæus in Ep. ad Viċtor., Origenes hom. 10. in Levitic. Euseb. hist. cap. 24., Cyrillus Hierosolym. Catech. 1. & 18. Epiphanius in Compend. doċtr. Athanas. de Persequut. ad Orthodoxos, Basilius orat. 2. de jej. Nazianzenus orat. in sanċtum lavacrum, Nissenus orat. de am. pauper. Chrysostom. hom. 18., & 73. ad pop. Antioch. Theophilus Alexandrin. in Epist. Paschalibus, Dorotheus Ab. de vit. reċte instit. Ex Latinis Tertullianus lib. de jejun. cap. 2., & 13. Ambros. lib. de Noe, & Arca, Hieronymus, Augustinus, Leo, Gregorius multis in locis, Paulinus (*Epist.* 5.) ad Amand. Maximus Taurinens. in serm. de Quadrag., & sub eodem tit. Chrysologus, Isidorus 1. de Off. Rabanus 2. de inst. Cleric. Amalarius 1. de Off. Eccl. Rupertus 4. de Off. div. Bernardus in sermon. Quadrag. Hinc disce, Calvine, a quo tempore, & quot jam sæculis invaluerit superstitiosa, ut inquis, Quadragesimæ observatio.

2. Constat autem I. Jejunium Quadragesimale non descendere ex divina aliqua, aut Apostolica institutione scripta. Inquit enim Augustinus ad Casulanum: Ego in Evangelicis, & Apostolicis litteris, totoque instrumento, quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non invenio definitum. Quum ergo nonnulli Patres dicunt, ac docent, Quadragesimam divini juris esse, illud solum significare videntur, hujusmodi jejunium, quum ex vetere, tum ex nova lege authoritatem trahere, quod Christi Domini Eliæ, & Moysis exemplo 40. dierum jejunium consecratum fuit. Nec tamen quicquid Christus fecit, nos quoque facere jussit. Exemplum igitur sanċtissimum Christi dicitur aliquando a Patribus lex, & præceptum nobis divinitus datum. Ita intelligendus Ambrosius inquiens: (*Serm.* 34.) Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. Quisquis ergo consecratam non impleverit Quadragesimam, reus tenebitur, quod legem divinitus datam prandendo resciderit. Et item: (*Serm.* 36.) Quadragesimam prædicantes, sacrarum Litterarum exempla protulimus, quibus approbavimus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed divinitus consecratum, nec terrena cogitatione inventum, sed cœlesti maje-

sta-

state præceptum. Quæ eadem verba habentur apud Maxim. in homil. de Quadrag. Ita intelligendus Hieronymus in 3. Jonæ, dum ait: Christum 40. dies jejunasse, ut nobis hæreditarios totidem solennes dies relinqueret. Similia Beda, Isidorus, Leo sæpius, imo & ipse Augustinus in ps. 100. Præcipitur nobis quadragenarium jejunium ex Lege, & Prophetis, & ex Evangelio, quod a lege, & Prophetis testimonium habet. Quæ porro gravissima Sanctorum dicta, quamvis non probent Quadragesimam esse proprie juris divini, demonstrant tamen quanto apud veteres in pretio, ac veneratione observatio illa, quam Rabula impudentissimus superstitiosam vocat. (4. *inst. cap.* 12.)

3. Constat II. Quadragenarium jejunium esse omnibus Conciliis antiquius. In antiquissimis enim Conciliis quum Orientalibus Nicœno, can. 5. Laodiceno, canon. 49., Trullano, can. 29., tum Occidentalibus Aurelianens. I. can. 11., Aurelian. II. canon. 4., Agathensi, can. 8. Antisiodorens can. 2., Toletano VIII. can. 9. Braccarensi II. canon. 9. jam ejus mentio habetur; at in nullo invenitur primitus institutum: ergo ante omnia Concilia institutum est. Præterea: Ignatius, Tertullianus, Irenæus, Origenes ante omnia, quæ exstant Concilia, vixerunt; at in his omnibus Patribus Quadragesimalis jejunii memoria exstat: ergo ante omnia Concilia fuit institutum; sed quod ab universa Ecclesia receptum invenitur, nec in aliquo Concilio institutum invenitur, id sine dubio ex Apostolica institutione descendit, ut habet tritissima Augustini reg. in 4. de Baptis. & alibi. Quadragesimæ igitur jejunium ex Apostolica institutione habetur. Confirmatur: Nam Ignatius, Irenæusque aut Apostolis, aut Apostolorum discipulis suppares fuerant. Quæ igitur ipsi non instituerunt, sed a majoribus tradita acceperant, id vel Apostoli, vel Apostolorum discipuli ex Apostolica doctrina, & traditione didiscerant, nec enim alios habuerunt magistros, & Doctores. Id enim vero & Patres ipsi disertissime asseruerunt. Hieronymus enim ad Marcellam: Nos unam Quadragesimam secundum Apostolicam traditionem servamus. Leo serm. 6., & 9. de Quadragesima: illam ab Apostolis institutam esse, tradit. Idem totidem verbis Theophilus apud Medinam. (*tract. de jejun. q.* 2.) Rabanus quoque in 2. de inst. Clericor. cap. 28. Institutio Quadragesimæ, inquit, quæ in universo Orbe Catholico ex institutione Apostolica servatur. Exstat item inter Canones Apostolorum dictos, numer. 68., ubi, Quadragenarium jejunium ante Pascha sancitur.

4. Hujus autem saluberrimæ institutionis causas, sive rationes congruentissimas septem ex Patribus, & Ecclesiasticis Doctoribus numerat Bellarminus: (2. *de bonis operib. cap.* 16.) I. in pœnitentiam quasi communem, & publicam pro totius anni negligentiis, & culpis. Et hanc rationum adducit Leo in serm. 4. de Quadrag. Hieronymus item,

(*in*

(*in cap.* 3. *Jonæ.*) & Gregorius (*homil.* 16. *in Evang.*) docent quadragenarium numerum pœnitentiæ convenire, nec non ex parte Augustinus. (*lib.* 30. *cont. Faust. cap.* 5.) Secunda: ut per commune, & publicum jejunium ad Communionem Paschalem præparemur. Et hanc rationem tetigit Chrysostomus hom. 1. in Gen. & Hieronymus in 3. Jonæ. Duas has causas conjunxit D. Thomas dicens: (*q.* 147. *art.* 5.) Jejunium ad duo, sicut dictum est, ordinatur, nimirum, ad deletionem culpæ, & elevationem mentis in superna. Et ideo illis temporibus specialiter fuerunt jejunia indicenda, in quibus oportebat homines a peccato purgari, & fidelium mentes in Deum elevari, quæ quidem præcipue accidunt ante Paschalem solennitatem, in qua & culpæ per baptismum relaxantur, qui solenniter in Vigilia Paschæ celebratur, quando recolitur memoria Dominicæ sepulturæ, quia per baptismum consepelimur Christo in mortem, ut dicitur ad Rom. 6. In festo etiam Paschæ maxime oportet mentem hominis elevari ad æternitatis gloriam, quam Christus resurgendo inchoavit, & cujus pignus nobis datur in Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini. Et ideo immediate ante solennitatem Paschalem Ecclesia statuit, esse jejunandum. Et eadem est ratio de Vigiliis præcipuarum festivitatum, in quibus præparari nos oportet ad festa futura devote celebranda. Tertia causa fuit: ut adimpleremus id, quod ab Christo Domino dictum est: (*Matth.* 9.) Quum auferetur ab eis sponsus, tunc jejunabunt. Et hanc rationem veteres Christiani reddebant apud Tertullianum in lib. de Jejunio. Porro Montanistæ, ut Hieronymus scribit in cap. 9. Matt. occasione hujus sententiæ Quadragesimale jejunium observabant post Ascensionem Domini, putantes, per ipsam Ascensionem in cœlum ablatum esse nobis Sponsum. Sed Ecclesia ab Spiritu Sancto in Apostolis edocta per ablationem Sponsi, passionem, & mortem ejus intellexit, & ideo tunc majora jejunia instituit, quum ipsam Dominicam passionem, & mortem pia meditatione recolimus, & quasi præsentem intuemur. Quarta ratio est, ut non pro se ipsis solum, sed etiam pro Catechumenis, & Pœnitentibus in Paschate regenerandis, & suscipiendis divinam misericordiam per afflictiones nostras, & orationes impetremus. Nam Elias, inquit Ambrosius, (*serm.* 27. & 28.) quadraginta dierum curriculo continuato jejunio, totius terræ longam, ac nimiam siccitatem meruit imbrium rore restinguere, & ardentem terrarum sitim pluviæ largitate perfundere. Quod quidem in figuram nostri factum esse cognovimus, ut nos quoque horum 40. circulo dierum jejunantes spiritalem baptismatis pluviam mereamur, & longam Gentilium siccitatem lavacri inundatio salutaris irroret. De Pœnitentibus autem, & quibuscumque Ecclesiæ membris laborantibus

illa est Ambrosii ejusdem sententia in 1. de Pœnitentia cap. 15. Operibus quibusdam, nimirum, fletu, oratione, jejunio totius populi purgatur, & plebis lacrymis abluitur, qui afflictione, & fletu plebis a peccato redimitur .... Tota enim Ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum est: fletu, oratione, dolore, & quasi fermento ejus se totam conspergit, ut peruniversos ea, quæ superflua sunt, in aliquo pœnitentiam agente, viritim misericordiæ, & compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur .... Movebitur misericordia Deus, quum viderit in tuo obitu lacrymas plurimorum. &c., quem locum prolixiorem dedimus alibi. lib. 15.

6. Quinta ratio est, inquit Bellarminus, ut quasi decimas vitæ nostræ per quadragesimalem abstinentiam Domino consecremus. Dum enim, ait D. Thomas, (*ub. supr.*) per trecentos, & sexaginta dies annus ducitur, nos autem per 36 dies jejunamus, qui sunt dies jejunabiles in sex Septimanis Quadragesimæ, demptis Dominicis, quasi annorum nostrorum decimas Deo damus. Hanc porro rationem, ut reliqua omnia Theologica Doctor modestissimus, quamvis non ad pompam citatis, tamen ex antiquis Patribus desumpsit. Inquit enim Cassianus collat 21. A prima Dominica Quadragesimæ usque ad Pascha duo super quadraginta dies sunt, ex quibus sex detractis, Dominicis nimirum, in quibus non jejunatur, remanent 36. dies, qui sunt decima pars dierum 365., ex quibus annus constat. Quum ergo 36. diebus jejunamus, decimas totius anni Deo persolvimus. Item Gregorius M. hom. 16. in Evang. A prima, inquit, Dominica Quadragesimæ usque ad Pascha sex hebdomadæ computantur; dies autem 42. Ex quibus, dum sex Dominici dies abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia quam 36. dies remanent. Dum vero per 365. dies annus revolvitur, deinde per 36. dies affligimur, quasi anni nostri decimam Deo damus. Similia Isidorus lib. 1. de Offic. cap. 36., & tetigit rationem eandem Gratianus in cap. Quadragesima de Consecr. dist. 5. Sexta ratio: imitatio Christi Capitis nostri. Et hanc rationem, quam Protestantes irrident, maximi fecerunt Sancti Patres, quorum testimonia adducit Bellarminus, (*ibid.*) Ignatii nimirum, Basilii, Nazianzeni, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi. Quamvis enim Dominus præceptum de jejunio singulare nobis non reliquerit, tamen sanctum, & pium esse exemplo suo monstravit, & sicut in passione, & Cruce, ita in jejunio nobis reliquit exemplum rei sibi non necessariæ, nobis autem utilissimæ, ut sequamur vestigia ejus. (1. *Petr. cap.* 2.) Unde & in re simili dixit: (*Joan.* 13.) Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

7. Septima denique ratio sit ipsamet temporis congruentia. Ineunte

enim

enim vere, crescentibus humoribus, acrior esse solet, & vehementior vis concupiscentiæ, atque adeo magis necessarium jejunium, & aliunde minus incommodum. Tempus enim dulcius est, pisces magis abundantes, & salubres, olerum, & leguminum copia major: opera in agris rara, ac pene nulla. Et hanc rationem tetigisse videtur Hieronymus, quum dixit: (*Epist. ad Marcellam.*) Nos unam Quadragesimam congruo nobis tempore jejunamus.

8. Quatuor igitur constant antiquissima, & universim toto orbe recepta I. Jejunium hoc semper observatum fuisse proxime ante solennitatem Paschalem. II. Observatum fuisse per dies quadraginta. III. Jejunatum per eos dies ab carnibus, & ab his, quæ ab carnibus originem trahunt. IV. Jejunatum ex antiqua consuetudine per unicam, & tardiorem comestionem. Quum tamen in his quatuor totus Christianus orbis conserserit, quæ ad substantiam Quadragesimalis jejunii spectare videntur, in multis tamen aliis veluti accidentaria fuerunt discrimina. I. quidem circa hujus jejunii initium. II. circa ejus finem. III. circa dies aliquos intra horum dierum latitudinem, unde & IV. circa numerum totalem dierum.

9. Porro de jejunii Quadragesimalis initio vetus est partim, partim nova disciplina, & opiniones Doctorum variæ. Probabilius tamen est, olim Quadragesimam non incœpisse usque ad Dominicam, quæ dicitur prima Quadragesimæ, sive ab sexta Dominica ante Pascha. Nam Cassianus, Gregorius I., Isidorus, Gratianus, D. Thomas supra citati solum computant dies jejunio deputatos 36., quot nimirum sunt a prima Dominica Quadragesimæ usque ad Dominicam Resurrectionis. Unde Alcuinus octavi sæculi scriptor in 1. de div. Offic. Quadragesima incipit a Dominica sequente post Quinquagesimam. Similiter Ordo Romanus in capite de Septuagesima. Item Author Micrologi: (*cap.* 49) Ecclesiastica officia, quæ toto tempore Quadragenarii jejunii celebrantur, ab ea Dominica incipiunt. Alii autem putant, Quadragesimam proprie incipere a fer. 4. post Quinquagesimam, quæ Cinerum dicitur, & Caput Quadragesimæ, atque initium jejunii dicitur. Dicitur enim Quadragesima, quia totidem jejunamus dies, quot Christus jejunio suo consecravit, ut Patres tradunt; Christus autem non 36., sed quadraginta solidos jejunavit dies. Item in cap Statuimus dist. 4. Telesphorus instituit, ut Clerici jejunent plenas septem hebdomadas ante Pascha. *Plenas* autem dixit, nam Laici non plenas jejunabant, incipiebant enim a fer. 4. hebdomadæ septimæ ante Pascha. Augustinus item sermonem habet de fer. 4. in capite jejunii: ergo jam quinto sæculo initium Quadragesimæ erat fer. 4. Cinerum. Denique Amalarius, Alcuinus, Micrologus, Rupertus, Ivo, Gratianus, Dorotheus Abbas diserte tradunt, jam suo tempore quatuor dies adne-

xos fuisse jejunio. Dicitur enim in cap. Quadragesima de Consecr. dist. 5., post verba Gregorii supra adducta: Sed ut sacer numerus adimpleatur, quem Salvator noster sacro suo jejunio consecravit, quatuor dies prioris hebdomadæ in supplementum 40. dierum assumuntur, id est, quarta feria, quæ caput jejunii dicitur, & quinta, & sexta, & Sabbathum. Nisi enim hos dies quatuor superioribus 36. adjunxerimus, quadraginta dies in abstinentia non habebimus. Quidam autem inde existimarunt, S. Gregorium fuisse hujus additionis authorem. Sed illa non sunt verba Gregorii, sed Gratiani, qui ut alibi solet, verbis Patrum sua verba subnectit. Alii eam additionem 4. dierum attribuunt Gregor. II., sed nullum est hujus rei vestigium, nisi quia & hic Pontifex Ecclesiastica officia ad certam methodum, ac formam dicitur revocasse. Verosimilius est, eos dies additos ante Gregorium II., imo ante Gregor. I. nam in ejus Sacramentario adnotatur initium jejunii fer. 4. ante primam Dominicam Quadragesimæ. Bellarminus (*lib. cit. cap.* 15.) putavit eam additionem antiquiorem esse Leone, ut infra. Quod si sermones, qui habentur de tempore Augustini essent, aut eo hoc inscripti titulo, probarentur illi dies ante Leonem, & ante Augustinum ipsum adjecti. Verosimilius tamen est, eos sermones a posteriori aliquo operum Augustini Compilatore ad præsentis jejunii rationem, & praxim esse accommodatos, quod bene adnotavit Azorius. (*lib.* 7. *cap.* 12. *par.* 1.) Ad id autem quod dicitur de mystico numero 40. dierum, respondet idem Azorius, jejunium Quadragenarium esse duplex, plenum, & semiplenum. Plenum est, quum interdiu semel tantum vescimur; semiplenum, quum plus quam semel edimus, sed ab carnibus, & lacticiniis abstinemus. Itaque a prima Dominica Quadragesimæ usque ad Pascha, sunt dies jejunii universim quadraginta duo, non quidem pleni jejunii, sed semipleni, & imperfecti, quia in Dominicis jejunium plenum non agitur, & hoc sufficit, ut per dies quadraginta jejunare dicamur, quamvis quatuor illi dies a feria 4. ante Dominicam primam Quadragesimæ non adderentur. Sed quia Ecclesia nunquam cogere potuit ad jejunandum in Dominica, imo potius jejunium publicum in Dominicis diserte prohibuit, ut supra dictum est, nullo modo videtur jejunium appellandum, quod fit in Dominica, & ideo D. Thomas dixit, in sex hebdomadis non esse dies jejunabiles, nisi 36. cum supra adductis Cassiano, Gregorio, Isidoro, qui nunquam propterea semiplenum jejunium computasse inter Quadragesimalia videntur, quamvis distinctio illa pleni, & semipleni jejunii alioqui, nec falsa sit, neque inutilis. Dicendum ergo, simplicius, & congruentius distinguendum esse jejunium Quadragesimale ab officio Quadragesimali: quatuor illos priores dies pertinere quidem ad mysticum numerum je-

jejuniorum, atque ideo ab Ecclesia inductos, & fere universim receptos, (nam in Mutinensi Ecclesia, & aliis paucis, non obligant) non pertinent autem ad Officium Ecclesiasticum Quadragesimæ. Unde ante Dominicam primam Quadragesimæ, etiam nunc non dicuntur Vesperæ ante Meridiem. Et de initio quidem Quadragesimæ hæc dicta sunto.

10. Sequitur, ut de fine, ac termino Quadragenarii jejunii dicamus, in quo etiam & vetus, & nova disciplina, utraque sanctissima, & congruentissima attendenda est. Nam ex veteri disciplina jejunii Quadragesimalis terminus erat feria 5. in Cœna Domini. Inquit enim Alcuinus in 1. de div. Off. (*c. de Quadrages.*) Quadragesima tendit usque in diem in Cœna Domini. Et item: Quadragesima incipit a Dominica post Quinquagesimam, & finitur quinta feria ante Pascha. Ordo Romanus: (*cap. de Septuagesim.*) Quadragesima currit cum sua Dominica, a qua incipit, usque ad mysterium Paschæ Hebræorum, quod Dominus cum discipulis suis celebravit, & nos dicimus Cœnam Domini. Author quoque Micrologi cap. 52. diserte tradit, diem in Cœna Domini finem esse Quadragesimæ. Idem Rabanus de Instit. Cleric. 2. cap. 34. Quum enim, ajunt Authores isti, feria 5. in Cœnâ Domini, peracto missæ sacrificio, omnes Eucharistiam susciperent, finitum jejunium arbitrabantur, unde & aliquæ Ecclesiæ eo die jejunium solvebant. Verum pravam hanc consuetudinem Concilium Laodicænum improbavit canon. 50., qui habetur de Consecr. dist. 3. cap. Non oportet, ibi: Non oportet in Quadragesima feria quinta ultimæ hebdomadæ jejunium dissolvere, & totam Quadragesimam inhonorare, sed per totos dies Quadragesimæ jejunare, & habetur etiam ex Concil. Braccarens. sub Martino cap. Non liceat de Consecr. dist. ead., & in Concilio Trullano cap. 29. Quoniam vero post feriam 5. in Cœna Domini, in qua ad Vesperam terminabatur jejunium Quadragesimale, sequebatur fer. 6. in Parasceve, in qua jejunium semiplenum agebatur, & adhuc agitur propter memoriam passionis, & mortis Domini, tum Sabbathum propter memoriam Dominicæ sepulturæ, & Vigiliam Paschatis celeberrimum, hi duo dies rigidiori jejunio observari cœperunt, & Quadragesimæ diebus adnumerari. Unde in præsenti rerum statu partes habentur Quadragesimæ, quæ propterea terminari dicitur in Sab. Sancto, seu Vigilia Resurrectionis.

11. Atque hinc jam patet resolutio tertii dubii de numero totali dierum, quibus constat Quadragesima. Hoc enim partim ex varietate provenit jam dicta in assignando principio, aut fine Quadragesimæ, partim ex numero dierum, quibus in unaquaque hebdomada jejunium servatur. Sciendum est enim, præter Dominicam, in qua nusquam in Catholica Ecclesia jejunatum fuit, præter Domini-

cam

cam inquam, aliqui dies hebdomadæ erant a jejunio exempti. Et primo quidem exemptum fuisse Sabbathum antiquitus, patet ex Canone, qui Apostolorum dicitur 64., ex Concilio Trullano canon. 55., ex Clement. Romano variis in locis, ex Ignatio epistola ad Philippenses, ubi eos, qui Sabbatho jejunaverint præter unum Paschæ, Christi interfectores vocat. Ratio autem hujus institutionis videtur fuisse, nam Apostoli, qui per Orientem prædicaverunt, ut Judæos, qui ad fidem convertebantur cum Gentilibus ex parte conciliarent, & Marcionitis, ac Manichæis resisterent, qui in odium veteris Testamenti Sabbathum abominabantur, tanquam a malo Deo institutum, Sabbathum colendum sanxerunt, quod est apud Epiph. hær. 42., quem morem Græci retinuerunt, & nunc etiam ex parte retinent. Nec tamen Judaismi accusandos censuit Augustinus. (*Epist.* 86. & 118.) Nec enim, inquit, ritu, & more Judæorum Sabbathum colunt, sed in eo feriantur, quia Dominus omni labore creationis, & pœna passionis perfunctus, in Sabbatho requievit. Græcanicum morem sequuta est Mediolanensis Ecclesia, & ex Africanis aliquæ, quod Augustinus testatur. Romana vero Ecclesia semper solita fuit Sabbatho jejunare, & habetur ex Innoc. I. in epist. ad Decentium de Consecr. dist. 3. cap. Sabbatho, & ex Greg. 7. cap. Quia dies de Consecr. dist. 5. Quia dies, inquit, Sabbathi apud Sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus &c. Romanum morem sequutæ sunt Hispaniarum Ecclesiæ, ut ex Conc. Illiberit. habetur can. 26. & ex Hieron. epist. ad Lucin. Bæticum; & Galliarum ut liquet ex Conc. Agathens. cap. 12., & habetur cap. Placuit de Consecr. dist. 3., & Aurelian. IV. cap. 2. Item aliquæ Africanarum, ut testatur Augustinus (*Epist.* 86.) ad Casulan. Hocque ritu tota hodie utitur Occidentalis Ecclesia, quod ad jejunium plenum in Sabbatho spectat, nam quod ad abstinentiam a carnibus attinet, per singula anni Sabbatha in Gallia, & Hispania, atque aliis Regnis partim ex consuetudine, partim ex Pontificum indultis multum relaxatum est, aut omnino derogatum. Et hæc de Sabbatho.

12. Eximebatur etiam a jejunio quinta quæque feria antiquitus. Clemens enim Romanus in 5. Constitution. cap. ult. Jejunia, inquit, vestra non sint cum hypocritis communia. Jejunant enim feria secunda, & quinta. Vos autem diebus quinque jejunate, aut feria quarta, & sexta, quibus verbis veluti Pharisaicum quiddam condemnat jejunium in fer. 2., & 5. susceptum. Dicebat enim Phariseus ille: Jejuno bis in Sabbatho, id est, in hebdomada, quod Epiphanius hær. 16., Theophilactus in Luc. 18., & Raban. in 2. de inst. cap. 18. interpretantur de jejunio fer. 2., & 5. Et huic Clementis sententiæ mire concordat, quod habetur ex Melchiade Papa in cap. Je-

Jejunium de Consecr. dist. 3., ibi: Jejunium Dominici diei, & feriæ quintæ nemo celebrare præsumat, ut inter jejunium Christianorum, & Gentilium, vel veraciter credentium fidelium, & Hæreticorum vera, & non falsa discretio habeatur. Congruit etiam locus Leonis in serm. 4. de Quadrages. Ubi docere videtur, sua ætate in Quadragesima solum dies quatuor jejunio deputatos. Ait enim: Igitur fer. 2., & 4., & 6. jejunemus; Sabbatho autem apud S. Petrum vigilias celebremus; ubi feriam quintam prætermittit, in quo loco explicando mire torquetur Bellarminus, (*cap.* 15.) ut dixerit, eam homiliam habitam ab Leone non in Quadragesima, sed ante, id est, in Dominicà Quinquagesimæ, & solum loqui de illis quatuor diebus, qui jejunantur ante Dominicam primam Quadrag. Sed de hoc alii viderint, nobis satis est ex Leone confirmasse feriam quintam quondam fuisse ab jejunio immunem.

13. Igitur si computabitur initium Quadragesimæ a Dominica I. post Quinquagesimam, habebuntur inde usque ad feriam quintam in Cœna Domini, ubi finitur Quadragesimale jejunium, sicut dictum est, dies Quadragesimalis abstinentiæ, & afflictionis quadraginta, & pleni jejunii 36. de quibus Ambrosius, Cassianus, Gregorius, Isidorus, ac D. Thomas loquuntur, veluti annorum nostrorum Decimam esse, quam Deo solvimus. Quod tamen dictum non ad Geometricam acribologiam accipiendum est. Esset quidem ad rigorem exactum, si annus esset dierum 360., ut D. Thomas dixit. Sed D. Thomas numerum rotundum pro fracto posuit. Annus autem Julianus quo Ecclesia utitur, non 360., sed 365. & fere sex horas habet, cui pro decima parte non respondent 36., sed 36. dies, horæ 12. m. 10. sed has minutias Patres contempserunt. Hæc autem videtur fuisse prima, & antiquissima Quadragesimæ computandæ, & observandæ ratio. Sed quia in hac computandi ratione non sunt perfecta jejunia nisi 36., ut mysticus numerus dierum, quem Christus consecraverat, compleretur, additi sunt, ut Gratianus, & alii supra citati adnotarunt, dies quatuor in Hebdomada Quinquagesimæ, & duo dies ultimæ hebdomadæ ante Pascha, qui præcedentibus 40. additi, faciunt numerum dierum 46. Ex quibus detractis sex Dominicis, restant pleni jejunii dies 40. Et hæc ratio computandæ Quadragesimæ hodie observatur. Incipit enim Quadragesimale jejunium a fer. 4. post Quinquagesimam, & terminatur in Sabbatho Vigilia Paschæ. Sed quid est, quod apud Scriptore sEcclesiasticos invenitur de jejunio Quinquagesimæ, Sexagesimæ, & Septuagesimæ, ut apud Ambrosium, Bedam, Alcuinum. Dicendum, horum nominum mysterium, & rationem explicari posse dupliciter. I. ratione jejunii. II. ratione dierum ante Pascha. Porro ratione jejuniorum, ita explicantur, ut semper

idem

idem resultet numerus quadragenarii jejunii, sive ab Septuagesima, sive ab Sexagesima, sive ab Quinquagesima incipiatur, ut olim erat in usu apud diversas Ecclesias, & nationes. Sic autem hoc demonstratur. Ab quinquagesima enim usque ad Pascha Resurrectionis inclusive dies 50. numerantur. Sunt enim septem hebdomadæ, quæ faciunt dies 49., & addito die Resurrectionis, 50. Unde ratio nominis, seu cur Quinquagesima dicatur, perspicuum est. In diebus autem 50. incipiendo a Dominica, sunt Dominicæ octo. Detrahe has Dominicas octo, remanebunt dies jejunii 42. Subtrahe ex his duos Parasceve, & Sabbathum ante Pascha ex antiqua disciplina, residui erunt jejunii pleni dies 40., qua ratione jejunium observabatur tempore Telesphori, qui nonus sedit a Petro.

14 Eodem modo explicatur Sexagesima, quam celebrant suo jejunio Græci, ut dicitur in ordine Romano. Sunt autem a Sexagesima usque ad Pascha octo hebdomadæ, id est, dies 56. Detrahe octo Dominicas, & septem Sabbatha. Græci enim solum Sabbathum ante Pascha jejunant, subtrahe feriam quintam in Cœna Domini, in qua post Communionem jejunium solvebant, id est, deme dies 16., residui erunt dies jejunii pleni 40.... Sexagesima autem dici potuit vel per synechdochen, assumendo numerum proximiorem rotundum pro fracto, ut Rabanus, (2. *cap.* 34. *de instit. Cleric.*) & Rupertus (4. *cap.* 1. *de divinis offic.*) contendunt, aut simplicius, numerando a Dominica octava ante Pascha sexaginta dies, non ad Dominicam Paschalem, sed ad feriam quartam post Pascha, quæ est terminus festorum Paschalium. Tres enim primi dies Paschales festivi sunt, ut supra dictum. A Septuagesima vero usque ad Pascha novem sunt hebdomadæ, ac dies 63. A quibus, si substraxeris novem Dominicas propter Dominicam Resurrectionis, & totidem quintas ferias propter Dominicam Cœnam, & totidem Sabbatha, ne sabbathizare videamur cum Judæis, non amplius quam 36. dies ad jejunandum remanent. Sic Ambrosius apud Azorium (*lib.* 7. *cap.* 16. *p.* 1.) in sermone quodam, inquit, qui nunc Romæ inter ejus opera typis excussus est. Et hæc forma jejunii servandi viguisse videtur a tempore Melchiadis Papæ, qui feriam quintam a jejunio exemit, & durasse usque ad ætatem Sancti Leonis. Nam hic Pater loc. supr. citato, quatuor solum dies in hebdomada pro jejunio assignat, & tamen Cassianus, (*Collat.* 21. *cap.* 27.) qui Leoni coævus fuit, dies tantum 36. in Quadragesima jejunari testatur; qui numerus efficitur per novem hebdomadas, si unicuique quatuor jejunia attribuas. Sed Leo Sabbathum adjecit, quod jam suo tempore jejunio colebatur, & ab eo exemit feriam tertiam, quintam, & Dominicam. At Ambrosius more Ecclesiæ suæ Sabbathum exemit cum Dominica,

& fe-

& feria quinta, atque adeo feriam secundam, tertiam, quartam, & sextam jejunio attribuit. Septuagesima autem ea Dominica dicta est, quia ab ea usque ad terminum Octavæ Paschalis, sive ad Dominicam in Albis, in qua baptizatorum habitus commutatur, quod est apud Aug. (*Serm.* 1. *in oct. Paschæ* 157. *de temp.*) & ipsis Sacramentum Chrismatis confertur, dies sunt 70. Et de harum Dominicarum officio, & nomine hæc dixisse sufficiat ex cit. Ambrosio, Beda, Alcuino, quos sparsim citat Azorius, & quorum sententias velut in unum fasciculum collegimus, & opportunius digestas dedimus.

15. Difficile est autem in his rebus antiquorum Patrum, & Doctorum Ecclesiasticorum conciliare dicta, & diversas, de quibus ipsi loquuntur, consuetudines cum præsenti usu, & praxi componere . . . . Nec enim, inquit Irenæus, (*apud Euseb. lib.* 5. *cap.* 24.) solum de die, (Paschæ) sed etiam de specie ipsa jejunii dubitatum est. Quidam namque existimant, unam diem se jejunare oportere, quidam duas, quidam plures. Quidam quadraginta horis, diurnis, & nocturnis suum diem metiuntur. Et talis quidem jejunium observantium varietas non hac nostra ætate exordium habuit, verum multo ante, tempore majorum nostrorum, qui, ut conjectare licet, non accurate, ut par erat, simplicem, & legitimam consuetudinem tenentes, eam ad posterum transmiserunt. Vel ut Ruffinus vertit: Cœpit hæc diversitas ab illis, ut opinor, qui non simpliciter, quod ab initio traditum est, tenentes, in alium morem vel per negligentiam, vel per imperitiam postmodum deciderunt. Floruit autem Irenæus secundo sæculo desinente: ergo majores suos vocat successores Apostolorum, qui primo sæculo exeunte, vel secundo ineunte vivebant, & hos, ait, quod ab Apostolis traditum fuerat, non accurate tenuisse, sed per negligentiam, aut imperitiam in alium morem, & diversos ritus immutasse, & tamen omnes Quadragesimam ab Apostolis institutam tenere se, & observare, profitebantur. De eodem argumento agit Sozomenus lib. 7. cap. 19., a quo Nicephorus hæc scribit: (2. *cap.* 34.) Jam illam, quæ hinc processit, quæque appellatur Quadragesima, in qua populus jejunat; alii in sex dierum Septimanis computant, ut Illyrici, & qui ad Occidentem siti sunt, nec non & universa Lybia, & Ægyptus cum Palæstina. Alii in septem, ut Constantinopolitani, & nationes circumjacentes usque ad Phœnices. Alii sparsim tres dies per ista sex, aut septem hebdomadas jejunant, alii continenter per tres ante Pascha hebdomadas jejunium continuant. Leo quatuor tantum dies in qualibet hebdomada jejunari significat. Dominica, feria tertia, & quinta exceptis. Basilius orat. 2. de jejunio quinque cuique hebdomadæ assignat, Dominica, & Sabbatho demptis. Feriam quintam excepit Melchiades, ut supra. Feriam secundam videtur exclu-

dere Epiphanius supra. Sabbathum excipiebant omnes Græci, & Latinorum nonnulli, ut supra. Ambrosius tradit, suo tempore nonnullos non Quadragesimam, sed Quinquagesimam jejunare solitos, quem morem reprehendit Conc. Agathense, & Aurelianens. I. & IV. Alios, tradit idem Ambrosius, vix Trigesimam, aut Vigesimam jejunasse, quum alternis tantum Septimanis jejunarent. Cassianus coll. 21. Alii, inquit, sex, alii septem jejunant hebdomadas. Romanos, inquit Socrates lib. 5. cap. 21, tres tantum ante Pascha hebdomadas jejunare solitos, Dominica, & Sabbatho non computatis; Græcos, Illyricos, Alexandrinos sex hebdomadas, alios septem, non quidem continuas, sed posito post 15. quemque diem intervallo. Sed Sotrates, quum Græcus esset, Sabbathum exemptum dicit apud Latinos, quum feriam quintam dicere debuisset. Florebat enim Socrates, tempore Leonis, cujus ætate non Sabbathum, sed feria quinta erat ab jejunio immunis. Nec falso videtur dixisse Socrates, Romanos tres solum hebdomadas jejunasse. Forte enim reliquis diebus, quod nunc fieri cernimus, inopiæ, & egestatis causa, esus eis carnium erat concessus. Antiquitus autem, imo & nostris temporibus ante Benedictum XIV., ii, quibus esus carnium concedebatur, omnino censebantur ab jejunio soluti. Hæc pro Socrate, quem acrius nonnulli insectantur, vel ejus textum corruptum existimant.

PROPOSITIO VII.

De Jejunio quatuor Temporum, & festorum Vigiliis.

1. ECclesia Catholica sicut annum sanctificat annuo Quadragesimali jejunio, ita & menses singulos menstruo, & suo quoque in fer. 6. hebdomadam hebdomadario consecrat. Hebræi porro ex Dei institutione mensis quarti, quinti, septimi, & decimi jejunium observabant, de quibus Zachariæ 8. Unde Isidorus Jejuniorum tempora, inquit, (1. *de offic. Eccl. cap. de jejun.* 4. *Temp.*) quatuor secundum Scripturas esse definita. Non quod Christiani Hebræorum legibus, aut institutis teneamur, qua libertate Christus nos liberavit, sed quod libere ea, quæ in lege, & Prophetis æqua nobis, congrua, utiliaque invenimus, imitari studeamus. Unde Leo serm. 7. Quod ex veteris, inquit, prædictione doctrinæ ad purificationem animorum, & corporum nostrorum jejunium septimi mensis assumimus, non legalibus nos oneribus subjicimus, sed utilitatem continentiæ, quæ Christi Evangelio servit, amplectimur. Idem in serm. 2. de Pentecostes

stes jejunio, testatur, quatuor temporum observationem ex Apostolica institutione descendere, & in serm. 7. de jejunio decimi mensis, ait, jejunia quatuor temporum in universa Ecclesia observari. Quod autem semper in universa Ecclesia receptum est, nec invenitur in plenario aliquo Concilio statutum, aut Pontificum decretis institutum, id ex Apostolica traditione descendit, ut est ex Augustino sæpe dictum: ergo &c. Et videtur hæc Leonis sententia confirmari ex illis verbis, quæ habentur Actor. 27. Incipiebat enim, inquit Lucas, non esse tuta navigatio, quoniam jejunium jam prætcrierat. Lucas autem Græce scripsit, ex quo apparet, non ad Hebræos, vel eos, qui ex circumcisione ad fidem, sed ad eos, qui ex Gentibus conversi fuerant, scripsisse. Non autem recte eis designaret tempus anni per jejunium, nisi tale jejunium statum esset, & solenne in illa statione anni suscipi solitum: ergo sive illud esset jejunium septimi mensis, ut quidam putant, sive decimi, ut rectius alii, certe tale jejunium erat ab eo tempore Christianis notissimum, & solenne. (*in Comm. huj. loci.*) Quod si cum Chrysostomo, & Oecumenio velis, Lucam loquutum de jejunio Hebraico mensis Thisri, seu septimo, solum inde probabitur, Christianos tempore Apostolorum veteres Judaicos ritus Evangelio non repugnantes, quamvis non ex necessitate præcepti, imitari voluisse. Ex quo pariter efficitur, quatuor temporum observationem ad nos ex Apostolicorum temporum exemplo, ac doctrina descendere, quod erat propositum. Confirmatur id ipsum testimonio Clement. Romani in 5. Constit. cap. 23. Item: Leo Pontifex testatur, (*Epist. ad Dioscor. Alexandrin. quæ est 81. cap. 1.*) ex Apostolorum venire doctrina, ut sacræ Ordinationes præmisso jejunio consecrentur. Nam Dominus missurus Apostolos, in oratione, & jejunio pernoctavit in monte, ubi Ambrosius: Quid nos facere convenit, quum aliquod pietatis officium adorimur, quando Christus missurus Apostolos, in monte, & oratione pernoctavit. Similiter Apostoli missuri Paulum, & Barnabam in opus, ad quod eos assumpserat Spiritus Sanctus, Actor. 13. jejunium, & orationem præmiserunt impositioni manuum, sicut ibidem scriptum est: Tunc jejunantes, & orantes, imponentes eis manus dimiserunt illos. Antiquitus autem sacræ ordinationes non fiebant nisi mense Decembri, ut ex Pontificali Damasi, & multis aliis Antiquorum testimoniis convincitur: Decimi ergo mensis jejunium ex Apostolorum praxi, & institutione descendit. Unde concludit Leo: jejunium, quod Apostolica traditione obsequitur, sancta observantia celebremus. Præterea: Callixtus Papa, qui Martyr occubuit ann. Christi 224. testatur, (*in epist. ad Benedict.*) jam suo tempore ter in anno jejunium celebrari solitum: ergo saltem tria illa jejunia ante ann. Christi 200. in usu erant ab Apostolis, aut ab

eorum proximis successoribus ex Apostolorum doctrina derivata. Sed difficultatem ingerit in hoc textu quod ibidem legitur: Jejunium, quod apud nos ter in anno celebrari didicistis, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus: ergo ante Callixtum non erat jejunium quatuor temporum institutum, aut saltem ea forma, qua nunc utimur, non ex Apostolorum, sed ex Callixti Papæ authoritate inducta est. Propter hanc difficultatem quidam putarunt, mendum irrepsisse in textum, & non legendum *ter* in anno, sed *quater* in anno. Sed hæc responsio repugnat omnibus MS. Codicibus, & excussis, qui semper habent *ter*. Repugnat etiam manifeste contextui, atque sententiæ Pontificis. Quidam eam Decretalem inter Apocryphas computarunt, & certe Correctores Romani eam rejecerunt, ut Antonius Augustinus scripsit in 2. de Emendat. Gratiani, ut dictum alibi. (*Prolog.* 1. *in Cal.* I.) Nonnulli melius existimant, jejunia hæc duodecim, quæ nunc per quatuor anni partes distributa sunt, ita ut unicuique stationi anni respondeant tria, ante Callistum ita fuisse distributa, ut quatuor cuique stationi responderent, ita ut Callixtus non jejunium aliquod auxerit, sed distribuierit in 4. trimestribus per 3., quod observatum erat in 3. quadrimestribus per 4. Sed hæc ingeniosius videntur dicta, quam verius. Leo quidem multo posterior Callixto ita loquitur: Post Sanctæ lætitiæ dies, quos in honorem Domini resurgentis, & deinde in cœlum ascendentis exegimus, postque acceptum Spiritus Sancti donum, salubriter, & necessarie consuetudo est ordinata jejunii, id est, post Pentecostén. Meo quidem judicio probabilius dicitur, fuisse etiam ante Callixtum jejunia per quatuor anni tempora distributa; sed quoniam horum unum semper incidit in Quadragesima, ideo tria solum numerari per se. Voluisse autem Callixtum quatuor tempora ita distinguere, ut verni temporis jejunium per sese consideratum, & non ratione solius Quadragesimæ obligationem induceret. Atque hinc observatur, ut quando in Quadragesima esus carnium ex communi causa indulgetur, tres tamen illi dies excipiantur. Non ergo novum jejunium addidit Callixtus, non quartum tempus jejunii constituit, quod Bellarminus, (2. *de bon. operib. cap.* 19.) & alii voluerunt, sed ejusdem jejunii post primam hebdomadam Quadragesimæ diversas rationes obligandi distinxit, atque hæc conciliandæ hujus Decretalis ratio aperta videtur, & solida. Et eadem esse videtur ratio, si de Vigilia D. Thomæ, aut alicujus Sancti intra Quadragesimam præceptum imponeretur.

2. Porro circa horum jejuniorum observationem, & dierum determinationem, quum variatum esset, Urbanus II. in Concilio Placentino ita decrevit, & habetur in cap. Statuimus dist. 76. ut quatuor temporum jejunia hoc ordine celebrentur. Primum in initio Quadragesimæ, id

est,

est, in hebdomada post Dominicam primam Quadragesimæ. Secundum in Hebdomada Pentecostes, de quo tamen occurrit difficultas, nam D. Thomas docet, (2. 2. *qu.* 147. *art.* 5. *ad tertium*) toto tempore nullum est jejunium ab Ecclesia institutum, quod quidem D. Thomas more suo ex Patribus desumpsit. Inquit enim Ambrosius, ut habetur in cap. Scire dist. 76. Per hos quinquaginta dies jugis est nobis, & continuata festivitas, ita ut hoc omni tempore neque ad observandum indicamus jejunia, neque ad exorandum Dominum genua flectamus . . . . . Ad instar ergo Dominicæ Resurrectionis 50. dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies veluti Dominici computantur. Dicendum est ergo, D. Thomam, sicut Ambrosium pro Paschali tempore solum intellexisse quinquaginta illos dies, qui inter Resurrectionem, & Dominicam Pentecostes interfluunt, in quibus jure communi nullum est indictum jejunium. Contra vero est, nam Vigilia Pentecostes intra illos 50 dies cadit, & tamen in Vigilia Pentecostes universa plebs Christiana jejunium servat. Respondet Azorius lib. 7. cap. 13. jejunium in Pervigilio Pentecostes non esse jure communi indictum, generali tamen Latinæ Ecclesiæ consuetudine, quæ legis, & præcepti vim habet, solum observari, & observari necessario debere, quod ipsum tradit Gratianus in cap. Scire distinct. 76. §. Necessario. Jejunium enim in Vigilia Pentecostes non afflictionis est, sed exultationis, unde in eo hymnus Angelicus, & Alleluja cantatur. Jejunium autem exultationis, inquit D. Thomas, ex instinctu Spiritus Sancti procedit, qui est Spiritus libertatis, & ideo hoc jejunium sub præcepto cadere non debet. Jejunia ergo, quæ præcepto Ecclesiæ instituuntur, sunt magis jejunia afflictionis, quæ non conveniunt in diebus lætitiæ. Propter quod non est jejunium ab Ecclesia institutum in toto Paschali tempore, id est, uti diximus, a Pascha usque ad Pentecosten. Jejunium ergo in Vigilia Pentecostes ex privata fidelium devotione, & pietate inductum, quæ quum a multis sæculis observatum fuerit, in legis, & præcepti Ecclesiastici consuetudinem transivit, atque adeo ex necessitate servandum, ut Glossa tradit in cap. Nosse cit. dist. 76. Tertium jejunium, pergit Urbanus, est autumnale in mense Septembri, & ex antiqua consuetudine ponitur in 3. hebdomada Septembris prope festum S. Matthæi. Quartum est Hiemale, quod mense Decembri more solito fiat. Fit autem secundum instituta Patrum, & usum Romanum in 3. hebdomada Adventus.

3. Præter hæc fuerunt etiam antiquitus mobilia jejunia in 4.

heb-

hebdomadis Adventus Domini, & in tribus diebus Rogationum ante Ascensionem. Sed hæc obsoleverunt, & vix apud aliquos Regulares Ordines, & in Ecclesiastico officio eorum vestigia remanent. Jejunia autem immobilia in pervigilio magnarum festivitatum & fuerunt olim, & adhuc remanent plura; de quibus frequens mentio apud antiquos, & recentiores Patres, & Ecclesiasticos Authores. Solebant enim Veteres, & nunc quamvis rarius Christiani in præparationem ad præcipuas anni festivitates pridie ejus diei vigilare in orationibus, in sacris lectionibus, ac meditationibus, Hymnis, & Canticis spiritualibus. Et hæ quidem sacræ exercitationes, si noctu fiebant, Vigiliæ; si autem interdiu, Stationes dicebantur, sumpta ex militaribus stationibus appellatione, quod Tertullianus monuit in lib. de Oratione. Inde stationis nomen pro jejunio, & pro Vigilia accipitur promiscue apud veteres. Proprie tamen loquendo diversa significant. Statio enim, inquit Bellarminus, (*lib. cit. cap.* 22.) est diurna vigilia tempore solennis jejunii. Quum enim publice, & solenniter jejunabatur, vigilabant in orationibus, & hæc vigiliæ orantium, & jejunantium, & quasi Excubiæ Stationes dicebantur. Stationes fiebant usque ad horam nonam, vel ad Vesperam, quando solvebatur jejunium, & semper fiebat in diebus jejuniorum, ut fer. 4., & sexta, & solvere Stationem, idem erat ac solvere jejunium, ut ex Tertulliano, (*loc. cit.*) & Cassiano (*Collat.* 21. *cap.* 29.) liquet. Nunc autem Statio jejunium non importat, nec determinatos dies. Unde etiam in Dominicis, & diebus festis Stationes fiunt, ex privata fidelium devotione. Neque omne jejunium sequitur Vigilia. Fiunt enim jejunia, quin sequatur Vigilia, & Vigiliæ fiunt, quin præcesserit jejunium saltem publicum, & solenne. Forte D. Gregorius primus fuit, qui Stationem ab jejunio separavit; quum Dominicis, & festis diebus Stationes fieri decrevit. Idem etiam pro Stationibus diversa loca designavit, quum antea in eadem Ecclesia omnes ad orationem convenirent, & usque ad Nonam, aut Vesperam ibidem perseverarent. Quum enim sæpe Ecclesia, ad quam convenire ad stationem oportebat, exigua esset, nec ingentem multitudinem capere posset, consuetudine inductum fuit, ut non iidem diem totum Ecclesiam occuparent, sed alii aliis oraturi succederent, & per diversa loca Stationes fierent in eodem die, ut commodius ad omnes spiritualis fructus perveniret; & hæ Ecclesiæ dicuntur Stationum Urbis, quas deinde invisentibus, & pro communibus Ecclesiæ necessitatibus orantibus Indul-

dulgentiæ concessæ sunt. Deinde additum, ut in hujusmodi Ecclesiis Sanctum Domini corpus in Eucharistia exponeretur, quæ mox latissime per totum orbem Christianum diffusa sunt, ut quamvis Veterum Christianorum stationes austeriores fuerint, nostræ tamen confluentium per diem totum numero, & regionum, quibus observantur, amplitudine & devotionis, ac fructus spiritualis abundantia non sint inferiores. Præter has autem quasi publicas stationes, sive solennem concursum, aut cœtum fidelium ad determinata loca secundum indictas stationes confluentium, aliæ sunt Stationes privatæ, quibus multi Christiani, sæpe cum tota familia sua, voti, aut devotionis causa, in Ecclesiis, & locis celebrioribus conveniunt, vota Deo offerunt, diemque totum post Sacrificium, & Eucharistiam susceptam in orationibus vigilantes excubant, donec post Nonam, aut ad Vesperum epulantur coram Domino, & pleni spiritualis dulcedinis domum revertuntur. Et hoc quidem Stationum genus non infrequens, antiquis est similius, ac veluti primitivæ Christianæ vitæ vestigium, piis, ac veris Christi cultoribus, & antiquitatis sinceris amatoribus dulcissimum. Hæc faciant, qui voluerint Veterum Vigilias, & Stationes imitari, & quæ publicum ob bonum circa Vigilias, & Stationes Ecclesia prudentissime statuit, non mordeant, sed cum simplicitate, & sinceritate suscipiant.

4. Sunt autem ex præscripto communi Ecclesia observanda jejunia in pervigilio Dominici Natalis, & Pentecostes. In Vigilia Assumptionis B. Mariæ in Vigiliis Apostolorum præter Philippum, Jacobum minorem, & Joannem, in Vigilia Joannis Baptistæ, Laurentii, & omnium Sanctorum.

PRO-

PROPOSITIO VIII.

Tertii præcepti æquitas, & sanctitas adstruitur.

1. TErtium præceptum est, quo Decimas, & Primitias Deo consecrare, & Ecclesiæ tradere jubemur. De primitiis postmodum. Decimæ autem sunt, partes decimæ rerum omnium corporalium, ex quibus fructum aliquem prætio æstimabilem decerpimus, quæ Deo bonorum omnium authori debentur in signum supremi dominii, & quæ ab ipso Deo destinatæ sunt in sustentationem sibi dicatorum Sacerdotum, & Ministrorum. Latissime autem tractant de hoc argumento Theologi quum Scholastici in 2. 2. D. Thomæ, tum Morales in tertium Ecclesiæ præceptum, & Juris Canonici Interpretes in tertium Decretalium tit. de Decimis. Azor. Inst. Mor. (*Par.* 1.) lib. 7. cap. 29. Suarezius in 2. 2. D. Thom. qu. 87., Reiffenst. in 3. lib. Decret. tit. de Decimis, Castropalaus tract. 10. partis secundæ disput. unica. Ex quibus, D. Thoma præeunte, selectiora dabimus, explicantes qua ratione, ac jure Decimæ debeantur, quibus, a quibus, & ex quibus rebus. Et primo quidem statuendum est contra Wiclefum, & Recentiores Anabaptistas, solutionem Decimarum omni juri naturali, divino, atque humano esse conformem, atque adeo & potuisse lege Ecclesiæ præcipi, & Ecclesiæ subditos in conscientia ad eam servandam teneri. Ecclesiæ namque Ministris spiritualia seminantibus temporalia deberi, supra statutum est.... (*lib.* 12. *pr.* 11.) Hinc Decimæ in veteri lege dabantur ad sustentationem Ministrorum Dei. Unde dicitur Malach. 3. Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea. In quem locum Hieronymus sic scribit: Quod de decimis, & primitiis diximus, quæ olim dabantur a populo Sacerdotibus, ac Levitis, in Ecclesiæ populis intelligite, quibus (non veteris legis vigore, sed rationis identitate) præceptum est, non solum decimas, & primitias dare, sed & vendere omnia, quæ habent, & dare pauperibus: quod si facere nolumus, (quoniam consilii, non præcepti est) saltem Judæorum imitemur exemplum, ut pauperibus partem demus ex toto, & Sacerdotibus, ac Levitis honorem debitum deferamus: quod qui non fecerit, Deum fraudare, & supplantare convincitur. Et Augustinus, seu quis est author serm. 219. de tempore: Deus, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sic enim per Prophetam promittit, dicens: Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea, & probate me in his, dicit Dominus.... Præceptum igitur de solutio-

tione Decimarum partim quidem erat morale inditum ratione naturali, partim etiam erat judiciale ex divina institutione robur habens. Quod enim eis, qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria ad victum ministraret, ratio naturalis dictat, sicut & his, qui communi utilitati invigilant, ut principibus, & militibus, & aliis hujusmodi, stipendia victus debentur a populo. Et hæc ratio eadem est in populo Christiano, atque in Hebræo. Dignus enim est operarius mercede sua. (*Matt.* 10.) Unde & Apostolus hoc probat 1. ad Corin. 9. per humanas consuetudines, dicens: Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Si vobis Spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Qui ergo in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt, & qui Altari deserviunt, cum Altari participant. Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Sed quamvis & Levitis veteris, & Ministris novæ legis alimenta debeantur a populo, cui serviunt, ex jure naturæ... tamen determinatio certæ partis exhibendæ Ministris divini cultus non est de jure naturali, sed est introducta institutione divina, secundum conditionem illius populi, cui lex dabatur. Quum enim populus ille in duodecim tribus divisus esset juxta numerum filiorum Jacob, (nam tribus Ephraim, & Manasse non duæ integræ, sed duæ dimidiatæ tribus erat, & unam componebant integram tribum Joseph) duodecima tribus erat Levitica, quæ tota erat ministeriis divinis mancipata, & nullas possessiones habebat, quæ eis ex sortitione Palæstinæ contigisset. Unde convenienter institutum fuit, ut reliquæ undecim tribus decimam partem suorum proventuum Levitis darent, ut honorabilius viverent, & quia etiam multi per negligentiam, aut impietatem non erant soluturi. Hinc quantum ad determinationem decimæ partis erat præceptum judiciale, sicut & alia multa, quæ in illo populo erant instituta specialiter ad æqualitatem inter homines ad invicem conservandam secundum illius populi conditionem, ubi omnes duodecim fratrum filii, aut nepotes erant, & ab uno Jacobi communi stipite derivati, & hæc omnia dicebantur præcepta Judicialia, licet ex consequenti aliquid significarent in futurum, sicut & reliqua omnia, quæ in figura contingebant illis, ut est apud Apost. 1. ad Cor. 10. Et in hoc judicialia præcepta cum cæremonialibus conveniebant, quæ principaliter erant instituta ad aliquid futurum significandum. Unde etiam præceptum de solvendis decimis aliquid futurum significavit. Denarius enim est quodammodo numerus perfectus, quasi primus limes numerorum, ultra quem numeri non procedunt, sed reiterantur ab uno. Unde qui decimam dat, novem sibi partibus reservatis, protestatur quasi quodam signo,

ad se pertinere imperfectionem; perfectionem vero, quæ erat futura per Christum, expectandam esse a Deo. Et inde quoque infert Apostolus, Melchisedech, cui Abraham decimas obtulit, esse majorem Eo, qui decimas obtulit. Nec tamen propter hoc est præceptum cæremoniale, sed judiciale, ut dictum est. Hæc autem differentia est inter judicialia, & cæremonialia legis præcepta, ut supra dictum est, (*lib.* 8. *prop.* 4.) quod mere cæremonialia illicitum est observare tempore legis novæ; judicialia vero, quamvis non obligent tempore legis Gratiæ, possunt tamen observari sine peccato, & ad eorum observationem obligantur aliqui, si statuantur authoritate eorum, quorum est leges condere. Sicut præceptum judiciale veteris legis erat, ut qui furaretur ovem unam, redderet quatuor Ex. 22. Quod si id ab aliquo Principe lege sanciretur, tenerentur ei Subditi ejus obedire. Ita ergo determinatio decimæ partis solvendæ est authoritate Ecclesiæ tempore novæ legis instituta, secundum humanitatem, ut scilicet non minus populus novæ legis Ministris novi Testamenti exhiberet, quam populus veteris testamenti exhibebat, quum tamen populus Christianus ad majora obligetur, dicente Domino: Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matt. 5. Et quum Ministri novi Testamenti longe majoris sint dignitatis, & majoribus subsint oneribus, quam Ministri veteris testamenti, ut probat Apostolus 2. ad Corint. 2. Sic ergo patet, quod ad solutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex jure naturali, rei substantia, & fine considerato, partim vero quoad designationem decimæ partis ex institutione Ecclesiæ, quæ tamen, pensatis opportunitatibus temporum, & personarum, posset aliam partem majorem, aut minorem determinare solvendam.

2. Tria igitur tempora distinguenda sunt, nimirum, legis naturalis, legis scriptæ, & legis Gratiæ. In lege igitur naturali, sive ante tempus legis Mosaicæ, non erant determinati Ministri divini cultus, sed dicitur, primogenitos fuisse quasi natos Sacerdotes, qui duplicem portionem accipiebant. Et ideo non erat determinata aliqua pars exhibenda Ministris divini cultus, sed ubi aliquis occurrebat, unusquisque dabat ei propria sponte, quod sibi videbatur. Sic Abraham quodam prophetico spiritu dedit decimas Melchisedech Sacerdoti Dei summi Gen. 14., Sic & Jacob decimas vovit se daturum, quamvis non videatur eas vovisse quasi Ministris exhibendas, sed in divinum cultum, puta, ad sacrificiorum consummationem, unde signanter dixit: (*Genes.* 28.) Decimas offeram tibi .... In veteri autem tenebantur homines ad triplices decimas solvendas, quarum quasdam dabant Levitis Num. 18., & in eorum usus cedebant. Aliæ quoque erant

rant decimæ, de quibus Deuteron. 14. ibi: Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis, qui nascuntur de terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit Deus. Erant quoque aliæ decimæ, de quibus ibidem subditur: Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, venietque Levita .... & peregrinus, & pupillus, & vidua, qui sunt intra portas tuas, & comedent, & saturabuntur. Ex his vero .... secundæ decimæ, (*ad* 4.) quæ reservabantur ad sacrificia offerenda, locum in nova lege non habent, cessantibus legalibus victimis. Tertiæ vero decimæ, quas cum pauperibus partiri debebant, in nova lege non sublatæ sunt, sed potius auctæ, quoniam Dominus non solum decimam partem, sed omnia superflua pauperibus dari jubet, dicens: (*Luca* 11.) Quod superest, date eleemosynam. Ipsæ etiam primæ illæ decimæ, quæ exhibentur Ministris Ecclesiæ, per eos debent in usus pauperum dispensari.... Et de his, quantum ad id, quod erat morale, datum est in Evangelio præceptum a Domino dicente, dignus est operarius mercede sua, & ab Apostolo 1. ad Cor. 9., ut supra; sed certæ partis determinatio, nimirum decimæ, fuit reservata ordinationi Ecclesiæ, quæ, statu Christianitatis attento, & Ministrorum oneribus, & numero, hanc congruam judicavit.

3. Opponunt tamen quidam, eam determinationem, seu taxationem Ecclesiæ partis decimæ, nec rationi consonam esse, nec æquam: ut enim talis esset, deberet esse eadem, aut similis proportio inter Tribus Levi, & reliquas Tribus Israel, atque inter clerum Christianum, & reliquum Christianum Populum, ut sicut Tribus Levi erat duodecima pars Populi Israelitici, ita Clerus Christianus esset pars duodecima Christiani Populi, quod certe (inquiunt) non est. Hoc argumentum tractarunt Cajetanus in hunc Div. Thomæ locum, & singulari cap. 25. lib. 1. de Cler. Bellarminus. Nos autem assuntum negamus. Justitia enim hujusmodi Ecclesiastici præcepti non ex æqualitate præcise, aut proportione Cleri, & Populi Christiani cum Leviticis, & Populo Israelitico, sed ex intentione, ac fine Ecclesiæ probatur. Judicium porro de his, quæ sunt ad finem, ex ipso fine sumendum est, non secundum ea, quæ ipsis conveniunt per accidens, sed secundum ea, quæ fini conveniunt per se.

4. Inter decimas autem Veteris legis, & novæ hæc est per se differentia, quod in lege Mosaica dabantur duntaxat ad victum, sive sustentationem Ministrorum; nunc vero ex Ecclesiæ institutione dantur & in sustentationem Ministrorum, & in patrimonium Pauperum. Hæc enim primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma instituta est, inquit Beda, (in Luc. cap. 12.) a Christo Domino, qui cum ei necessaria

ministrarentur ab Angelis, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuit, quibus & suorum necessitatibus, aliisque indigentibus provideret. Quod autem dictum est: Nolite possidere in crastinum, non ideo esse præceptum putandum, ut nil pecuniæ reservetur a Sanctis, sed ne Deo propter ista serviatur, & propter inopiæ timorem justitia deseratur. Unde statutum est, ut ex bonis omnibus Ecclesiæ, quod ab Gregorio ad Augustinum Anglorum Episcopum scriptum est, quatuor partes fierent, quarum una cedat Episcopo propter suam, & suæ familiæ sustentationem, & propter hospitalitatem, ac susceptionem egenorum. Nam Episcopum in primis hospitalem esse oportet, ut monuit Paulus, (Timoth. cap. 3.) & ejus tectum omnium esse oportet diversorium, quod dictum est ab Ambrosio.

5. Alia pars Clero, quæ per eos, deductis ad victum necessariis, debet in usum Pauperum dispensari, ut D. Thomas supra dixit. Tertia tota quota est erogetur Pauperibus. Quarta reservetur Ecclesiis reparandis. Antiquitus autem unum erat Templum, nec Sacerdotes, aut Ministri ex primis decimis quidquam pro sustentatione egenorum, aut pro quotidianis Sacrificiis contribuere tenebantur, nam ad hunc finem secundæ, & tertiæ decimæ erant institutæ. Igitur, quamvis attento stipendio, & victu Clericorum Curatorum, abundantissima cuique videri possit taxatio decimæ partis; tamen attentis oneribus, quæ Parochis competunt celebrandi, & Sacramenta ministrandi, ad quæ multa indigent suppellectili, reficiendarum Ecclesiarum, & maxime subveniendi Pauperibus, quos semper habemus nobiscum, nec possunt unquam ex Mundo deficere, his (inquam) attentis, verum id esse comperietur, quod a Div. Thoma dictum est, decimæ partis taxationem secundum humanitatem fuisse impositam ab Ecclesia, quia etiamsi amplius exigisset, nunquam posset, aut pietati, & devotioni Christiani Populi frenum imponere, quin majora quandoque consecrarent, ut experimento compertum est, aut necessitatibus Pauperum modum, ut non multis indigerent. Et hæc in Ecclesiasticæ æquitatis defensionem, pro obturando Wiclefistarum, & impiorum Politicorum ore blasphemo, dicta sint. Vide affinia multa supra lib 12. prop. 11. & 12.

6. Ex alia autem parte contra allatam D. Thomæ doctrinam argumentari quis posset, ut efficeret, institutionem Decimarum non ex Ecclesiæ statuto profectam, sed ex divino jure, nec potuisse, aut posse Ecclesiam partem aliam determinare solvendam, aut contrariam unquam consuetudinem prævalere. Ita Glossa in cap. 1. de Decimis in 6. Innocentius, Panormitanus, Hostiensis, & communiter Canonistæ adeo huic opinioni mordicus adherentes, ut D. Thomæ,

quæ

quæ communis est Theologorum, sententiam ab jure Pontificio improbatam esse, & vix non hæreticam dicant. Moventur autem nonnullorum Patrum, & Conciliorum, aut Pontificiarum Decretalium loquutionibus, quibus dicitur, decimationem esse divino jure statutam, esse Dei præceptum, haberi in Scripturis &c. Hic tamen manifestus est Canonistarum error, inquit Bellarminus. (*lib. cit.*) In cap. enim In aliquibus de Decimis, cui maxime Canonistæ innituntur, diserte dicitur, illas decimas necessario esse solvendas, quæ debentur ex divina lege, vel ex loci consuetudine approbata. Qui vero posset aliud induci per consuetudinem, si decimæ partis determinatio esset de jure divino? Textus ergo Canonici, in quibus dicitur, decimam a Deo præceptam, aut designatam esse, vel divino jure deberi, tribus modis intelligi possunt cum Bellarmino eodem. I., ut sensus sit, deberi jure divino decimas, quoad substantiam, id est, jure divino stipendium, & mercedem Ministris, seu Pastoribus, dicente Domino: (*Luc.* 10.) Dignus est operarius mercede sua; non quoad determinatam quantitatem, nisi supposita taxatione per Ecclesiam, sicut jure divino punienda delicta sunt, sed pœna mortis, aut exilii non nisi ex determinatione legum. Et ita intelligendus Can. 5 Concilii Matisconensis II., atque alii similes. II., ut sensus sit, Deum instituisse decimas exemplo, non præcepto nobis dato. Dum enim eas Judæis imposuit, facto ipso ostendit, quid Christianos facere par esset, quo sensu Patres dicunt, jejunium Quadragenarium esse a Christo institutum, quia, nimirum, exemplo suo nos docuit, quum Quadragenarium jejunium consecravit. III., ut sensus sit, deberi jure divino, id est, juxta eam quantitatem, quæ habetur in jure divino; quamvis non ex vi juris divini, sed ex vi institutionis Ecclesiæ, quæ jus divinum in hac parte adoptavit, & suum fecit. Et hoc modo dicitur cap. In aliquibus de Decimis: solvendas esse decimas, quæ debentur jure divino, id est, juxta quantitatem jure divino assignatam, ut fit, ubi solvuntur exacte decimæ, vel juxta quantitatem consuetudine loci determinatam, ut fit, ubi solvitur quantitas major, aut minor decima. His addi potest, Canonistas quandoque jus divinum large sumere pro jure Ecclesiastico, & Canonico, quoniam Ecclesiastica legislatio divinæ Christi authoritati innititur, ut eam distinguant contra jus civile, aut humanum, quod, nimirum, quamvis a Deo sit, tamen ex hominum placito, & authoritate descendit.

7. Sed instat Reffenstuelius. (*lib.* 3. *tit.* 30. §. 1. *n.* 13.) Ubi controvertitur, an præceptum sit de jure divino, an Ecclesiastico, stare debemus, & acquiescere interpretationi Ecclesiæ, ac Summorum Pontificum, & Conciliorum; sed Pontifices, & Concilia, loquendo de novo testamento, & præsenti statu rerum, sæpe declarant, decimas de-

deberi jure divino: ergo ita simpliciter est loquendum. Minorem probat ex Can. Decimas 16. quæst. 1. Decimas a populo Sacerdotibus, & Levitis esse reddendas, divinæ legis sanxit authoritas. Et 16.q.2. can. 2. Decimas dari, Deus ipse constituit. Et in Conc. Lateran. sub Gregorio VII. Decimas, quas fideles, præcipiente Domino, offerunt &c. Alex. III. cap. Parochianos de Decimis: Decimæ non ab homine, sed ab ipso Deo sunt institutæ. Et eod. tit. cap. Tua. Innoc. III. Decimæ divina institutione debentur. Et cap. Tua nobis. tit. eod. Decimas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit. Et cap. Quum non. eod. tit. Deus in signum universalis dominii, quasi quodam speciali titulo sibi Decimas reservavit &c. in quam sententiam alia loca innumera. Respondetur, nunquam Pontifices, Patres, aut Concilia dixisse, aut declarasse, decimarum solutionem in novo Testamento esse impositam, unde quod dicunt, Deum sanxisse, præcepisse, instituisse, constituisse, reservasse sibi decimas, intelligendum est modo secundo a Bellarmino assignato, de præcepto dato antiquo populo, ad cujus exemplum, Ecclesia idem in novo Testamento constituit. Quod necesse est, ut fateatur Reffenstuelius cum Canonistis omnibus, nisi velint, Christianos ad omnia Mosaica præcepta observanda teneri, quod Judaizantium Hæreticorum delirium est jam dudum explosum.

8. Jam vero Decimarum tres sunt species, aut saltem duæ. Aliæ enim sunt prædiales, nimirum, quæ debentur ex terræ fructibus, arboribus, seminibus, oleribus &c. Personales dicuntur, quæ ex personali hominum labore proveniunt, ut mercatura, artificio, piscatione, venatione, militia, &c. Mixtæ ab aliquibus dicuntur, quæ partim ex terra, partim ex hominis industria proveniunt, ut zacharum, vinum, & alia hujusmodi. Conclusio universalis habetur cap. Ex transmissa, de Decimis, his terminis: fidelis homo de omnibus, quæ licite acquirit, decimas erogare tenetur. Et cap. Tua nobis, eod. De cunctis omnino proventibus decimæ sunt reddendæ. Et expressius in cap. Non est. eod. tit. Revera, sicut sancti Patres in suis tradiderunt scriptis, de vino, grano, fructibus, arboribus, pecoribus, hortis, negotiatione, ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ .... antequam ullæ deducantur ex bonis prædictis expensæ. Hujus decisionis rationem affert D. Thomas: (*qu. cit. art.* 2.) Nam de unaquaque re judicandum est secundum ejus radicem, seu rationem primariam. Radix autem solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia, debentur carnalia, juxta Apostolum cit. 1. ad Cor. 9. Super hoc enim debitum fundavit Ecclesia determinationem solutionis decimarum. Omnia autem, quæ homo possidet in hoc mundo, sub carnalibus con-

continentur: ergo de omnibus, quæ possidet, decimæ sunt solvendæ.... Et ideo in nova lege tenentur homines ad decimas personales secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam Ministrorum. Unde Augustinus dicit, & habetur 16. qu. 1. cap. Decimæ: De militia, de negotio, de artificio redde decimas.

9. Bene autem dixit D. Thomas *in nova lege*.... Nam specialis ratio fuit, quare in lege veteri non fuit datum præceptum de personalibus decimis, secundum conditionem populi illius. Quia, nimirum, omnes aliæ tribus habebant possessiones, de quibus poterant sufficienter providere Levitis, qui carebant possessionibus; non autem interdicebatur eis, quin de aliis operibus honestis lucrarentur, sicut & alii Judæi. Sed populus Christianus est ubique per mundum diffusus, atque ideo plurimi possessiones non habent, unde decimam solvant, sed de aliquibus negotiis vivunt. Hi ergo nihil conferrent ad subsidium Ministrorum Dei, si de propriis negotiis decimas non solverent. Ministris etiam novæ legis arctius interdicitur, ne se ingerant negotiis lucrativis. Nemo enim militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut dicitur 2. ad Timoth. 1. Et ideo &c. Signanter item dixit D. Thomas: *secundum consuetudinem patriæ*. Nam quamvis in toto negotio decimarum maxime standum sit consuetudini, ut communiter dicunt Doctores, maxime autem in decimis personalibus. Unde factum est, ut quamvis jure communi statutæ fuerint, jam fere per contrariam consuetudinem obsoleverint, ut jus illud censeatur penitus abrogatum, quod Suarius, Castropalaus, Azorius, & multi de suis nationibus, & Provinciis testantur. Addidit item D. Thomas: *secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam Ministrorum*. Nam etsi consuetudo decimandi introducta non fuerit, aut per contrariam consuetudinem in aliqua provincia, v. g. in Italia, cessaverit, tamen si Ministri Ecclesiæ indiguerint, possunt stipendium sibi debitum petere, & Parochiani tenebuntur solvere, jure naturæ id exigente, contra quod nulla præscriptio currit, nulla desuetudo prævalet. In omni enim servitio, officio, aut munere dignus est operarius mercede sua, & sui laboris stipendio.... Quia vero (*art. 1. ad 5.*) Ministri Ecclesiæ majorem curam habere debent spiritualium bonorum in populo promovendorum, quam temporalium exigendorum, ideo Apostolus noluit uti potestate sibi tradita a Domino, ut scilicet acciperet stipendia victus ab his, quibus Evangelium prædicabat, ne daretur impedimentum aliquod Evangelio Christi. Nec tamen peccabant illi, qui ei non subveniebant, alioquin Apostolus eos corrigere non omisisset. Et similiter laudabiliter Ministri Ecclesiæ decimas, aut stipendia non exigunt quandoque, ubi sine scandalo, aut nota avaritiæ requiri non possunt, vel propter desuetudinem, vel

pro-

propter aliam causam. Nec tamen sunt in statu damnationis, qui non solvunt in locis illis, in quibus Ecclesia non exigit, nisi forte propter obstinationem animi, ut si haberent voluntatem non solvendi, etiam si ab eis peterentur.

10. Circa illud autem, quod dicitur in cap. Ex transmissa, nimirum: *De omnibus, quæ licite acquirit*, notandum, (*art.* 2. *ad* 2.) quod aliqua dicuntur male acquisita dupliciter. Uno modo, quia ipsa acquisitio injusta est, ut quod per rapinam, aut furtum, vel usuram acquiruntur, quæ homo tenetur restituere, & talium nec tenetur, nec potest homo decimas dare, quia sua non sunt; tamen si aliquis ager sit emptus de usura, tenetur de fructu ejus usurarius decimas solvere, quia fructus illi non sunt ex usura, sed ex Dei munere. Quædam vero dicuntur male acquisita, quia acquiruntur ex turpi causa, sicut ex meretricio, histrionatu, & aliis hujusmodi, quæ non obligant ad restitutionem. Unde de talibus tenentur decimas dare juxta modum aliarum decimarum personalium. Tamen Ecclesia non debet eas accipere, quamdiu in statu publico peccati esse noscuntur, ne videatur eorum peccatis communicare. Unde dictum est: (*Deuteron. cap.* 23.) Non offeres ante altare meum pretium de prostibulo. Sed postquam hujusmodi peccatores pœnituerint, aut ad meliorem frugem transierint, possunt ab eis his recipi decimæ.

11. Circa decimas autem duo sunt consideranda, (*art.* 3.) scilicet, ipsum jus accipiendi decimas, & res ipsæ, quæ nomine decimæ dantur, frumentum v. g., aut milium. Jus quidem accipiendi decimas, spirituale est. Consequitur enim illud debitum, quo Ministris Altaris debentur sumptus de Ministerio, seu quo seminantibus spiritualia debentur temporalia, quod ad solos Clericos pertinet, habentes curam animarum, & ideo eis solis competit hoc jus habere. Res autem, quæ nomine decimæ dantur, corporales sunt, unde possunt in usum quorumlibet cedere, & sic possunt etiam ad Laicos pervenire..... Et sic fieri etiam potest, ut dandas decimas Laici accipiant, jure accipiendi Ministris Ecclesiæ reservato, sive pro necessitate Ecclesiæ, sicut quibusdam Principibus, aut militibus decimæ debentur in feudum per Ecclesiam concessæ, sive etiam ad subventionem, sicut quibusdam Religiosis Laicis, vel curam animarum non habentibus, concessæ sunt quandoque per modum Eleemosynæ. Unde fit, ut decimæ debeantur etiam Pastoribus, quamvis divitibus, quamvis patrimonium, aut beneficia Ecclesiastica pinguissima habentibus. Debentur enim pro spirituali ministerio, & labore, qui æque a divite, atque a paupere Pastore suscipitur. Unde, sicut attenta rei natura, æque solvitur stipendium diviti, aut pauperi Medico, Advocato, Militi; ita etiam Parocho, sive dives, sive pauper sit. Addo etiam, si-

ve dives, sive pauper sit. Addo etiam, sive probus sit, sive improbus. Non enim contaminantur Sacramenta ex improbitate Ministri. Præterea: in veteri lege primæ decimæ non dabantur nisi in victum Ministrorum, unde ex his non tenebantur subvenire pauperibus; ad hoc enim speciales aliæ decimæ destinatæ. Sed in lege nova Decimæ dantur, non solum propter sui sustentationem, sed etiam ut eis subveniant pauperibus. Unde & Parochi dicti sunt ad similitudinem eorum, qui apud Romanos Legatis, aut Ministris publicis de hospitio, lignis, sale, & aliis necessariis providere tenebantur, ut est apud Horatium. (*lib.* 1. *sat.* 5.) Sunt enim quasi Administratores, ac Tutores pauperum, & ideo nunquam satis divites esse possunt, ut supra dictum est, (*lib.* 12. *prop.* 11.) quia nunquam possunt licite rem pauperibus a Deo delegatam suis usibus reservare, quod ex Augustino, & Hieronymo habetur cap. Decimæ. 66. 16. qu. 1. cap. Revertimini. 65. 16. qu. 1..... Et ideo, concludit D. Thomas, (*q. cit. art.* 3. *ad primum.*) nunquam superfluunt; quia ad hoc necessariæ sunt & possessiones Ecclesiasticæ, & oblationes, & primitiæ simul cum decimis.

12. Dare autem decimas tenentur omnes Christi fideles sive Laici, sive Ecclesiastici animarum curam non habentes, sive ii Clerici, qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, c. 2. de Decimis ... Quamvis enim (*art.* 4.) idem non possit esse causa dandi, & accipiendi, sicut nec agendi, & patiendi; contingit autem ex diversis titulis, & respectu diversorum, eundem esse dantem, & accipientem, sicut agentem, & patientem. Clericis igitur quatenus sunt Ministri altaris spiritualia seminantes, decimæ a fidelibus debentur. Unde tales Clerici, quatenus tales, id est, quatenus Ecclesiasticas possessiones habent, decimam solvere non tenentur. Et in hoc sensu dicitur in Decretali Paschalis Papæ: (*lib.* 3. *tit.* 30. *cap.* 2.) novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis decimas exigant.... Ex alia vero causa, scilicet propter hoc, quod possident proprio jure, vel ex testamento parentum, vel ex emptione, vel quocumque hujusmodi modo, sunt ad solvendas decimas obligati, quia in his æquiparantur laicis, ut alibi (*lib.* 12. *prop.* 12.) dictum est. Et hoc..... etiam si ipsi sint ejusdem Ecclesiæ Clerici, (*ad primum.*) quia aliud est habere aliquid ut proprium, aliud ut commune. Prædia vero Ecclesiæ non sunt ad solvendas decimas obligata, etiam si sint intra terminos alterius Parochiæ. Regulares autem, (*ad secundum.*) qui sunt Clerici, si habeant curam animarum spiritualia populo ex officio dispensantes, non tenentur decimas dare, sed possunt eas recipere. De aliis vero Regularibus, etiam si sint Clerici, qui non dispensant populo spiritualia ex officio, alia ratio est. Hi

enim tenentur de jure communi decimas dare, habent tamen aliquam immunitatem, secundum diversas concessiones eis a Sede Apostolica diversis temporibus factas .... In veteri autem lege (*ad tertium.*) ipsi etiam Sacerdotes decimam decimæ tenebantur solvere Summo Sacerdoti. Unde & nunc tenentur Clerici Summo Pontifici decimam, aut pensionem aliquam dare, si exigat. Naturalis enim ratio dictat, quod illis, qui habent communem curam animarum, de communi multitudinis statu provideatur, unde possint ea exequi, quæ pertinent ad communem omnium salutem. Quo jure Annatas Summo Ecclesiæ Pastori deberi supra sancitum est. (*lib.* 12. *prop.* 11.) Et quo jure, quibus, a quibus, & ex quibus debeantur decimæ satis, ut reor, explicatum est. Ex quibus principiis facile est ad particulares, & practicas quæstiones descendere, de quibus fuse suo more Canonistæ, & Morales Theologi.

PROPOSITIO IX.

Primitiarum, & Oblationum jus, & ritus.
D. Thomas 2. 2. *q.* 86. *art.* 1.

1. PORro nomen Oblationis, ut ad genus ad speciem descendamus, commune est ad omnes res, quæ in cultum Dei, aut etiam hominum exhibentur. Hic vero de rebus Deo dicatis, atque oblatis sermo est. Ita quod si aliquid exhibeatur quasi in cultum divinum deputatum, aut in aliquod sacrum, quod inde fieri debeat, consumendum & oblatio est, & Sacrificium. Unde Exod. 29. dicitur: Offeres totum arietem in incensum super altare. Oblatio est Domino odor suavissimus victimæ. Et Levit. 2. Anima, quum obtulerit Sacrificii Dei oblationem, simul erit ejus oblatio. Si vero sic exhibeatur, ut integrum, & immutatum maneat divino cultui deputandum, vel in usus Ministrorum expendendum, erit oblatio, & non sacrificium, ut etiam supra dictum est .... (*lib.* 6. *prop.* 14.) Hujusmodi ergo oblationes de sui ratione habent, quod voluntarie offerantur, juxta illud Exod. 25.: Ab homine, qui offert ultroneus, accipietis eas. Potest tamen contingere, quod aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ratione. I. quidem ex præcedenti conventione, sicut quum alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiæ, ut certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem census. II. propter præcedentem deputationem, sicut quum aliquis offert donatione inter vivos, vel quum relinquit in testamento Ecclesiæ rem mobilem, aut immobilem in posterum solvendam. III. propter Ecclesiæ necessitatem, puta, si Ministri Ecclesiæ non haberent, unde

so-

sustentarentur. IV. propter consuetudinem. Tenentur enim fideles in aliquibus solennitatibus ad aliquas oblationes consuetas. Et in hoc sensu dicitur in Decretis ex Greg. VII. in cap. omnis de Conseer. dist. 1. omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre; & ducere in memoriam, quod Deus per Moysem dixit: (*Exod. cap.* 23.) Non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in Collectis Sanctorum PP. liquido apparet, quod omnes Christiani aliquid Deo ex usu Sanctorum Patrum debent. Unde illud Pauli: (1. *Cor. cap.* 16.) Per primam Sabbathi, id est in Dominica, unusquisque apud se ponat, quod ei placuerit, id est, quod Deo offerre destinaverit. Et inde Cyprianus: (*lib. de opere, & Eleem.*) Dives es, & in Dominicum, id est, in templum, sine sacrificio venis, id est, sine munere aliquo, quod ad sacrificium offeras, venis, de quo more veterum Christianorum alibi dictum .... (*lib.* 14. *prop.* 4.) Non autem in nova lege tenentur homines ad oblationes causa solennitatum legalium, ut in Exod. erat præceptum, sed ex quibusdam aliis, & præsertim ex pia, & antiqua consuetudine Sanctorum exemplis inducta. Et inde .... (*ad tertium*.) qui oblationes ita debitas non reddunt, puniri etiam possunt per Excommunicationem, & substractionem Sacramentorum, non quidem per ipsum Sacerdotem, cui sunt oblationes faciendæ, ne videatur per exhibitionem Sacramentorum aliquid exigere, sed per superiorem aliquem .... Tamen in duobus postremis casibus, pergit D. Thomas, (*in corpore*.) nimirum, quum Oblationes fiunt causa subveniendi necessitati Ministrorum, aut ex consuetudine, remanet oblatio quodammodo voluntaria, scilicet, quantum ad quantitatem, vel ad speciem rei oblatæ; unde Paulus apud se seponat, inquit, quod ei placuerit.

2. Quoniam vero (*art.* 2.) Sacerdos quodammodo sequester est, & medius constitutus inter Deum, & populum, sicut de Moyse legitur Deuteron. 5., ideo ad eum pertinet, sicut ea, quæ sunt Dei, tradere plebi, nimirum dogmata, & Sacramenta, ita quæ sunt populi exhibere Deo, nimirum preces, & sacrificia, & oblationes, quæ propterea per eum Domino debent exhiberi. Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, quod est ad Hebr. 5. Et ideo oblationes, quas populus Deo exhibet, ad Sacerdotes pertinent, ut secundum offerentis animum, & propositum vel eas in suos honestos usus convertat, vel ut fideliter eas dispenset, partim quidem expendendo eas in cultum divinum, partim vero in his, quæ pertinent ad proprium victum, nam qui altari deserviunt, de altari participant, ut dicitur 1. ad Cor. 9. partim etiam in usus pauperum, qui sunt, quantum fieri potest, de rebus Ecclesiæ sustentandi, quia & Domi-

nus in usum pauperum loculos habuisse legitur, ut Hieronymus dicit super Matt. Unde in cap. Hanc consuetudinem legitur 10. qu. 1. ex Damaso Papa: Oblationes, quæ intra Sanctam Ecclesiam offeruntur, tantummodo Sacerdotibus, qui quotidie Domino servire noscuntur, licet comedere, & bibere, quia etiam panes sanctos prohibuit Dominus comedere nisi solis Aaron, & filiis ejus .... Hoc tamen intelligitur dictum de oblationibus, quæ inter Missarum solennia a populo offerebantur juxta pristinum ritum, & quæ aliqua benedictione, & ritu consecrabantur, ut ædes, vasa etiam, & vestimenta sacra. Illa vero, quæ non sunt consecrata, (*ad tertium.*) possunt in usum laicorum cedere ex dispensatione Sacerdotum, sive per modum donationis, sive per modum venditionis, locationis &c. Et sic Laici de voluntate Ecclesiæ emunt quandoque oblationes, ut panem, aut triticum. Si quis vero Parocho summam pecuniæ daret in pauperes distribuendam, quamvis hæc largitio late, & improprie oblatio dici posset, sicut etiam sacrificium, & hostia dicitur ad Hebr. ult., tamen non stricte, & proprie, quia non immediate Deo offeruntur. Oblationes vero proprie dictæ (*ad primum.*) non cedunt in usum pauperum per dispensationem offerentium, alioqui erunt meræ eleemosynæ; sed per dispensationem Sacerdotum, a quo distribuuntur tanquam bona Ecclesiæ .... Monachi vero, (*ad secundum.*) aut alii Regulares possunt oblationes percipere tripliciter. Uno modo sicut reliqui pauperes per dispensationem Parochorum, vel per ordinationem Ecclesiæ, ut si Papa, aut Episcopus oblationes hujus, aut illius Ecclesiæ applicaret alicui Cœnobio. Alio modo, si sint Ministri Altaris, & tunc possunt accipere oblationes sponte oblatas. Tertio modo, si Parochiæ sint eorum, & tunc ex debito possunt oblationes accipere tanquam Ecclesiæ Rectores.

3. Igitur de jure communi solum Parochi fundatam intentionem habent ad omnia percipienda, atque administranda, quæ intra limites suæ Parochiæ Deo offeruntur, sive intra, sive extra Ecclesiam, sive in privata domo Parochiani, sive in via publica civili, aut in agro, ubi trunci, aut capsulæ pro transeuntium donariis accipiendis apponi solent, sive in aliis Eclesiis non exemptis, sive in Missa, sive extra Missam, nisi aliis de voluntate offerentis constet, aut consuetudo contraria obstiterit. Quum enim omnis oblatio, aut in se, aut in causa voluntaria sit, & ultronea, haud dubie juxta dantis intentionem applicari debet, quum quivis libere donans, aut offerens, rerum suarum moderator sit, atque arbiter leg. In re. C. Mandati. Similiter ubi de expressa offerentis voluntate non constat, credendum est, offerentem stare voluisse consuetudini approbatæ, & receptæ loci illius, in quo degit. Ex qua consuetudine factum est, ut

jam

jam hodie pene solæ oblationes, quæ in Ecclesia ad altare fiunt in Missa Parochiali, & quæ pro administratione Sacramentorum, pro benedictione Nuptiarum, pro Exequiis, Sepulturis, & purificatione post partum ad Parochum spectent, consuetudine fere omnes reliquas Ecclesiis ipsis, aut Sacellis, vel in cultum Imaginum, vel in usum aliorum Sacerdotum applicante, ut post Espenium (*In Jure Eccl. unic. p. 2. tit. 33. cap. 10.*) docet Reiffenstuelius. 3. *Decr. tit.* 3. §. 9.) Oblationes autem, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium exemptorum, cedunt in usum Monasterii, quum Monachis ibi servientibus debeat proficere, quod a fidelibus offerri contigerit, cap. 1. de Stat. Monachor.

4 Dixi: quæ ad altare offeruntur in Missa Parochiali. Nam si in alia, quam Parochiali Missa offerantur, non Parochiæ, sed Ministro celebranti oblata censentur ex præsenti consuetudine. Antea enim, ut sæpe dictum est, fideles Christi pro suo quisque modulo non vacuis manibus ad sacrificandum accedebant, quod in tertio sæculo Cyprianus testatur in libr. de Oper. & eleemosyna, & in sexto Concil. Matisconense II. can. 4. ubi decernitur, ut in omnibus Dominicis Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus fiat, tam panis, quam vini, ut per has oblationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, & cæteris juste offerentibus mereantur esse consortes. Inde sæculo octavo, quo scriptus est ordo Romanus, præscribitur, ut transeat Sacerdos ad accipiendas oblationes interim Cantores canant Offertorium cum versibus, & populus profert oblationes suas, id est, panem, & vinum, & offerunt in fanonibus candidis, primum masculi, deinde fœminæ. Inde Offertorium dicitur versus ille, qui post Symbolum usque hodie canitur in Missa quotidiana. Fanones autem dicebantur lintea oblonga, ubi oblationes dabantur apud Mabillonium in Musæo Italico... Archidiaconus autem, pergit Ordo Romanus, accipiens oblatas, ponit tantas super Altare, quantæ possint populo sufficere. Et in Concilio Nannetensi celebrato in sæculo 9. præcipitur Presbyteris can. 9. ut de oblationibus, quæ dantur a populo, & consecrationi supersunt, partes incisas habeat in vase mundo, quas post Missam illis distribuat, qui non communicaverunt. Quem etiam ritum Græci observabant. Unde Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ cap. ult. Sacrificio peracto, inquit, Sacerdos oblatum panem, ex quo sacrum panem abscidit, in multa divisum tradit fidelibus, ut qui sanctus sit, ac Deo oblatus. Has autem particulas panis Deo oblati, & intra Missam benedicti, modo supra explicato, Eulogias vocabant Græci; & Honorius in Gemm. An. Cap. 47. eodem nomine vocat, quem hodie panem benedictum appellamus. Nunc autem non loco Eucharistiæ post Missam distribuitur, nisi in aliquibus Parochiis ruralibus,

tan-

tanquam jus honorificum Patrono Parochiæ, & honorabilioribus Parochianis, de quo Mathias Mareschalius in lib. de juribus honorificis agit, titulo de pane benedicto, & quæstionem memorat super hac re agitatam in Gallia initio elapsi sæculi inter uxorem Patroni Parochiæ, & Parochianos super præsentatione, & perceptione panis benedicti. Porro ut ex Concilio Nannetensi & Ordine Romano citatis apparet, Eucharistia conficiebatur ex pane illo, & vino, quæ populus obtulerat. Unde in Sacramentario Sancti Gregorii, postquam jubetur cantari offertorium, adjungitur .... Et offeruntur a populo oblationes, & vinum, e quibus in Altari ponuntur, ut sacrentur. Hæc ex antiqua disciplina, quam hisce postremis sæculis pene obsoletam instaurare curarunt Concilia Coloniense celebratum anno 1549. quum dixit cap. 20. rem illam totam fere desivisse hominibus piis causam, & originem offerendi ad altare ignorantibus, & impiis cupiditati Sacerdotum usum illum calumniose tribuentibus. Unde Verbi divini Concionatoribus injungit, ut populis illius rei veritatem, & utilitatem exponant, hortenturque, ut juxta majorum studia, exigui saltem munusculi oblatione I., divinam misericordiam exorent. II., ut testentur se a Deo, ad Dei honorem, & cultum habere quidquid habent. III., ut etiam preces Ecclesiæ in eos conquadrent, dum ita vere, & proprie fiunt sancti sacrificii participes. Mediolanense item IV. sub Carolo Borromæo cap. 15. dum vult: Oblationum usum, quo gravius his temporibus a fidei, doctrinæque Catholicæ hostibus exagitatur, & quo magis languescente pietatis studio a fidelibus negligitur, hoc magis diligentius servari, & ubi intermissum est, revocari oportere, quum præsertim & ad divinum cultum spectet, & populis salutare sit, atque ad expianda peccata utile.

5. Quomodo autem, & quando harum oblationum usus cessaverit, investigantibus duæ occurrunt causæ præcipuæ. Una est quam Honoratus Antisiodorensis, qui florebat anno 1120. commemorat in Gemma Anim. cap. 58. Quoniam enim, ait, populo non communicante, non opus erat, panem tam magnum consecrari, statutum est, ut panis consecrandus fieret in modum subtilis, ac rotundæ placentulæ, quæ formam denarii præseferret, unde factum, ut & populus pro oblatione farinæ, denarios ad altare offerret .... Qui tamen denarii in usum pauperum, qui membra sunt Christi, cederent, vel in aliquid ad ipsum sacrificium pertinens .... Quum autem, inquit Christianus Lupus diss. proemial. 2. in 3. partem Schol. in Canones cap. 11. Quum autem Sacerdotes priorum oblationum emolumentis privari aut nollent, aut non possent, hæc distributio denariorum non diu permansit. Unde sicuti antea panis, & vinum, & farina, ita e-

tiam

tiam hi denarii pedetentim celebrantibus appropriari cœperunt. Et hæc fere ubique est hodierna disciplina, ut oblati denarii inter Missarum solennia ad Altare cedant celebranti, nisi alio titulo alteri competere ostendantur. Alia causa esse videtur multiplicatio Sacerdotum, & consequenter Missarum quodinianarum. Quum enim hoc tempore Mexici v. g. plures dicantur Missæ in uno die, quam Romæ in toto anno tempore S. Cornelii Papæ, quando 46. erant Sacerdotes, & non singuli quotidie celebrabant, fieri non poterat, ut ad singulas Missas omnes adstantes aliquid offerrent. Unde paulatim crescente Missarum numero factum est, ut non in singulis Missis, sed solum in Dominicis, & festis solennioribus; non in singulis sacris ædibus, sed solum in Parochiis; non ab omnibus Parochianis, sed ab uno omnium nomine oblationes fierent quum rerum ante nonum sæculum, tum postea denariorum.

6. Itaque quum invaluisset, inquit Van-Espenius, (*p.* 2. *tit.* 33. *de oblation. cap.* 10.) pro pane, & vino offerri in Missa denarios, idque in usum celebrantis, deinde visum est, id ipsum, quod in Missa offerri licebat, extra Missam quoque, aut ante, aut post offerri posse. Quum igitur jam sensim oblatio inter Missarum solennia pene cessasset, atque in Missis privatis parum nota esset, tunc qui pro se tanquam offerente, Missam specialiter celebrari, & orari volebant, id oblata pecunia a Sacerdote postulabat, atque hinc denarius ille, quem hodie Honorarium Sacerdotis, & stipendium Missæ vocamus, videturque id fieri cœptum sæculo octavo saltem in privatis Missis, ut colligitur ex Mabillonio ad 1. partem III. sæculi Benedictinorum. Chrodegandus item Metens. Episcopus, qui sæculo 9. Regulam Canonicorum scripsit, hujusmodi pecuniariam eleemosynam pro Missis aperte insinuat cap. 32. Sæculo item 11. pecuniam in usum Sacerdotis etiam extra Missam oblatam testatur Petrus Damianus lib 5. ep. 15. Hincque factum, ait Mabillonius, ut Laici ob modicam stipem, singulas quique Missas totas sibi arrogarent, tanquam pro se solis dicerentur, ac soli sacrificii fructum consequerentur. Quam falsam rudium hominum existimationem reprehendere videtur Eugenius II. in Concilio Romano anni 826. cap. 17. ibi: Presbyteri nullius flectantur, aut suadeantur sermonibus, ut non omnium ad se concurrentium in quibuslibet locis sacris oblationes ad Missarum solennitates recipiant: quia quum mediatores Dei, atque hominum sint in exercendis votis, remittendisque peccatis, largissimam debent orationem peragere, & in eandem sententiam Leo IV. in Synodo Romana anni 853., Lotharii, & Ludovici Regum consilio congregata, ubi hoc, & alia Eugenii II. decreta confirmavit. Eodem ferme tempore Walafridus Strabo increbrescentem illam opinionem erroris arguit de Off.

Eccl.

Eccl. cap. 22. Sed & in hoc, inquit, error non modicus videtur, quod quidam se non posse plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis faciant, vel pro vivis, & defunctis non simul æstimant immolandum, quum vere sciamus unum pro omnibus mortuum, unum panem esse, & sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. Quod si cui placet pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine, & orationum augendarum delectatione id faciat; non autem pro stulta opinione, qua putet, unum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum. Quodammodo enim est in fide imperfectus, qui putat, Dominum non discernere, quando una petitione pro multis rogatur, quid cuique necesse sit, vel fastidire eum putat, quum eadem oblatio nunc pro uno, nunc pro alio exhibetur. Quibus verbis Walafridi allegatis Natalis Alexander ad sæc. 9. in Eug. II., subdit: Cujusque Sacerdotis arbitrio tunc permittebatur unum pro multis offerentibus sacrificium, aut singula pro singulis offerre. Nostrorum vero temporum alia conditio est, alii mores. Nec aliquis ignorat, quid de hac re ab sede Apostolica statutum sit, inquit doctissimus Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 8.

7. His profecto verbis postremis indicat quum Bona Card., tum qui eum citant Natalis Alexander, & Espenius decreta Urbani VIII., & Alexandri VII. quibus præcipitur, ut tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosinæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin illi, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin magis graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Damnavit item Alexander VII. propositiones sequentes. Potest Sacerdos licite accipere duplicatum stipendium pro una Missa, applicando offerenti stipendium partem fructus specialissimi, qui correspondet ipsi celebranti. Et hoc etiam post decretum Urb. VIII. Item: Adhuc post constitutionem Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ commissæ sunt, satisfacere per alium, dando illi partem stipendii, & partem sibi reservans. Tertia erat: Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: nec etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram. Hæc, aliaque sententiarum monstra, inquit Van-Espenius, quæ Sacerdotum quorundam aviditas adinvenit, si quis una cum censuris ipsis attendat, facile intelliget, mentem Pontificum in his propositionibus censurandis fuisse duntaxat injustitiam, & avaritiam Sacerdotum fidelibus Laicis imponentium, & lucrum ex sacro ministerio male intellecto quærentium coercere: nihilque de valore ipsius Sacrificii pro pluribus oblati, aut de efficacia applicationis ipsius Sa-

Sacerdotis definivisse. Certissimum est enim, quocumque stipendio, & quocumque pacto, aut conditione oblato, Sacerdotem non posse alium quemcumque fidelium etiam minimum ab sua deprecatione, aut ab sacrificii participatione excludere. Unde omnes Missas definit Tridentinum (*sess. 22. de Ref. cap. 7.*) publicas esse, & communes, nec ullam dici posse Missam privatam quum ob alias rationes, tum etiam quia a publico Ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, tam vivis, quam defunctis, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur. Certissimum est secundo, Sacerdotem celebrantem non solum teneri neminem ab oratione, & sacrificio excludere, sed teneri etiam pro omnibus positive orare, atque offerre juxta præscriptum Canonis: In primis pro Ecclesia Sancta Catholica, una cum famulo tuo Pontifice N. & Antistite N., & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus. Memento, pergit, famulorum, famularumque tuarum NN., & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua æterno Deo, vivo, & vero. Communicantes huic sacrificio, & diem celebrantes &c. Hæ sunt preces, vota, & officium celebrantis ut est & Minister Christi, qui pro omnibus se ipsum tradidit immaculatum Deo, & Minister Ecclesiæ, quæ omnium communis est mater, & cujus institutioni nihil detrahi potest, aut adjici per intentionem particularem, & privatam Sacerdotis pro hoc, aut illo benefactore, parente, amico, cognato specialiter orantis, & offerentis. Quid ergo? Nihil operatur intentio, & applicatio Sacerdotis celebrantis? Respondet vir gravissimus Petrus Sotus de Missa lect. 7. Intentionem Sacerdotis, & applicationem ejus prodesse quidem; sed non ex opere operato, sed juxta dispositionem illorum, pro quibus offertur. Non enim quantum celebrans intendit, aut vult, consequitur is, pro quo celebrat, sed quantum sua fides, aut devotio digna, vel capax est: . . . Intentio quidem celebrantis, maxime quando ille Deo gratus est, multum prodest; sed nihil tamen determinati haberi potest, nec id opus est inquiri, quum proculdubio magis valeat devotio accedentis, quam intentio celebrantis. Sacerdos enim suam intentionem applicans, (ut loquuntur) huic, aut illi, hoc agit, uti eos Deo comendans, ipsi cui soli fides cognita est, & nota devotio, æstimationem valoris relinquat, & hoc quidem tam in ipso sacrificio, quam in suis reliquis precibus, quas vel ex ordinatione Ecclesiæ, vel privata voluntate, ac devotione Deo fundit... Unde non est dubitandum, inquit, melius, & utilius esse fidelibus adstare sacrificio, & fide, ac devotione

illi conjungi, quam curare, ut pro se sæpius celebretur. Fructus enim, uti alibi dictum est, (*lib.* 14. *prop.* 5.) non obtinetur secundum intentionem, & applicationem Ministri; sed secundum mensuram donationis Christi, qui Spirituum ponderator est. Stipendium autem non datur pro fructu Sacrificii, quod Simoniacum esset, sed pro sustentatione Sacerdotis, aut pro compensatione laboris in alterius commodum suscepti. Unde majus stipendium datur pro solemniori Missa, quam pro minus solenni, & majus pro missa tardius, aut longinquius dicenda, quam contra.

8. Præter hoc autem privati stipendii, & oblationis genus, restat aliud priscarum oblationum vestigium in quibusdam Regionibus, & Parochiis præsertim Rusticanis, ut nimirum cujusvis Missæ tempore Clericus ædem totam circumeat capsulam ferens, ubi quisque pro libitu aliquid conferat, non in celebrantis, sed in Parochiæ communem utilitatem cedunt, divinumque cultum, & subventionem pauperum. Unde hæ antiquis fidelium oblationibus similiores sunt, eoque magis optandæ, ac promovendæ, quo magis sunt ab quæstus, ac sordidæ avaritiæ occasione remotæ.

9. Primitiæ autem (*qu.* 86. *artic.* 4.) quod erat alterum propositionis hujus caput) ad quoddam genus oblationis pertinent, quia Deo exhibentur cum quadam professione, ut habetur Exod. 25., & ibi: Suscipiens Sacerdos cartallum primitiarum de manu ejus, qui primitias defert, ponit ante altare Domini. Ac deinde mandatur ei, ut dicat: Idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quas Dominus dedit mihi. Primitiæ autem (*ad primum.*) offerebantur in veteri lege ex duplici causa. Prima quidem in protestationem beneficii, quo Deus eos miserat in possessionem terræ promissæ, & hæc causa erat peculiaris populo Israelis, de qua propterea jubebantur dicere Deuter. 16. Protestor hodie coram Domino, quia ingressus sum terram, pro qua juravit Patribus nostris, ut daret eam nobis. Secunda causa erat beneficium fructuum terræ a Deo datorum, de quibus ibidem dicitur: Offero tibi primitias frugum terræ, quas Dominus dedit mihi. Et hæc secunda causa apud omnes est communis. Unde ad oblationem primitiarum omnes tenentur, per quam profitentur se a Deo fructus terræ habere, & ideo se teneri ad aliquid de hujusmodi Deo exhibendum secundum illud Paral. ultim.: Quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. Et quia Deo debemus exhibere id, quod est præcipuum, ideo primitias, quasi id, quod est præcipuum in fructibus terræ, præceptum fuit Deo exhibere. Primi enim fructus & pretiosiores, & ideo chariores hominibus, & jocundiores esse solent. Et quia Sacerdos constituitur pro populo in his, quæ sunt ad Deum, ideo primitiæ oblatæ a populo in usum Sacerdotum cede-

debant. Unde dicitur Num. 28. Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Pertinet autem ad jus naturale, ut homo ex rebus sibi a Deo datis, aliquid exhibeat ad ejusdem Dei honorem, & cultum; sed quod talibus personis exhibeat, aut in talibus fructibus, aut quod in tali quantitate, fuit in veteri lege divino jure determinatum; in nova autem lege definitur per determinationem Ecclesiæ, ex qua homines obligantur, ut primitias solvant secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum. Habetur autem hæc obligatio 16. qu. 7. cap. Decimas, ibi: Oportet decimas, & primitias, quas jure Sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere. Ex qua D. Thomæ, & communi Doctorum sententia habetur, Primitias, sicut Decimas haberi partim ex jure naturæ quoad rei substantiam, partim ex jure positivo, divino quidem in Mosaica lege; Ecclesiastico autem in lege nova. Primum patet. Nam & ante omnem legem Cain, & Abel sive divinitus inspirati, vel a parentibus instituti, vel naturæ instinctu, atque impulsu moti primitias obtulerunt, unde legitur Gen. 4. Obtulit Abel de primogenitis suis, & de adipibus eorum. Secundum constat ex Malachiæ 3., Tobiæ 1. Deuteron. 26. Sed opponitur quod habetur Exod. 25. Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas. (*Vide infra n.* 9.) Sed ibi primitiarum nomine intelliguntur donaria, quæ ultro filii Israel offerebant ad fabricam, & ornatum Tabernaculi, non stricte primi fructus agrorum, & animalium, de quibus aliunde erat præceptum. Tertia pars constat ex cit. cap. Decimas, ex cap. Statuimus 16. qu. 1. ex cap. Propter hoc dist. 32. §. præcipientes, ibi: Deinde ut decimæ, primitiæ, seu oblationes vivorum, & mortuorum Ecclesiis Dei a laicis fideliter reddantur. Primitiæ autem quamvis sint, ut Greg. 7. loquitur, de jure Sacerdotum, non quibusvis Clericis, sed Ecclesiarum Rectoribus, seu Parochis debentur, & inter jura Parochialia computantur. Non enim primario dantur in victum Ministrorum, sed in honorem Dei, ut bonorum omnium largitoris, quamvis consequenter cedant in usum Ministrorum per dispensationem, sive distributionem Rectorum.

10. Redeundo autem ad textum Exod. 25., ubi primitiarum largitio dicitur ultronea, quamvis allata interpretatio, quam adduximus ex Azorio, (*Par.* 1. *lib* 7. *cap.* 27.) nec falsa, nec inepta sit, melius tamen dici potest, ultroneam vocari, quia quamvis primitiæ jure debeantur, atque adeo sub pœna exigi possint tam in vetere, quam in nova lege, ut habetur Malach. 3. & cap. Qui oblationes 13. qu. 11., & cap. Clerici eadem causa, & quæst., tamen semper aliquid ultronei habent, saltem quoad quantitatem rei oblatæ. Nec enim aut in veteri, aut in nova lege certa quantitas primitiarum fuit, aut est

taxata de jure communi: & hoc rationabiliter, inquit D. Thomas, (*ibid. ad* 3.) quia sicut dictum est, primitiæ dantur per modum oblationis, de cujus ratione est, quod sint voluntariæ. Tamen sicut dicit Hieronymus, & habetur in cap. (*Decr. lib.* 3. *tit.* 30. *cap.* 1.) Decimam de Decimis, ex Majorum traditione introductum est, ut qui plurimum, quadragesimam partem dabant Sacerdotibus, qui minimum sexagesimam. Unde videtur quod inter hos terminos sint primitiæ offerendæ secundum consuetudinem patriæ. Et inde Canonistæ nonnulli cum Hostiensi tradunt, non teneri Christianos ad partem majorem quadragesima, teneri autem ad non offerendam partem primitiarum minorem sexagesima. Ita hi authores non solum Mosaicorum præceptorum, sed etiam Rabbinicarum interpretationum, & Pharisaicarum doctrinarum jugum Christianis imponunt, quod neque ipsimet Judæi, neque patres eorum portare potuerunt, quod a Petro dictum est. (*Act.* 15.) Nimirum in eod. cap. Decimam legitur ex Hieronymo super Ezechiel: At vero primitiæ, quas de frugibus offerebant, non erant speciali nomine distinctæ, sed offerentium arbitrio derelictæ. Traditionem quoque accepimus Hebræorum, non lege præceptam, sed arbitrio Magistrorum inolitam, ut qui plurimum quadragesimam partem, qui minimum sexagesimam darent Sacerdotibus. Quod igitur in Pentateucho dubium relictum est, hoc modo fuit definitum propter Sacerdotum avaritiam, ne amplius a populis exigerent in primitiis offerendis. Nulla igitur aut divina, aut humana lege tenentur Christiani ad illam, aut quancumque aliam taxationem sequendam, nisi eam, quam ferat consuetudo patriæ piorum usu recepta, & confirmata. Cujus quidem consuetudinis tanta vis est, ut primitiarum, sicut & decimarum personalium usum jam fere per totum orbem aboleverit, nec etiam sicubi vigent, solvantur, nisi petantur. Non id quidem, quia pietas, & munificentia Christianorum elanguerit, imo potius, quia ita crevit, & fervet etiamnum in Ecclesiis, & Monasteriis erigendis, ornandis, dotandis, in Sacerdotibus, & Ministris sustentandis, in Xenodochiis, Nosocomiis, & piis aliis operibus ad usum pauperum creandis, curandis, administrandisque, in largissimis denique ipsi Ecclesiæ, & Sacerdotibus factis eleemosynis quum quotidianis, tum annualibus, tum perpetuis, ut metuendum fere non sit, ut Ecclesia ad eam egestatem redigatur, ut primitiis indigeat, ut nisi sacri Canones exstarent, ipsum etiam Primitiarum nomen esset ignotum.

PRO-

PROPOSITIO X.

Præceptum annuæ Confessionis pium est, atque utile.
In 4. dist. 17. q. 3. & in Supp.

1. Confessionem Sacramentalem, de qua hic sermo est, esse partem necessariam Sacramenti Pœnitentiæ, & supponere necessario virtutem Pœnitentiæ, ut operetur in remissionem peccatorum, supra ostensum est, (*lib.* 16. *p.* 2.) adversus antiquos, & recentiores Hæreticos. Est igitur Confessio peccatorum actus virtutis post baptismum peccantibus necessariæ. Virtus autem est, quæ operantem, & opus ipsum bonum facit. Quod autem opus hominis, & ipsummet operantem bonum facit, non potest pium, atque utile homini non esse, atque adeo sub præcepto cadere: Confessio igitur peccatorum pia est, atque utilis, & sub præcepto Ecclesiæ cadere potest. Virtus siquidem est habitus rationali naturæ consentaneus, ut Damascenus, vel dispositio perfecti ad optimum: homo igitur natura tenetur ad virtutem; id autem, ad quod homo tenetur generatim, potest ei tali loco, aut tempore præcipi authoritate eorum, quibus subest; subest autem homo Christianus authoritati Ecclesiæ, tanquam pars, & membrum communitatis illius: ergo Confessio peccatorum, ad quam homines jure divino tenentur, qui salutis, & vitæ æternæ volunt esse participes, potest authoritate Ecclesiæ in his, aut illis circumstantiis præcipi .... Universa enim Ecclesia semper intellexit, quod ab Tridentino dictum est, & alibi firmatum, (*lib.* 16. *prop.* 3.) institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere. Pie igitur, ac salubriter in Lateranensi Concilio (IV. *can.* 21.) statutum est, ut quicumque est sive vir, seu fœmina Christi fidem, & Religionem professus, rationis compos effectus omnia sua peccata saltem semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat totis viribus adimplere, & habetur in cap. Omnis de Pœnit. & Remission. Non autem Innocentius III., non quivis aliquis Pontificum, aut Concilium aliquod Confessionem instituit, aut præceptum de ea posuit,

suit, quod Calvinus in 4. Instit. cap. 4. mendacissime dixit. Ratio enim Ecclesiastici præcepti, ut bene Cajetanus, & omnes cum eo Theologi, non est præcipere Confessionem; sed præceptam divino jure confessionem determinare quoad tempus exequutionis, sicut determinatur tempus jejunio, & festis diebus, quæ alioqui universim, divino, & naturali jure præcepta sunt. Proinde sub Ecclesiæ præcepto non alia continetur Confessio, quam illa eadem, quæ a Christo præcepta est. Cujus quidem Confessionis institutionem, necessitatem, praximque antiquissimam, quum supra (*lib.* 16. *prop.* 3.) ex SS. Patrum testimoniis, ex Historiæ Ecclesiasticæ monumentis, ex ipsa etiam Adversariorum attestatione monstraverimus, hic nunc solum de præcepto determinativo temporis quæstio esse potest. Constat autem I. inter Theologos contra Durandum, (*dist.* 17. *qu.* 14.) decretum Conc. Lateranensis non merum consilium, sed verum, & strictum esse præceptum, aut legem gravem obligationem inducentem. Constat II., materiam huic præcepto subjectam esse omnia, & sola peccata mortalia post baptismum commissa. Unde qui nullius mortalis sibi conscius est, non tenetur confiteri Sacerdoti, nec ejus se judicio, aut tribunali sistere. Ratio est, quia præceptum istud Ecclesiæ non est nisi determinativum ejus obligationis, quæ oritur, & imposita est jure divino; sed jure divino nemo cogitur confiteri venialia, quamvis id facere pie, & laudabiliter possit: ergo neque cogitur præcepto Ecclesiastico, quod solum est determinativum temporis. Unde & quidam Theologi tradiderunt, non posse Ecclesiam fideles obligare ad confessionem venialium, ut Sotus, Paludanus, Antoninus. Quamvis autem concedatur hoc Ecclesiam posse, non tamen videretur continuo etiam expedire. Hinc regulæ Benedictinorum, & aliorum Regularium de Confessione singulis mensibus, aut singulis septimanis, ubi ad mortale obligant, intelligendæ sunt, sicut præceptum Ecclesiæ, de Confessione mortalium. Constat III. per præceptum annuæ confessionis non intelligi certum, aut determinatum diem anni civilis a primo Januarii usque ad ultimum Decembris, aut ab hac die anni naturalis, qua confessus es, v. g. a die ultima Februarii ad diem ultimam Februarii anni sequentis. Sic enim fieri posset in fraudem præcepti, ut intra 23. menses, & amplius multi non confiterentur peccata sua. Nam pone aliquem confessum fuisse Kalendas Januarii anni 1786., & anno sequenti confessionem facere die ultima Decembris, hic annum solidum, immo annos fere duos sine confessione transegerit.

rit. Idemque accideret, si annus naturalis computetur ab die, qua confessus es, nimirum, ab ultima Februarii anni 1786. ad diem penultimam Februarii anni 1788. Unde communis opinio cum Azorio (*lib.* 7. *cap.* 28. *p.* 1.) tenet, debere intelligi decretum Concilii Lateranensis de anno Ecclesiastico, id est, de Paschate ad Pascha, quod festum est mobile, & statam diem non habet. Hinc quamvis de jure communi præcepto Ecclesiastico satisfiat per Confessionem quocumque anni tempore factam, tamen praxi, & consuetudine Christiani populi factum est, ut Confessionis præceptum urgere videatur in Quadragesima, sive prope festum Paschale. Unde Sixtus IV. in Constit. incip. Nos illius, quæ habetur inter Extrav. communes de Treg., & Pace ita loquitur: Quum jure communi debeat Parochianus quotannis in Paschate proprio Sacerdoti confiteri. Eodemque modo Concilium Agathense (*cap. Quadrag. de Consecr. dist.* 1.) quondam, & nuper Tridentinum loquutum est sess. 14. de Reform. cap. 1. Non enim ista significant in cap. Omnis per Concilium Lateranense annuam Confessionem fuisse indictam pro tempore Paschali, quum ibi solum dicatur, semel in anno esse confitendum; sed innuit Sixtus IV., & Concil. Tridentinum, jus commune in Concilio Lateranensi præscriptum, per consuetudinem jam ubique receptam, declaratum fuisse, nimirum, ut annua Confessio peccatorum fieret in Quadragesima, seu prope solennitatem Paschalem. In qua quidem consuetudine inducenda populus Christianus & Eucharistici Sacramenti reverentiæ, & proprio etiam commodo consuluit. Nam quum semel in anno peccata expianda essent per confessionem, quando opportunius quam tempore Paschatis, quum ex alio præcepto, mox explicando, ad Eucharistiam accipiendam tenebatur. Sibi quoque consuluit. Nam quum ex divino præcepto per Apostolum explicato teneantur Christiani mundi accedere ad communionem Corporis, & Sanguinis Domini, reservata Confessione ad tempus Paschale, unica Confessione & satisfaciebant præcepto Ecclesiastico, & simul ad Paschalem communionem disponebantur. Quum si alio tempore confiterentur peccata, postmodum, adveniente Paschate, iterum de jure divino confessionem præmittere tenerentur, dicente Paulo: (1. *Cor.* 11.) Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit. Non igitur per annuam Confessionem excluditur obligatio confitendi alioqui ex jure divino, aut naturali proveniens ex necessitate v. g. se præparandi Christiano ritu ad mortem, vel ad sacram Communionem.

2. Con-

2. Constat IV. non satisfieri præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis per Confessionem voluntarie nullam, vel sacrilegam. Et contraria opinio, quamvis a multis antiquitus propugnata, proscripta est prop. 14. inter damnatas ab Alex. VII. Constat V. nomine proprii Sacerdotis in Concilio Lateranensi intelligi proprium Pastorem, seu Parochum, item omnes illos aliunde ab Ordinario approbatos, quibus Parochus suam facultatem delegaverit, vel etiam illi, qui ex Pontificio privilegio possunt Sæcularium confessiones excipere, ut ex Leone X. habent Regulares Mendicantes, supposita jure Tridentini approbatione Ordinarii. Constat VI. temporis Paschalis nomine, cui non jure communi, uti dictum est, sed populi Christiani consuetudine jam vim legis habente, annualis confessio assignata, atque addicta est, intelligi non solum ipsum diem Paschatis, sed alicubi tres dies ante Pascha, & tres Paschatis, nimirum, a fer. 5. in Cœna Domini usque ad feriam 3. post Pascha; alicubi totam hebdomadam ante Pascha, & totam hebdomadam Paschatis, sive a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive, quod Eugenius IV. dicitur declarasse. Alicubi intelligitur totum tempus Quadragesimæ cum tota hebdomada Paschæ. Alicubi a Dominica quarta Quadragesimæ cum toto tempore Paschali, id est, usque ad Octavam Pentecostes, ut Mexici, & numerosissimis Urbibus. Igitur quum totum hoc ex consuetudine descenderit, patriæ consuetudo observanda erit potissimum. Particulares autem casus multi circa hujus præcepti intellectum, & praxim videri possunt, quum opus fuerit, apud Morales Theologos, quos Summistas, & Casuistas vocant.

PRO-

PROPOSITIO XI.

Quæ ad præceptum annuæ Communionis attinent, exponuntur.

1. EXstat hoc præceptum ex Concilio Lateran. in cap. omnis utriusque de Pœnit. & Remis. quod sub his verbis adducit D. Thom. 3. p. qu. 80. art. 10. Omnis utriusque sexus fidelis suscipiat reverenter saltem in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab ejus perceptione duxerit abstinendum. Constat autem, Canonem intelligendum de fidelibus, dum sunt rationis compotes, seu quum ad annos discretionis pervenerint . . . . Dicuntur aliqui non habere usum rationis dupliciter. (*art.* 9.) Uno modo quia habent usum rationis debilem, sicut dicitur non videns, qui male videt, & quia tales possunt habere aliquam devotionem hujus Sacramenti, non est eis denegandum. Alio modo dicuntur quidam non habere usum rationis totaliter. Vel igitur nunquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate permanserunt, & talibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præcessit hujus Sacramenti devotio. Aut non semper caruerunt usu rationis, & tunc, si prius, quando mentis suæ compotes erant, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis saltem in articulo mortis exhiberi, nisi forte timeatur periculum irreverentiæ ex expulsione, aut vomitu. Unde in Conc. Chartag. 4. can. 76. dicitur: Is, qui in infirmitate pœnitentiam petiit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia . . . . Et eadem est ratio de infantibus, & amentibus, (*ad tertium.*) qui nunquam habuerunt rationis usum. Unde talibus non sunt sacra mysteria danda, quamvis Græci quidam contrarium faciant, (& antiquitus etiam multi Latinorum). Neque ideo tamen, ajunt PP. Concilii Tridentini, damnanda est Antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis ne-

cessitate id fecisse sine controversia credendum est. Itaque eadem Sancta Synodus docet, parvulos ratione carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem. Et rationem invictissimam subdit: Siquidem per Baptismum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei adoptionem, & gratiam amittere in illa ætate non possunt. Quod si filii, & hæredes Dei, & cohæredes Christi. Græci autem id faciunt inducti propter hoc, quod Dionysius dicit in 2. Cœl. Hierarch. baptizatis esse sacram Communionem dandam, non intelligentes quod Dionys. ibi loquitur de baptismo adultorum..... Nec tamen per hoc aliquod vitæ detrimentum patiuntur propter illud, quod dicitur Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, quia sicut Augustinus scribit Bonifacio, (*de Consecr. dist.* 4. *cap. Nulli.*) Tunc unusquisque fidelium corporis, & sanguinis Domini particeps fit, nimirum spiritualiter, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur. Quando vero jam pueri incipiunt usum rationis habere, & inter cibum Eucharisticum, & alios communes cibos dijudicare, ac discernere, ut possint devotionem hujus Sacramenti concipere, quod regulariter non accidit nisi versus annum ætatis duodecimum, tunc adhibito Judicio Parentum, Magistrorum, & Catechistarum potest eis hoc Sacramentum conferri.

2. . . . . Circa usum vero ipsius Sacramenti duo possunt considerari. (*art.* 10.) Unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus semper est hominibus salutaris, & ex hac parte utile esset quotidie illud sumere, ut quotidie ejus fructum perciperent. Unde Ambrosius dicit in 4. de Sacram. cap. 6. Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, & qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, ac reverentia ad hoc Sacramentum accedat. Et ideo si aliquis quotidie ad hoc se paratum inveniat, laudabile est, ut quotidie sumat. Unde August. serm. 28. de verb. Domini, quum dixisset: accipe, quod quotidie tibi prosit, subjungit: Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa occurrunt jugis hujus devotionis impedimenta propter indispositionem corporis, aut animæ, non est hominibus omnibus universim utile, ut quotidie ad hoc Sacramentum accedant, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum. Unde dicitur in lib. de Eccl. dogm. Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero . . . . . Propterea secundum diversum statum Eccle-

siæ,

siæ (*ad quintum.*) diversa circa hoc emanaverunt statuta. Nam in primitiva Ecclesia, quando fideles pauci erant, & magna vigebat devotio fidei, statutum fuit, ut quotidie fideles communicarent. Unde Anacletus Papa dicit, (*Epist.* 1. *dist.* 1. *de Consecr. cap. Episcop.*) peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia. Postmodum vero diminuto fidei fervore Fabianus Papa indulsit, ut si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicarent, nimirum in Pascha, & Pentecoste, & Natali Domini, & habetur cap. Etsi de Consecr. dist. 2. Soter quoque Papa in Cœna Domini communicandum esse statuit. (*ibid. cap. in Cœna.*) Quod Soteris decretum vix jam desuetudine, & hominum aut negligentia, aut iniquitate pene abrogatum in Conc. Lateranensi Innocentius III. instauravit, & usque in præsentem diem observatur. Ex quibus patet, usum Eucharistici Sacramenti ab Apostolorum ætate usque ad nostra tempora semper de necessitate præcepti viguisse in Ecclesia Deĩ, neque Innocentium III. hujus præcepti primum authorem fuisse, sed antiqui Confirmatorem, & ipsius observationis Instauratorem, & Promotorem.

3. Duo item alia possunt considerari ex parte integritatis circa usum hujus Sacramenti. (*art.* 12.) Unum nimirum ex parte ipsius Sacramenti, aliud ex parte sumentium. Ex parte quidem Sacramenti convenit, ut utraque species sumeretur, nimirum Corpus, & sanguis, quia in his duobus consistit perfectio Sacramenti. Et ideo quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum consecrare, & perficere, nullo modo debet corpus sumere sine sanguine. Nam quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? quod in Conc. Toletano IV. habetur, & cap. Relatum de Consecr. dist. 1. Ex parte autem sumentium requiritur summa reverentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat in tanti mysterii injuriam, quod præcipue posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem, si incaute sumeretur, facile effundi posset, & quia crevit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes, & juvenes, & pueri utriusque sexus, quorum multi non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa hujusmodi Sacramenti usum adhibeant, ideo provide in multis Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a Sacerdote sumatur. Hæc D. Thomas, qui scribebat sæculo 13. Quod autem tunc in multis Ecclesiis observabatur, ut in universa fieret Ecclesia statutum est decreto Conc. Constantiensis sess. 13. habita die 15. Julii an. 1415. ibi: Quum hujusmodi consue-

tudo ab Ecclesiis, & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam reprobare non licet, aut sine Ecclesiæ authoritate pro libito mutare. Et contrarium pertinaciter asserentes tanquam Hæretici arcendi sunt, & graviter puniendi. Decretum hoc Concilii Constantiensis innovavit, & magis fuse exposuit Conc. Tridentinum sess. 21. quatuor decretis, quorum secundum est hujusmodi: Si quis dixerit, Ecclesiam Catholicam non justis causis, & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, & Clericos etiam, non conficientes sub specie tantum panis communicaverit, aut in eo errasse, anathema sit. Videndus Nat. Alex. ubi per totam ultimam Dissert. Tridentini decreta tuetur contra Suavis, & Gentileti argumenta. Rem ipsam Theologice discusserunt ex professo, præter alios, Cajetanus in 3. part. quæst. 80. art. 12. Bellarminus in 4. de Sacram. Euch. a cap. 20. Ex quibus nos supra lib. 14. prop. 8.

4. Nomine porro Paschatis in Canone Lateranensi intelligitur totum illud tempus, quod proxime Pascha præcedit, aut sequitur, nimirum, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, quod Eugenium IV. declarasse, tradunt Silvester, Major, Cajetanus, & alii. Alicubi etiam latius patet tempus Paschale, ut Mexici usque ad Dominicam Trinitatis, & consuetudinis huic, aut alii ab Ordinariis, & Parrochis approbatæ, aut per Diocæsanam Synodum standum est, uti de annua Confessione diximus. Nomen autem proprii Sacerdotis strictius accipiendum est dum de Paschali Communione, quam dum de Confessione agitur. Nam præcepto Confessionis satisfaciunt sæculares per quamcumque confessionem factam Sacerdoti cuicumque approbato aliunde, de privilegio Pontificio, aut delegatione Episcopi, etiam sine consensu, aut licentia Parochi. At vero præcepto Paschalis communionis non satisfaciunt, nisi qui de manu Parochi Eucharistiam accipiunt Sæculares, aut de manu alicujus a Parocho ad id specialiter delegati. Unde Nicolaus V., & Sixtus IV., & Leo X. in suis constitutionibus, quibus concedunt Mendicantibus Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta conferre sæcularibus, semper excipiunt diem Resurrectionis, aut festum Paschæ. Quod non de Communione ex devotione, sed de Communione, per quam præcepto Ecclesiæ satisfiat, intelligendum esse, jam alii observaverunt, & communis praxis Ecclesiarum docet. Unde in hujus rei signum syngrapha tradi solet communicantibus, qua constet, eos de manu Parochi, aut ejus facultatem habentis u-

num-

numquemque sacram Communionem accepisse. Sed de his Catechistæ, & Morales Theologi. Quæstio vero: An præstet sacra Communione frequentius uti, an rarius, magna animorum contentione disputata est. Sed pro fidelibus universim certa nulla regula unquam præscribetur. Spectat hoc enim ad singulos conscientiarum doctos, prudentes, & in rebus mysticis exercitatissimos moderatores, quos tamen invenire difficilius est, quam digne, ac devote communicantes. Jam vero Communione Judaica, & Sacrilega præcepto Ecclesiæ non satisfieri, perquam notum est ex prop. 55. inter damnatas ab Innoc. XI.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM
LIBER DECIMUS OCTAVUS.

De futuro Piorum, & Impiorum statu.

PRÆFATIO.

MIlitia est vita hominis super terram, Stadii tempus, & certaminis locus. Armati quum naturalibus, tum supernaturalibus donis, Deo Authore, Christo Duce, cum vigili, & veternoso hoste confligimus. Sed pugnæ, & agonis tempus breve est, ac momentaneum. Coronæ, aut supplicia in futuram vitam reservantur immortalem. Quum ergo hominem luctantem, pugnantem, merentem, aut demerentem conspexerimus, in hoc postremo nostri operis libro pro meritis, aut demeritis pœnam solventem, aut fruentem contemplabimur.

PROPOSITIO I.

Sunt certa quædam loca, sive animarum post mortem receptacula.
D. Thom. in 4. dist. 45. q. 1. in Supp. q. 69. art. 1.

1. QUamvis enim substantiæ spirituales secundum esse suum a corpore non dependeant, ut in 5. libro (*prop.* 6.) dictum est, corporalia tamen a Deo mediantibus spiritualibus substantiis gubernantur, ut Augustinus dicit in 3. de Trinit., & Gregorius in 4. Dialog. Spiritualia item moventur a Deo secundum locum, & tempus, & ideo est quædam convenientia spiritualium substantiarum ad corporales substantias per congruentiam quamdam, & proportionem, ut dignioribus, nimirum, substantiis digniora corpora adaptentur, & loca. Unde etiam Philosophi secundum ordinem mobilium posuerunt ordinem substantiarum separatarum. Quamvis autem animabus post mortem non assignentur aliqua corpora, quorum sint formæ, aut determinati motores, qui fuit error Pythagoræorum, determinantur tamen ad aliqua loca per congruentiam quandam secundum gradum dignitatis earum, (acceptæ non secundam naturam,

in

in qua omnes sunt æquales, sed secundum meritum, vel demeritum) in quibus sint tanquam in loco, eo modo, quo incorporalia in loco esse possunt, quod supra (*lib.* 5. *prop.* 11.) explicatum est, secundum quod magis, aut minus accedunt ad primam substantiam, nimitum, ad Deum, cui locus superior deputatur, scilicet cœlum, unde dictum: (*Ps.* 113.) Cœlum Cœli Domino, & (*Act. Ap. cap.* 7.) Cœlum mihi sedes est, atque hujusmodi in Scripturis multa. Animas ergo, quæ sunt in participatione perfecta Deitatis, in cœlo esse ponimus; animas vero, quæ ab hujusmodi participatione impediuntur, loco contrario dicimus deputari.

2. Receptacula autem (*art.* 7.) animarum distinguuntur secundum diversos status earum. Anima autem conjuncta mortali corpori est in statu merendi, vel demerendi, qui est idem, quum libertas sit ad opposita; sed anima exuta a corpore est in statu recipiendi pro meritis sive bona, sive mala. Vel ergo post mortem est in statu recipiendi finale præmium, vel est in statu, quo ab illo impeditur. Et siquidem est in statu recipiendi finalem retributionem, hoc est dupliciter. Vel quantum ad bonum, & sic est Paradisus, vel quantum ad malum, & sic si impediantur ratione actualis culpæ, deputatur eis Infernus; ratione autem Originalis culpæ Limbus puerorum. Si vero est in statu, in quo impeditur a finali retributione obtinenda, vel hoc est propter defectum personæ, & sic est Purgatorium, in quo detinentur animæ, ne statim præmium consequantur propter peccata, quæ commiserunt; vel propter defectum naturæ, & sic est Limbus Patrum, qui dicitur etiam Sinus Abrahæ, in quo detinebantur Patres a consequutione gloriæ propter reatum humanæ naturæ, qui nondum erat expiatus. Quinque ergo sunt animarum post mortem receptacula: I. Paradisus, sive Cœlum pro iis, qui omnino sunt a peccato immunes, qui statim a corpore soluti Deo fruuntur: II. Infernus pro iis, qui cum mortali peccato decedunt. III. Limbus puerorum pro iis, qui decedunt cum peccato originali. Et hi quidem tres primi status animarum æterni sunt. IV. Purgatorium pro iis, qui cum veniali peccato moriuntur. V. Sinus Abrahæ, aut limbus Patrum, in quo Patrum, sanctæ quamvis, animæ, & ab omni peccato immunes, detinebantur, donec per Christum solveretur condignum pretium, & cœli portæ panderentur. Hi autem duo postremi animarum status temporales erant, non æterni. Purgatorium enim post extremum judicium non stabit, & Limbus Patrum cum Ascensione Christi in cœlum esse desiit.

3. Receptacula vero animarum post mortem (*art.* 5.) dupliciter distingui possunt, aut secundum situm, aut secundum locorum qualitatem, quatenus in aliquibus locis præmia, aut pœnas recipiunt animæ,

mæ, & diversas etiam pœnas aliæ, atque aliæ. Et quidem Cœlum, & Infernum non solum quoad qualitatem animarum ibi receptarum, sed etiam quoad situm loca esse diversissima, nullum est dubium. De Locis autem ubi degunt, aut degebant animæ divinæ visionis expertes, quos omnes subterraneos esse creditur, difficilius est dicere an qualitate solum, an etiam situ distinguantur. Sunt autem situs isti quatuor, nimirum Infernus, Purgatorium, Limbus Puerorum, & Limbus Patrum. De his ergo dubitari potest, an quatuor sint abyssi, aut voragines, seu terræ sinus diversi, & inter se discontinui, an eadem sit terræ vorago, aut sinus continuus, ita ut solum ratione majoris profunditatis differant, & utrumque quidem, salva fide, dici potest. Unde D. Thomas de Inferno, & Limbo Patrum disserens: *Si consideretur, inquit, Limbus Patrum, & Infernus secundum qualitatem prædictam, sic non est dubium, quod distinguuntur: tum quia in Inferno est pœna sensibilis, quæ non erat in Limbo Patrum, tum etiam quia in Inferno est pœna æterna; sed in Limbo Patrum detinebantur Sancti temporaliter tantum. Sed si considerentur quantum ad situm loci, sic probabile est, quod idem locus, vel quasi continuus sit Infernus, & Limbus, ita tamen quod quædam superior pars Inferni, & quasi ora extima dicatur Limbus Patrum. Existentes enim in Inferno secundum diversitatem culpæ, diversam sortiuntur & pœnam. Et ideo secundum quod gravioribus peccatis irretiuntur damnati, eo obscuriorem, & profundiorem locum occupant in Inferno. Unde & Sancti Patres, in quibus minimum erat de ratione culpæ, supremum, sive extimum, & minus tenebrosum locum habebant præ omnibus puniendis. Secundum quod igitur Limbus Patrum, & Infernus conveniunt secundum situm, Christus dicitur Infernum momordisse, ad Inferos descendisse, quando ad Limbum Patrum descendit. Ita etiam intelligitur illud Jacobi: Deducetis canos meos cum dolore ad Inferos, & illud Job 17. In profundissimum Infernum descendit anima mea. Dictus est enim ibi Infernus, & locus profundissimus, non quidem respectu locorum pœnalium, sed in comparatione ad alia telluris loca, ut ibidem exponit D. Thomas.* Tamen probabilius videtur dicendum, Limbum Patrum, & Infernum non distingui solum secundum majorem, aut minorem profunditatem intra eandem cavitatem, seu abyssum, sed esse diversas cavitates non continuas, sed magna intercapedine sejunctas. Id enim apertissime significant verba Abrahæ ad divitem Epulonem Lucæ 16. *Inter nos, & vos Chaos magnum firmatum est, ut non possit quisquam hinc ad vos transire, aut inde hunc transmeare.* Licet enim Parabola illa sit, & non Historica narratio, ut communior tenet opinio, tamen nihil non naturaliter verum Christus potuit in ore Abraham ponere; sed Abraham

ham inducitur dicens, inter Limbum Patrum, & Infernum chaos magnum firmatum esse: ergo Limbus Patrum, & Infernus duo vera loca sunt non continua, sed magno intervallo sejuncta.

4. Limbus autem Patrum, aut Sinus Abrahæ dicebatur non ratione materialis loci, quicumque ille fuerit, sed ratione personarum ibi detentarum, uti dictum est .... Animæ enim hominum (*art.* 4.) post mortem ad quietem pertinere non possunt, nisi merito fidei. Nam accedentem ad Deum oportet credere, ad Hebr. 11. Primum autem exemplum credendi hominibus datum est in Abraham, qui primus se a cœtu infidelium segregavit, & speciale signum fidei accepit, & ideo requies illa, quæ hominibus post mortem datur, Sinus Abrahæ dicitur, ut docet Augustinus 12. sup. Genes. ad lit. Sed animæ Sanctorum post mortem non omni tempore eandem requiem habuerunt, quia post Christi adventum habent plenam requiem divina visione perfruentes. Sed ante Christi adventum habebant quietem desiderii per immunitatem pœnæ, sed non habebant quietem desiderii per consequutionem finis, seu beatitudinis. Et ideo status Sanctorum ante Christi adventum potest considerari & secundum id, quod habebat de requie, & sic dicitur sinus Abrahæ, & potest etiam considerari quantum ad id, quod eis deerat de requie, & sic dicitur Limbus Inferni. Idem ergo locus .... (*ad* 1.) secundum id, quod habebat de bono Status Sanctorum Patrum, dicebatur Sinus Abrahæ; sed quantum ad id, quod habebat de defectu, dicebatur Limbus Inferni. Itaque nec Sinus Abrahæ accipitur in malum, ut Augustinus dicit in 12. sup. Genes. ad lit. cap. 33., nec Infernus in bonum, quamvis quodammodo sint unum, aut fuerint ante Christi adventum.... Post adventum enim Domini & est Sinus Abrahæ, & est omnino diversus a Limbo, nam ea, quæ sunt unum per accidens, separari possunt.... Requies ergo Sanctorum sicut ante Christi adventum dicebatur Sinus Abrahæ, ita & post Christi adventum, sed diversimode. Quia quum ante Christi adventum requies Sanctorum haberet defectum requiei adjunctum, dicebatur pariter & Limbus inferni, & Sinus Abrahæ: tantum enim ibi non videbatur Deus. Sed quia post Christi adventum Sanctorum requies est completa, quum Deum videant, talis requies dicitur adhuc Sinus Abrahæ, sed nullo modo dicitur Limbus Inferni. Et ad hunc sinum Abrahæ orat Ecclesia, ut fideles ab Angelis perducantur. Unde Augustinus in 9. Confession. Quidquid illud est, quod Sinus Abrahæ vocatur, ibi Nebridius meus vivit, id est, in regno cœlorum, & bibit sapientiam pro aviditate sua sine fine felix. Et de Limbo quidem Patrum, & Inferno ita dicendum videtur.

5. De Limbo autem Patrum, & de Limbo puerorum simili modo

disserit D. Thomas. (*art.* 6.) Dicendum enim, ait, quod Limbus Patrum, & Limbus puerorum absque dubio differunt secundum qualitatem præmii, vel pœnæ. Pueris enim nulla adest spes vitæ beatæ, quæ Patribus in Limbo aderat, in quibus etiam lumen fidei, & gratiæ refulgebat. Sed quantum ad situm probabiliter creditur utrorumque locus idem fuisse, nisi quod requies Sanctorum adhuc in superiori loco erat, quam Limbus puerorum, sicut de Limbo, & Inferno dictum est. Quamvis enim pro eadem culpa detinerentur in Limbo patres, & pueri, nimirum, pro culpa originali, (*ad* 1.) tamen quoad culpam originalem, non eodem modo se habebant Patres, & pueri. In Patribus enim originalis culpa expiata erat secundum quod erat infectiva personæ. Jam enim erant ab infectione culpæ per gratiam mundati; sed remanebat impedimentum ex parte naturæ, pro qua nondum erat plenarie satisfactum. Sed in pueris erat & infectio personæ, quia non erant gratiæ participes, & impedimentum ex parte naturæ, pro qua non erat adhuc Redemptionis pretium persolutum. Et ideo Patribus, & pueris diversa assignantur receptacula.

COROLLARIUM I.

Quatuor igitur sunt pœnalia, aut quasi pœnalia loca animarum post mortem.

6. Hæc enim divisio, ac divisionis sufficientia non tam sumitur ex diversitate physica, & materiali locorum, sed penes genera pœnarum, uti dictum est; omnis autem pœna, ut hic sumitur, aut est tantum damni, aut etiam sensus. Rursus, aut est pœna æterna, aut temporaria. Si ergo est pœna damni tantum, sed æterna, ei competit Limbus puerorum. Si est pœna damni tantum, sed temporalis, ei competit Limbus Patrum. Si est pœna damni simul, & sensus, & æterna, competit ei Infernus; si est pœna damni, & sensus simul, sed temporalis, competit ei Purgatorium; sed nullus alius status pœnalis animarum fingi potest. Nam quod aliquis decedat cum originali, & veniali solum peccato fingi non potest, ut alibi statutum est: (*lib.* 9. *prop.* 4.) prædicta ergo divisio sufficiens est, atque adæquata, nec alius quisquam locus pœnalis post mortem fingi potest. Dixi autem loca pœnalia, aut quasi, quoniam Limbus animarum sanctarum, quamvis proprie pœnalis non esset, quum ab omni peccato essent immunes Patrum animæ, tamen habebat aliquid de defectu admixtum, ut D. Thomas dixit. Carebant enim visione Dei, quam vehementissime optabant, & certissime sperabant. Spes autem, quæ differtur, affligit animam. Unde suspirabant dicentes: (*Isai. cap.*

64.)

64.) Utinam dirumperes cœlos, & descenderes.... (*cap.* 16.) Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ &c. tamen carentia visionis divinæ non erat eis pœna, sed consequutio naturalis illius status, in quo non erat adhuc per Christi mortem perfecte reparata natura humana. Unde quamvis suspirarent optantes adventum Domini, non tamen cum trististia, aut animi ægritudine.

7. Occurrit tamen difficultas ex eo, quod legitur apud multos Ecclesiasticos Authores doctrina, & pietate conspicuos. Narrat enim Beda in 5. histor. Anglor. cap. 13. ostensum cuidam animæ, quæ deinde ad corpus rediit, præter Infernum, & Cœlum, ac Purgatorium, quodnam quasi pratum amœnissimum, in quo degebant animæ, quæ nihil pati videbantur, sed tantum ibi manebant, quia non erant divinæ visioni idoneæ. Et huic revelationi fidem adhibere non dubitavit Beda, cui multas alias conformes adducit Dionysius Carthusianus in Dialogo de Judicio partic. & Ludovicus Blosius in Monili Spirituali cap. 13. Bellarminus (2. *de Purgator. c.* 7.) non improbabile putat talem locum aliquem reperiri, cæterum ejusmodi locum ad Purgatorium pertinere asserit. Erit autem, ait, locus ille mitissimum Purgatorium, & quasi carcer quidam Senatorius, atque honoratior. Putat item, animas, quæ ibi morantur, non solum carere beatitudine, sed etiam positiva pœna affligi, ac torqueri ex dilatione beatitudinis, quam patiuntur ex proprio, licet levissimo defectu. Movetur autem I. authoritate D. Thomæ dicentis in 4. dist. 21. in his, quæ de Purgatorio ab Ecclesia determinata non sunt, standum esse iis, quæ sunt magis conformia dictis, & revelationibus Sanctorum. Movetur II. authoritate Joannis de Turrecremata, qui in Prologo ad Revelationes S. Birgittæ, quum has diligenter expendisset, affirmare non dubitavit, huic Sanctæ convenire quod dicitur Judith 8. Omnia, quæ loquuta es, vera sunt, & non est in sermonibus illius ulla reprehensio. Scribit autem S. Birgitta L. 4. cap. 24. fuisse animam quamdam, quæ nullam aliam pœnam habuisset, nisi dolorem ex desiderio dilatæ felicitatis, seu divinæ visionis. Ita ille: unde admissis etiam prædictis revelationibus, locorum pœnalium numerus non accrescet, sed quædam velut appendix Purgatorii locus ille dicendus erit.

COROLLARIUM II.

8. Probabilius est, omnia hæc pœnalia loca subterranea esse. Et de Inferno quidem extra controversiam esse videtur, ut nomen ipsum præsefert. Qui enim terræ superficiem incolimus, infernum non dicimus, nisi quod infra nos longo recessu in sinu terræ positum, & huic dicendi modo consonant scripturæ dicentes: Descendant in Infernum viventes .... In profundissimum Infernum descendit anima mea. Dives item Epulo dicitur sepultus in Inferno, & quum elevasset oculos suos, vidit Abraham, & Lazarum in sinu ejus. Infernus ergo situs est infra sinum Abrahæ, qui etiam subterraneus est, ut jam dicetur. Congruit item, ut locus Beatorum maxime distet a loco damnatorum, eique contrarius sit; sed locus beatorum Cœlum est, ubi regnat Deus; qui lucem habitat inaccessibilem: ergo locus damnatorum subterraneus est, terra tenebrosa, & operta mortis caligine, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

9. Purgatorium item locum subterraneum esse, communis est Patrum, & Doctorum sententia. Est autem vel Infernus ipse, vel sinus aliquis Inferni. Unde Ecclesia Deum orat, ut liberet animas fidelium defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum. Idemque innuunt multæ revelationes, ac dicta Sanctorum.

10. De Limbo autem Puerorum idem liquet ex doctrina Ecclesiæ. Definitum est enim in Concil. Florentino: (*Sess. ult.*) eos, qui moriuntur cum mortali peccato, vel cum solo originali, mox in Infernum descendere, quamvis pœnis imparibus puniendos. Limbum ergo puerorum partem Inferni esse putat. Idemque est sensus Aug. in 4. de Bapt. dicentis, Ecclesiam non nosse nisi duo loca, ubi homines perpetuo sint futuri, nimirum, Cœlum, & Infernum; sed in limbo homines perpetuo sunt futuri: ergo Limbum puerorum partem inferni esse, putavit Augustinus, cui consentiunt communiter Theologi. Communis tamen opinio tenet, Limbum non dici nisi oram inferni extimam, unde Limbi nomen accepit.

11. Denique Limbum Patrum locum subterraneum fuisse, manifeste colligitur. Nam Christus, quum ad Limbum Patrum profectus esset, dicitur, & creditur descendisse ad Inferos. Jacob item dixit ad filios: (*Gen. cap.* 42.) Deducetis canos meos cum dolore ad Inferos. Et Job dixit: (*Job. cap.* 17.) In profundissimum Infernum descendit anima; sed Jacob, & Job, quum sancti essent, non descenderunt nisi ad Limbum Patrum: ergo Limbus Patrum regio erat Inferna, aut subterranea. Confirmatur apertissime. Nam Samuelis anima 1. Reg.

28.

28. evocata fuit e Limbo, aut Sinu Abrahæ; sed visa est ascendere. unde & Pythonissa clamavit: Vidi Deos ascendentes de terra: erat ergo locus Limbi subtus terram. Diceretur fortasse, illum non fuisse verum Samuelem, sed spectrum quoddam ope Dæmonis Sauli oblatum. Verum hæc opinio, aut potius error supra impugnatus est lib. 2. prop. 7. Statutumque veram fuisse animam Samuelis, quæ Sauli apparuit, & annuntiavit ei Regi finem vitæ suæ, & exitum belli, quæ nec Dæmon, nec Pythonissa prænuntiare potuissent.

COROLLARIUM III.

11. Animæ ab Receptaculis sibi finaliter deputatis commigrare non possunt nisi ad tempus ex Dei voluntate, aut permissione. Dixi *ab Receptaculis sibi finaliter deputatis* ad præmium, aut pœnam. Nam ab iis locis, in quibus solum ad tempus destinantur, ut Limbus Patrum, & Purgatorium, aliquando exeunt animæ non iterum rediturae, ut ab Sinu Abrahæ, quum persolutum est pretium Redemptionis, & ab Purgatorio, quum persolverunt usque ad novissimum quadrantem. Quæstio ergo solum est de Limbo puerorum, Inferno, & Paradiso, an inde commigrare possint animæ, aut in perpetuum, aut ad tempus? Et quidem omnino tenendum est, non posse animas ad Cœlum, aut Infernum, vel Limbum puerorum per judicis sententiam deputatas inde commigrare, ita ut possint ad eundem locum non redire, id est, aut a pœna absolvi, aut a præmio destinato excidere. Nec præmium enim, neque pœna æterna esset, si Beati a beatitudine ad locum suplitii destinatum; & damnati ab hoc ad locum beatis decretum transire aliquando possent. Sed hac super re disputandi oportunior erit locus, cum de præmio bonorum, & de malorum pœna disseretur. Nunc de Purgatorio Catholica veritas confirmanda est.

PRO-

PROPOSITIO II.

Esse Purgatorium, in quo expiantur animæ Justorum, quibus post mortem eluendum aliquid superest, Catholica veritas est.

1. EAque Scriptura, Traditione, & rationum momentis probatur contra Aerium, Lutherum, & Calvinum. Cum vero res agatur cum hominibus ad declinanda, & eludenda Sacri Verbi testimonia prontissimis, ubi veritas (ut illi quidem putant) palam non exprimitur; multis ex utroque Testamento omissis, duo tantum in medium proferam, unum ex veteri, ex novo alterum. Illud ex 2. lib. Machab. cap. 12. ubi sic scribitur: Judas .... facta collatione, misit duodecim millia drachmas argenti Hierosolimam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans .... Et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

2. Tanti ponderis testimonium eludere sibi putant Heterodoxi, hunc librum a Canone rejicientes: desperatæ enim vero causæ subterfugium. Vetus enim Ecclesia, & heroicorum nominis Christiani temporum (ut ea Calviniani dicunt) Doctores utrumque Machabæorum librum ut Catholicum receperunt: restatque probatum (de Verb. Dei scrip. lib. 2.) Nec si Canonici libri non essent, nec aliam auctoritatem haberent, quam quæ Josephi, & Philonis, aut alius auctoris probatis scriptis debetur, minus eos premeret testimonium affirmans, fuisse apud Judæos traditione firmatum morem orandi pro defunctis, & pro eis Sacrificia offerendi. Quem morem cum nec Christus, nec Apostoli, nec Virorum Apostolicorum, ac Patrum ullus reprehenderit, sanctus, ac religiosus credendus est, & veritatem Purgatorii validissime confirmans.

3. Testimonium novi Testamenti tale est, Matt. c. 12. Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, nec in futuro. Quæ Christi verba demonstrativa sunt veritatis assertæ, nisi velis, Eternam Sapientiam loquentem modo humano, inepte omnino esse locutam: uti ille loqueretur, qui diceret, non ducam uxorem nec in hoc sæculo, nec in futuro, ubi nuptiæ certe non erunt. Quod cum dici non possit, tenendum superest, aliqua re-

remitti in futuro sæculo peccata. At ea non remittuntur damnatis, qui a Christo penitus sunt alieni, & quibus non est redemptio: non item Beatis, in quibus nullum, ne levissimum quidem peccatum est; cum in Cœlum nihil intret coinquinatum: remittuntur igitur iis, qui in caritate decedentes levibus peccatis obnoxii, aut peccatorum pœnis purgari debent, antequam ad Domini gaudium admittantur. Eandem ex verbis Christi veritatem deducit S. Aug. de Civit. cap. 13. & 14. Eandem S. Greg. M. lib. 4. Dialog. c. 39. Eandem S. Bern. contra Apostolicos sui temporis hæreticos, & Petrus Cluniac. contra Petrobusianos.

4. Pro Traditione primus occurrit S. Dionysius lib. de Eccles. Hierar. c. 7. Accedens, inquit, venerandus Antistes, precem Sacram super mortuum peragit, precatur Divinam Clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat, & regione vivorum.

5. Secundum testimonium desumitur ex Actis SS. Perpetuæ & Felicitatis, quorum veritati, post tot, ac tanta Veterum Patrum præconia, & præsertim S. Augustini, nihil restat Protestantibus, quod opponant. Ibi Martir ipsa Perpetua sic refert: Post paucos dies, dum universi oramus, subito media oratione profecta est mihi vox, & nominavi Dinocratem. (hic ejus erat frater) Et obstupui, quod nunquam mihi in mentem venisset nisi tunc; & dolui commemorata casus ejus. Et cognovi, me statim dignam esse, & pro eo petere debere.... Et feci pro illo orationem die, & nocte, & lacrymans, ut mihi donaretur. Et die, quo in nervo mansimus, ostensum est mihi hoc. Video locum illum, quem tenebrosum videram, & Dinocratem mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem, & ubi erat vulnus, video cicatricem.... Et experrecta sum. Tunc intellexi translatum eum esse de pœna, Dinocrates, quod S. Aug. notat lib. 1. de Anima, baptizatus obiit. Soror, quæ id refert, celebris in Ecclesia Martir colitur. Quid autem per hunc pœnæ locum tenebrosum, ubi erat Dinocrates, intelligi oporteat, si Purgatorium non est, contrarii ipsi dicant.

6. Tertium dat Tertullianus lib. de Corona. cap. 3. Oblationes pro Defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Et c. 4. Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum.... Traditio tibi prætendetur autrix, consuetudo confirmatrix, Fides observatrix. Similia habet de Monogamia c. 10., & de exortatione Castitatis c. 11. Cyprianus Epist. 52. ita scribit: Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire: aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem: aliud statim virtutis ardore, & fidei mercedem accipere: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari

diu igne. Origenes Homil. 28. in Numer. Sunt peccata, inquit, quæ si ignoranter admittimus, decernitur nobis, credo, & præparatur ex præcepto Dei locus aliquis, ubi ad certum tempus habitare debeamus.

7. Arnobius ad Gentiles impedientes conventus Christianorum, in quibus Synaxim facere solebant, sic loquitur lib. 4. adversus Gentes. Cur immaniter conventicula dirui (facitis) in quibus Summus oratur Deus? pax cunctis, & venia postulatur, & adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione? S. Cyrillus Hierosol. Cathechesi 5. Preces assignat pro Defunctis SS. Patribus & Episcopis & addit: Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen. S. Basilius M. in cap. Isaiæ 9. Si per confessionem, inquit, detexerimus peccatum, germen jam succrescens arescimus, dignum plane, quod depascatur, ac devoret purgatorius ignis. S. Gregorius Nazian. orat. 39. in Sancta lumina tres numerat Purgationes, primam per Baptismum, secundam per pœnitentiam, tertiam per ignem. Ignis autem inferni non purgat, sed æternum torquet.

8. Eusebius Cæsar. lib. 4. Vitæ Constantini Imp. hujus funus describens, innumerabilis, ait, populus una cum Sacerdotibus Dei non sine gemitu & lacrymis pro Imperatoris anima preces offerebant Deo. S. Epiphanius Hæresi 75. quæ est Aeriorum, idem inculcat; & in Expositione catholicæ Fidei n. 23. Jam vero, ait, quod ad mortuos spectat, nominatim de illis mentio fit, & preces, & Sacrificia, Mysteriaque frequentatur. S. Joan. Chrysost. Hom. 41. in Epist. 1. ad Corint. hanc praxim memorat, & non sunt, scribit, hæc temere excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis Mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus rogantes Agnum propositum, qui mundi peccatum tulit, sed ut eis aliqua inde sit consolatio. Neque abs re is, qui adstat Altari, dum veneranda peraguntur Mysteria, clamat: Pro omnibus, qui in Christo dormiunt. Idem in Epist. ad Philippenses hom. 3. repetit. Idem in 21. in Acta, & in 32. in Matth. & sæpe alias.

9. Jam vero si a Græcis Patribus ad Latinos redimus, infinitum esset eorum pro veritate Purgatorii testimonia omnia congerere. Multus est in ea asserenda S. Ambrosius in Orationibus de obitu Valeriani, & de obitu Theodosii, & in 2. Epist. Consolatoria ad Faustinum. Confirmat illam eleganter S. Hieronymus in Epist. 26. ad Pamachium. De S. vero Augustino quid dicam, qui cum eandem observantiam Catholicam tam sæpe replicet, librum de Cura pro mortuis gerenda scripsit? Illam vero Regulam inter alias sanctissimas ab Eo positas in lib. 4. contra Donatistas c. 24. & epist. 118. premere silen-

lentio non possum, nempe, quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi in Apostolica authoritate traditum rectissime creditur. Et, si quid universa per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ est insaniæ.

10. At quamvis Patres & Doctores utriusque Ecclesiæ, Latinæ scilicet & Græcæ, eandem veritatem scriptis libris, & praxi confirmare perrexerunt, quod de Latinis videre dat Natalis Alexander in sua super Purgatorio Disput. & de Græcis Leo Allatius; Concilia item eam & vindicarunt, & asseruerunt. I. Cartaginense III. can. 29. in quo decernitur, ut Sacramentum Altaris non nisi ab jejunis hominibus celebretur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum sive Episcoporum, sive Clericorum, sive cæterorum commemoratio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur. Ubi Defunctis opem apud Deum ferre commendatur, sed illud ferendi aut Synaxi, aut solis precibus tempora distinguuntur. Quartum item Cartag. Concilium can. 79. sic statuit: Pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, aut in mari mortui fuerint, ubi eis juvari non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur. Concilium Florentinum in definitione Fidei, cui Ecclesiæ utriusque Antistites subscripserunt, de Purgatorio sic decrevit: Item si vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatoriis post mortem purgari, & ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta.

11. Denique Synodi Trident. peremptorium est decretum Sess. 25., quod tale est: Cum Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta ex Sacris litteris, & antiqua Patrum traditione in Sacris Conciliis, & novissime in hac Œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari: præcipit Sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam a SS. Patribus, & Sacris Conciliis traditam a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant. Et Sess. 22. can. 3. ac Sess. 6. can. 30. anathemate eos percellit, qui contrarium dixerint, aut docuerint.

12. Ratione tandem confirmatur hæc veritas. Deus quam infinite est Misericors, tam est infinite Justus; & quam amans humanæ naturæ, quam condidit, & reformavit, tam est purus, renuensque ad Regnum suum quidquam coinquinatum admittere: Ejus igitur est,

ut Boni ac missericordis eos se ipso beare, qui omni labe puri, & pœnitentia, ac satisfactoriis operibus omni pœna scelerum soluta, extremum spiritum agunt: & ejusdem Dei, ut Justi, impie ac turpiter viventes, atque in malo ad extremum usque spiritum perseverantes Inferni pœnis deputare: Eos ergo, qui nec ut primi omni labe sunt in puncto ultimo vitæ purgati, nec in malo obstinati, ut secundi, media sors excipiat necesse est, & hanc Purgatorium dicimus. Quis enim bonæ mentis credat, eos, qui in caritate decedunt, & pleni operibus bonis, æternæ pœnæ esse damnandos? Et quis eosdem, maculis licet minimis inquinatos, aut pœnis debitis pro gravibus peccatis obnoxios ad beatam Visionem subito recipiendos?

13. Accedit, rationem etiam Vindicativæ Justitiæ, quæ ad providentiam hominum gubernatricem pertinet, id exigere, ut Deus pœnas proportionatas destinatas habeat & peccatis venialibus, & negligentiæ pro solvendis lætalium debitis, ut homines innocentius vivant, longius recedant a gravibus culpis, solicitiores sint in resipiscendo ab eis, quas admiserint, & pro illis satisfaciendo; quod in Dei gloriam redundat, & in proximorum exemplum. Unde patet, quam inepte opinantur Heterodoxi, dum dicunt, pœnam Vindicativam post hanc vitam Deum dedecere, utpote quæ emendatrix non est. Nam inde deduceretur, neque pœnas Inferni admittendas esse, utpote vindicativas, neque item hujus vitæ. Quod si dicere nefas est, cum his utatur Deus ad retrahendum hominem ab scelere; cum eundem finem pœnæ habeant Purgatoriæ relate ad noxas veniales, & ad reatum graviorum, sanctissime esse statutas credendum est. Huncque finem salutarem sibi proposuit Trid. Synodus, cum Episcopis injungit, ut hanc fidei veritatem populis inculcent, ac prædicent.

14. Nec sapientius isti pronuntiant, cum dicunt, solam mortem & leves maculas, & reatum tollere. Nam primo ubi de re hac est nobis facta promissio? Secundo mors ex se ipsa non est pœna actualium peccatorum, sed est quædam naturæ conditio; & in præsenti providentia pœna originalis peccati. Tertio nulla ratio persuadet, quod eadem pœna secundum communem legem purgentur, & satisfaciant & qui parum, & qui multum debent solvere; præsertim cum acerbiori morte e vivis tolli soleant Sanctiores Viri. Nec privilegium Martyrii erit ullum, si mors æque omnes purgat: inutiliaque & perfunctoria erunt pro mortuis suffragia Ecclesiæ, Synaxes, Eleemosinæ, preces. Dicere autem, in puncto mortis efficax omnibus auxilium dari a Deo, quo se purgent ab omni reatu & macula, perinde est, ac velle, timorem a cunctis hominibus removere futuræ vindictæ, & lege lata, a Deo O. M. negligentiæ eorum faveri.

15. Ex

15. Ex quibus patet, quam admirentur stulte, qui pœnas Purgatorias infligi animis Sanctis a Deo infinite misericorde audiunt, ut miraretur stulte, qui, quod pœna mortis reis Majestatis læsæ infligeretur a Judice; minorum delictorum reis minores pœnas videret ab eodem decerni. Certe veritas Purgatorii tam congruens est rationi, ut eam tradiderint (remoto nomine, quod, quando de re convenit, a sapientibus non curatur) ex Philosophis Plato in Timæo; ex Poetis Virgilius lib. 6. v. 730. Arabum Profeta Mahumetes in Alcorano apud Card. Cusanum, & Lonicerum in sua Turcar. Chronol. Hæbrei, etiam hodierni, in suis precibus pro Mortuis orantes: Græci quoque, a nobis Schismate separati, ut ex confessione Præsulum constat, qui Concilio adfuerunt Florentino, in cujus Sess. 25. contestantur, se a Romana Ecclesia propter Purgatorii dogma non esse sejunctos: ac deinceps, Sanctorum animas, inquiunt, perfectam in Cœlis adeptas esse coronam, quatenus animæ sunt: peccatorum vero animas perfectas luere pœnas: medias autem esse in loco tormentorum; sed sive ignis sint, sive caligo, ac turbo, sive aliquid aliud, non contendimus.

16. Quid? Ipsine Coriphæi rebellionis a Catholica Ecclesia eandem de Purgatorio veritatem non docent? Joannes Wicleffus Dialog. lib. 2. c. 22. hæc scribit: Vere dicitur Ecclesia Corpus Christi mixtum, quod verbis prædestinationis æternæ est cum Christo Sponso copulatum. Et talis est triplex Ecclesia, scilicet Militans, Dormiens, & Triumphans. Militans est corpus prædestinatorum, dum hic viat ad patriam. Ecclesia Dormiens est Prædestinati in Purgatorio patientes. Et Ecclesia triumphans est Beati in patria quiescentes. Et c. 40. Cum multæ animæ sint interim in Purgatorio expiandæ, nec deceat multiplicare Universalem Dominum in suum judicium, patet, quod oportet esse judicium ultimatum. Joannes Hus in Elucidatione suæ fidei, post factam eamdem Ecclesiæ divisionem, dici Dormientem Ecclesiam vult, quia inibi existens, jam beatitudinem spectat, quam debet ingredi ex gratia Dei, & auxilio Ecclesiæ militantis. Idemque scribit in tract. de Corpore, & Sanguine Domini cap. 4., & in Sermone de Exequiis, causam earum esse, ait, ut devotius orando pro mortuis dormienti Ecclesiæ, id est, Sanctis in Purgatorio adjutorium impendamus.

17. Nunc quæ isti ex Scriptura, & aliis arguendi locis opponant, videndum est. Primo ex Scriptura ea loca nobis objiciunt, quibus post hanc vitam non merendi, aut satisfaciendi per propria opera, sed justam sententiam Judicis sustinendi esse tempus dicitur. Talis est ille 2. Corint. c. 5., ut referat unusquisque, prout gessit in corpore sive bonum, sive malum: Ad Galat. 6. Nam quæ seminaverit ho-

mo, hæc & metet. Et Ecclesiastes 9. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quo tu properas. Alia ex eadem Scriptura loca objiciunt, in quibus duo ponuntur termini post mortem, nempe, aut supplitii æterni, aut beatitudinis. Qualis est ille Matth. 25. Ubi Christus bonos ad æternam vitam, malos ad supplitium æternum mittit. Et ille Ecclesiastici 11. Si ceciderit lignum vel ad Austrum, vel ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Atque his adjungunt alia loca, quibus Justis sine ulla mora asseri possesio beatitudinis ab extremo eorum spiritu videtur, utpote in Psalm. 126. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. In 2. Corint. cap. 5. Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, habitationem ex Deo habemus Domum non manufactam, æternam in Cœlis. Et in 14. cap. Apocal. Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.

18. His locis ex Scriptura nobis oppositis sigillatim respondemus. Primo ex 2. Corint. Unumquemque relaturum prout gessit, hoc vero non obstare, quominus aliorum satisfactionibus & suffragiis juvari possit. Sunt enim hæc veluti pars quædam & appendix meriti, quod sibi fecit in vita: & ulterius id debetur Caritati, in qua justus excessit, ex illa, & communioni cum Christi fidelibus, hic viventibus capiti suo adhærentibus. Secundo loco ex Ep. ad Galat. dicimus, ex contextu totius capitis hanc deduci responsionem. Unumquemque portaturum ante Supremum Judicem opus suum: suum, scilicet, non ex comparatione ad opera aliorum, Et hoc sensu messurum quæ seminaverit. De cætero in eod. cap. v. 2. dicitur: alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Hortatur igitur Apostolus ad bona opera Christianis digna, atque illis contraria, quæ numerat cap. præcedenti, fornicationem scilicet, immunditiam, impudicitiam &c. Hoc autem Purgatorii veritati non officit. Tertio loco Ecclesiastes respondeo, ibi significari, Defunctorum animas non esse in statu meritorie agendi; non vero negari, esse in statu patiendi, & juvamen percipiendi in pœnis propter merita, quæ sibi in vita accumularunt. Quod ex S. Greg. M. sumimus, qui in Dialogo 4. c. 39. textu Ecclesiastes exposito, cum dixisset de quibusdam levioribus culpis esse quemlibet ante Judicium Purgatorio igne expiandum; addit in fine Cap. Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis actibus in hac vita positus, ut illic obtineat, promereatur.

19. Ex his locis, quæ duos terminos extremos assignant, quorum primus

est

est apud Matth. 25., hic nihil facit contra Purgatorium, cum sententiam Summi Judicis in ultimo Judicio exscribat, post quod Purgatorium ulterius non erit. Alter locus Eccli. 11. eandem habet sententiam. Hanc item habere potest; post hujus vitæ curriculum neminem ab statu justitiæ, aut ab statu peccati posse mutari in contrarium. Quem sensum S. Hieron. super hunc locum insinuat his verbis: Ubicumque præparaveris tibi locum, futuramque sedem, ibi, cum mortuus fueris, permanebis.

20. Tres reliquæ e Scriptura probationes desumptæ diluendæ sunt. 1. quæ sumitur ex psal. 126., exigui est momenti: nam si versus litteralis sensus inspicitur, ab argumento nostro est alienissimus, ut videre dat Calmetus. Sensus item spiritualis, qui pro confirmandis, aut oppugnandis Dogmatibus debilior est, nostro de Purgatorio minime contradicit. Post somnum enim, aut mortem erit Hæreditas; at non statim, sed purgatis, & omni labe puris, si cum labe, aut reatu e vita migrarunt. Sicut neque hic possesio hæreditatis datur eis, ad quos illa ex jure pertinet, nisi remotis obstaculis judicialibus, siquæ erant in hærede. Duo alia ex Apostolo, & Apocalypsi de perfecte Justis accipienda sunt, qui vitam suam ad extremum usque spiritum Christo Jesu conformarunt. Licet locus Apocal. de Martyribus commode etiam intelligatur a Rivera, & aliis claris Interpretibus; & Beza ipse particulam illam, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, moriuntur propter Dominum legit. Insistunt tamen Hæterodoxi sui erroris testem appellando S. Aug. Hypognostici lib. 5. c. 5. ubi, Primum locum, dicit, fides Catholicorum Divina Auctoritate regnum credidit esse Cœlorum; secundum Gehennam, tertium penitus ignoramus, immo nec esse in Scripturis Sanctis invenimus. At S. Aug. eum Tertium locum ibi non agnoscit, quem Pelagiani admittebant a Regno Cœlorum distinctum, & in quo parvulos sine baptismo decedentes collocabant, vita tamen æterna & quiete fruituros: non enim volebant parvulos peccato originali nasci infectos. Eamque esse S. Doctoris mentem, ex his, quæ sequuntur ibi, fit planum. Quomodo igitur, inquit, vitam Regni Cœlorum promittitis parvulis non renatis ex aqua & Spiritu Sancto? Reprehendendus est itaque Erasmus Rotherod., qui huic loco ad marginem notam apposuit: *Tertium locum ignoramus Purgatorium*.

21. Deinceps quæ ex precibus pro mortuis utriusque Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ argumenta Contrarii promunt, refutemus. Ea sunt. Primum. Si preces ab Ecclesia ad Deum fusæ purgatorium esse persuadent, a cujus pœnis animas liberari postulat; persuadebunt etiam, a pœnis Inferni animas Damnatorum eripi eisdem posse. Sic enim orat: Libera eas, Domine, de morte æterna in die illa tremenda,

quan-

quando Cœli movendi sunt & terra, dum veneris judicare sæculum per ignem. Et in Missa pro Defunctis: Absolve animas omnium fidelium defunctorum a pœnis Inferni, & a profundo lacu: libera eas de ore leonis &c. Secundo: Ecclesia Græca Sacrificium Missæ offert etiam pro Sanctis, & pro Deipara Virgine, quam in Purgatorio expiari nemo ullus dicet.

22. Primæ difficultati sumtæ ex precibus Ecclesiæ non uno modo respondent Theologi. Aliqui, & non inferioris subsellii, inter quos Dionysius Cartusianus censetur a Bellar. de Purg. cap. 4. & a Suarez. tom. 4. in 3. part. disp. 4. sec. 3., affirmarunt, animas in Purgatorio usque ad Judicii diem de sua sorte, aut felici, aut infelici esse incertas. Et hanc opinionem secutus forsitan est, qui preces pro defunctis composuit, quæ ab Ecclesia canuntur, dicit Natalis Alex. in sua de Purg. disertatione. Verum opinioni communiter ab omnibus improbatæ adhæsisse Ecclesiam, prudentis non est credere. Potius autem admittenda solutio communis, & quam ipse Natalis ponit primo loco, nempe, Ecclesiam suas preces, sicut celebritatem Mysteriorum Christi, referre ad tempus, in quo aut sunt facta, aut desiderabatur, ut fierent. Unde est illud, Rorate Cœli desuper; & illud, Excita, Domine, corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias. Nam ut est in proverbio, de præsenti gaudet Ecclesia. Et quidni lugeat, & precetur? Ipsa quidem in puncto mortis considerans animas, illam a Deo misericorde postulat finalem & effectricem gratiam, qua pœnitentes & omnino purgatæ liberentur de pœna æterna, iniquis & impœnitentibus in die illa tremenda, quando Cœli movendi sunt &c. Quibus in precibus continetur mitigatio & promptior remissio pœnarum, ut consequens quoddam & appendix ad miserationem Divinam, quæ donum perseverantiæ eis contulit; quoque restant unitæ corpori Ecclesiæ militantis & precantis, ac pro eis suffragantis Deo optimo & misericordi. Atque in sensu eodem preces in Missa pro defunctis factæ accipiendæ sunt: nisi quod eis liberatio a pœnis Purgatoriis, & ea quidem sola, intelligi potest: quippe cum verba metaphorica, ad Purgatorii locum significandum aptissima sint.

23. Difficultati vero nobis oppositæ ex praxi Græcorum dicendum est, offerri ab eis Sacrificium, quatenus Eucharisticum est, seu actio gratiarum Deo Patri pro Sanctis, & Sanctorum Regina; at quatenus propitiatorium & impetratorium offerri pro defunctis. Sic enim habet Liturgia S. Chrysostomi: Offerimus tibi rationale hoc obsequium pro his, qui in Christo requiescunt, pro Majoribus, Patribus, Patriarchis, Profetis, Apostolis, Prædicatoribus, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Continentibus, & quovis Spiritu in fide con-

consummato .... præsertim pro Sanctissima, illibata, supra omnes benedicta, gloriosa Regina nostra Deipara, & semper Virgine Maria .... Sanct. N. cujus memoriam celebramus, quarum precibus protege nos Deus. Quæ omnia actionis gratiarum sunt: quæ sequuntur, Deprecatoria, Memento omnium, qui dormierunt in spe resurrectionis æternæ vitæ .... pro anima & remissione N. servi tui in loco lucido, a quo abest dolor & gemitus, & fac eam quiescere, ubi circumspiciat lumen vultus tui. Quibus verbis Purgatorii potius traditio, ac veritas confirmatur.

24. Objiciunt tandem primo. Peccata venialia post hanc vitam remitti non posse; quippe quæ sine pœnitentia, quæ in statu illo non fit, minime remittantur. Secundo. Doctrinam de Purgatorio ut dogma fidei proponi non debere: eam etenim inter probabiles opiniones posuisse videtur Aug. in Enchir. cap. 64. in Quæst. 1. ad Dulcidium, & in lib. 21. de Civ. cap. 26., ubi ait: Post hujus sane corporis mortem, si spiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiunt illi, qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vita, non redarguo; quia forsitan verum est. Tertio, quia ineptum est fingere, ignem animas cruciare & urere, cum corporeus sit.

25. Ad primum respondeo; si venialia peccata in instanti separationis animæ remitterentur, quod vult Scotus, pœnæ tamen pro peccatis admissis debitæ restarent luendæ. Verum antecedens falsum au tumat S. Thomas, & oraculis Evangelii, Traditionis, & Ecclesiæ praxi repugnans. Neque enim ad remissionem venialium vera, & proprie dicta pœnitentia exigitur; sed virtualis quædam displicentia in hac vita, & pœna Purgatoria in altera. Quid autem hac pœna significeturt. (*vide lib. 9. prop. 3. n. 3. & 5. n. 5.*) Cum enim pœna hæc quadamtenus voluntaria sit, virtute gratiæ, ait, vim habet expiandi culpam omnem, quæ simul cum gratia stare potest. Quomodo id autem fiat, Synodus Trid. non decernit; at Can. 30. Sess. 6. Si quis, dicit, post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti culpam ita remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad Regna Cœlorum aditus patere possit, anathema sit. Ex quo loco patet, non modo reatum, sed leves etiam culpas remanere posse expiandas.

26. Ad secundum sumptum ex S. Augustino respondeo: S. Doctorem nec dubitasse, nec dubitare cuilibet permisisse de Purgatorio. Neque negandum est, inquit in Enchir. cap. 9. defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed cum pœna illa

ex-

expientur animæ quædam, quæ nimia adhæsione ad temporales res, & amore in uxorem, maritum, filios, amicos, afficiebantur; quin tamen hæc Deo præponerent. De his in medio relinquit ibi de Civitate Dei, cap. 26., an fieri possit, ut hujusmodi affectiones in sese servent post separationem, & ex recordatione damnorum, orbitatum, calamitatum, quas in rebus plus quam par erat amatis passæ sunt, crucientur, & tantum eas urat dolor, quantum hæserat amor. Quod idem in lib. 8. Quæst. ad Dulcidium replicat. Ex quo & aliis locis planum fit, non reliquisse opinioni pœnas Purgatorii in genere, ut ajunt, spectatas, sed pœnarum qualitatem respectu illorum, qui rebus terrenis nimis adhæserunt.

27. Tandem quod de impotentia ignis corporei ad cruciandos Spiritus incorporeos opponitur, elevandum est. Quippe ignem Purgatorium esse verum & corporeum ignem, Fidei Dogma non est, quod Petavius, Bellarminus, Suarez, Natalis Alex., & primores Theologi observant; est vero Fidei Dogma, esse ibi veram pœnam non solum damni, sed etiam sensus, qualiscumque ista sit. Verum sententia probabilior, & ab Ecclesia recepta corporeum vult esse purgatorii ignem cruciandis animis incorporeis destinatum. Qua super re nihil, ut mihi quidem videtur, dici potest aut sapientius, aut opportunius, quam id, quod a S. Thoma scribitur in 4. sent. dist. 44. quæst. 3. Ignis ille corporeus, inquit, potest considerari dupliciter. Uno modo secundum quod est res corporea, & hoc modo non habet, quod in animam agere possit. Alio modo, secundum quod est instrumentum Divinæ Justitiæ vindicantis: hoc enim ordo exigit Divinæ Justitiæ, ut anima, quæ peccando se rebus corporalibus subdidit, eis etiam in pœnam subdatur. Instrumentum autem non solum agit in virtute propriæ naturæ, sed etiam in virtute principalis agentis. Quod exemplo confirmat Sacramenti Baptismi, & pergit sic....

28. Et ita non est inconveniens, si ignis ille, cum agat in virtute principalis agentis, agat in spiritum hominis. Unde oportet dare igni aliquam actionem in animam, quæ sit ei connaturalis ad hoc, quod sit instrumentum Divinæ Justitiæ peccata vindicantis. Et ideo dicendum, quod corpus in Spiritum naturaliter agere non potest, nec ei aliquo modo obesse, nisi secundum quod aliquo modo corpori unitur. Corpori vero unitur dupliciter. Uno modo, ut forma materiæ, ut ex eis fiat unum. Sic Spiritus unitur corpori, cum illud vivificat, & sic Spiritus hominis vel dæmonis igni non unitur. Alio modo, sicut movens mobili, & sicut locatum loco: & secundum hoc spiritus incorporei creati loco definiuntur, ita in uno loco existentes, quod non in alio. Quamvis autem res corporea ex sua natura habeat, quod spiritum incorporeum loco definiat; non tamen ha-

habet ex sua natura, quod spiritum definitum loco retineat: cum spiritus non ita sit naturaliter in loco, quod loco subdatur. Sed hoc superadditur igni corporeo, in quantum est instrumentum Divinæ Justitiæ vindicantis, quod sic detinet spiritum, & ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propriæ voluntatis; ne scilicet operare possit, ubi vult, & secundum quod vult.

29. Oportet ergo omnes prædictos modos in unum colligere, ut videatur, quomodo patiatur anima ab igne corporeo: ut scilicet dicamus, quod ignis secundum naturam suam habet, quod spiritus incorporei ei jungi possint, ut loco locatum. Sed in quantum est instrumentum Divinæ Justitiæ habet, ut Spiritum quodammodo retineat alligatum: & in hoc veraciter ignis ille est Spiritui noxius: & sic anima ignem ut noxium sibi videns, ab igne cruciatur. Hactenus D. Thomas, a quo modi illi cruciandi (veri, sed miri, ut loquitur Augustinus) ignis Purgatorii pulchre & enucleate exponuntur.

COROLLARIUM.

30. Ex dictis infertur, Purgatorium supplicium, quod expiandis Spiritibus decretum est, non æternum, sed temporaneum fore, nec ultra diem Judicii duraturum. Hæc enim juxta Suarezium est veluti differentia essentialis inter Purgatorium, & Infernum; quod in hoc æternum animæ cruciabuntur, in illo ad tempus. Quod S. Augustinus lib. 2. de Genesi dixit, nempe, ille, qui reatum aliquem retinet peccatorum, vel ignem sentiet Purgatorium, vel pœnam æternam. Et quantum ad illius terminum in die Judicii, sic ait de Civit. lib. 21. cap. 16. Purgatorias pœnas nullas futuras opinetur, (homo fidelis) nisi ante illud ultimum, tremendumque judicium, id quod suffragia & orationes Ecclesiæ pro liberandis animis ab eo quantocius confirmant. Neque Divinam Justitiam decet, Sanctum Virum, qui vita usus innocentissima, levem in fine culpam admisit, æqualem facere in duratione pœnæ ei, qui vita acta sceleratissima, ad extremum per pœnitentiam Deo est reconciliatus, & cum reatu peccatorum innumerabilium excessit e vivis.

31. Si dicas, repugnare integram purgationem animæ ante resurrectionem corporis, illius in peccando administri, reponam, id dici non posse, nisi velis, animas aut videre Deum ante perfectam purgationem, aut hac indigentes eum non videre ante generalem resurrectionem, quod utrumque absurdum est, & Fidei Ecclesiæ repugnans. Animam autem per satispassionem perfecte expiari nihil obstat: nam licet ei administer fuerit corpus ad peccandum; cum illa principalis causa sit peccati, quod voluntate conficitur, sufficienter

pro eo sola satispatietur, debitæ se subdens vindictæ. Et sicut quidquid doloris ac tristitiæ homo patitur hic in corpore, dum in eo torquetur, & flagellatur, ab anima est, ut sentiat & patiatur; ita post hanc vitam fieri potest, ut per dolorem & satispassionem animi pœnæ temporales corporis compensentur. Hæc vero purgatio, quoad tempus, inæqualis ponenda est. Quia sicut non omnes animæ decedunt cum æquali reatu peccatorum remissorum; ita nec pœna pro illis debet esse æqualis, sed quanto magis, minusve transeuntia dilexerunt, tanto brevius, tardiusve salvabuntur. Nam quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi mora, inquit S. Aug. lib. 8. quæst. ad Dulcidium.

SCHOLION.

32. Mittimus alias quæstiones, quas super hac re agitare solent Theologi, quales sunt, de termino maximo temporis assignando: de intensione pœnarum; an per dæmones torqueantur illæ animæ justæ, & similes. Cum dicta videantur sufficere & pro stabilienda Veritate Catholica Purgatorii, & pro docendis Christifidelibus super his, quæ debent vitare & amovere, videlicet venialia peccata, & debitam obligationem pro peccatis remissis: quanti etiam pretii sint pro breviando tempore Purgatorii, & leniendis illius pœnis sacrificia, preces, eleemosynæ, & caritatis opera, dum vivimus; utpote quæ strictius nos jungunt, ac conglutinant Corpori Fidelium hic viventium. Quid vero Verbi Dei prædicatoribus præstet docere e suggestu, edocet Trident. Synod. sess. 25., per hæc verba: apud rudem vero populum difficiliores, ac subtiliores quæstiones, quæ ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permitant (Episcopi). Ea vero, quæ ad curiositatem quandam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & fidelium offendicula prohibeant. Et hactenus de Purgatorio; deinceps de Limbo, & de pueris cum originali peccato decedentibus, atque ibi detentis agendum est.

PRO-

PROPOSITIO III.

Parvuli sine Baptismo decedentes æternæ mortis pœna mulctantur.

1. AT cum pœna hæc sit in duplici differentia, Damni videlicet & Sensus, circa utramque diversæ sunt opiniones, aliæ ab Ecclesia damnatæ; aliæ inter Theologos controversæ. Primæ, quæ pertinent ad pœnam Damni, duæ sunt: altera Vincentii antiqui cujusdam, quem refellit Aug. in primo libro de orig. animæ c. 9. qui quidem parvulis, licet in peccato originali conceptis & natis, Cœlorum Regnum attribuebat, quem Vincentium sequutus est recentius in sua de peccat. orig. Declaratione Zuinglius. Et quoad infantes Christianorum Filios Bucerus, Petrus Martir, & Joan. Calvinus. Altera fuit Pelagii, & suorum assecları, qui parvulos a Cœlorum Regno excludebant; iisdem tamen dabant æternam vitam, ac beatitudinem naturalem, eos sine ulla molestia, ac dolore perpetuo beaturam.

2. Utraque hæc opinatio hæretica est. Ac prima ex diametro contraria sententiæ nitidissimæ Salvatoris Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Qua sententia comprehendi etiam Christianorum parvulos non baptizatos, nullus non videt. Super hac re consulendus Bellarm. in lib. de Baptis. cap. 4. & de peccat. orig. cap. 14. Secunda vero Pelagii opinio multis confutatur argumentis, primo ex Scriptura. Joan. enim cap. 3. dicitur: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ergo non respicientes in Serpentem, hoc est, in Christum non credentes eam habere non possunt. Addit idem in eodem cap. Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ergo qui non credunt in Filium, nec per se, nec per alium, nec actu, nec habitu, (quales sunt parvuli non baptizati) non vident vitam, & ira Dei manet super illos.

3. Per unius delictum in omnes homines in condemnationem, scribit Apost. ad Rom. 5. & Joan. Apocal. cap. 20. Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Parvuli igitur ob delictum primi parentis sunt in condemnationem, & ut non scripti in libro vitæ (quis enim scriptos esse dicat?) mittuntur in ignis stagnum. Igitur damnati in Adamo vitam non videbunt felicem & beatam (de hac enim, non de vita corporali in resurrectione accipienda agitur) sed infelicem & miseram in stagno ignis.

4. Secundo confutatur auctoritate Conciliorum, Palæstini, teste Augustino in epist. 106. ad Paul. Cartaginensis, eodem teste epist. 90. Milevitani, apud eundem epist. 92. Florentini, in cujus ult. sess. dicitur, illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Denique Tridentini, qui sess. 5. disertis verbis docet: parvulos sine Baptismo ad vitam æternam non pervenire.

5. Tertio confutatur auctoritate SS. Pontificum & Patrum. S. Innocentius I. in Epist. ad Concilia Cartag. & Milevit. laudat horum CC. decreta, Pelagianorumque errores damnat, quorum unus hic fuit, ut modo dixi. S. Siricius in Epist. ad Himerium cap. 2. docet, infantes in periculo vitæ constitutos, continuo debere baptizari, ne scilicet regnum perdant & vitam. S. Leo in epist. 6. ad Nicetam jubet, Pelagianos ad Ecclesiam redire volentes non prius recipi, quam suos errores anathematizent, inter quos recenset, pueros sine Baptismo decedentes posse salvari. S. Greg. Papa lib. 9. moral. cap. 16. Nonnulli, inquit, prius a præsenti luce subtrahuntur, quam ad proferenda bona, malave merita activæ vitæ perveniant: quos, quia a culpa Originis Sacramenta non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt .... Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. Joannes Papa (ut habetur 30. quæst. 1. can. ad limina) laudat laicum quendam, qui, necessitate cogente, proprium filium baptizavit: quoniam, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, Sacri unda Baptismatis lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi jam regnaturum sine dubitatione transmitteret. Sententias SS. Patrum a S. Augustino, cujus tempore error hic a Pelagio disseminari cœpit, usque ad S. Bernardum, exscriptas dat Bellarminus Cardinalis lib. 6. de Statu peccati cap. 2.

6. Horum omnium auctoritati adstipulatur ratio ex D. Thoma desumpta quæst. 5. de Malo art. 1. Primus enim homo se privavit peccando, & suos posteros eo dono, quo ad Dei claram visionem præparabatur. Se enim privavit Justitia originali, gratia sanctificante &c. & auxiliis, quibus ad illam pervenire tandem posset. Sed quando aliquis peccando abs se illud abjicit, per quod disponebatur ad aliquod bonum accipiendum, meretur, ut ei subtrahatur illud bonum, ad quod obtinendum disponebatur, & ipsa subtractio ejus boni est conveniens illius pœna: conveniens igitur peccati originalis pœna est subtractio Visionis Dei, atque adeo æternæ vitæ. Argumenta, quæ huic veræ doctrinæ opponuntur ab adversariis, solventur in Corollario

rio I., ubi Catherini opinio refutabitur, ab hoc errore non plurimum discordans.

7. Nunc de pœna sensus quid Theologi inter se disputent, videamus. Quorum cum sint sententiæ extreme oppositæ; his pœnæ damni, & sensus in gehennæ igne eas parvulos æternum destinantibus, qui obierunt sine baptismo; illis soli Damni pœnæ; his ego accedens cum S. Thoma in quæst. 5. de pœna orig. pecc. art. 2., illam ex eodem S. Doctore sic probo. Primo. Peccato originali ea pœna attribuenda est, quæ ordini respondet, quo privat. Privat autem ordine supernaturali ad Deum; naturali minime. Non est igitur ei adscribenda pœna, quæ naturam lædat, qualis esset ignis eterni; sed damni tantummodo, quæ in Visionis Beatæ privatione consistit. Secundo. Nemo damnari solet ad pœnam sensibilem & positivam propter carentiam virtutis, & pronitatem habitualem ad vitia. Sic non proni ad furta, sed furta facientes ad triremes damnantur. Parvuli obnoxii originali peccato carent quidem virtutibus, & malo proni sunt, utpote justitia originali destituti: pœna igitur ignis & sulphuris puniendi non sunt. At sunt digni pœna damni, quæ in carentia Divinæ Visionis consistit: quemadmodum qui eis virtutibus & scientia carent, quæ ad magistratum requiruntur, ad illum assumi non debent. Tertio. Propter originale peccatum non injunguntur in Ecclesia hominibus, etiam adultis, cum Baptismo regenerantur, satisfactiones pœnales, neque hi jubentur dolorem ullum animi, ægritudinemve concipere. Credibile vero est, Ecclesiam ab Spiritu Sancto edoctam voluisse sua observatione ad ea, quæ in futuro sæculo decedentibus cum originali culpa accidunt, inspicere, & de illis instruere.

8. Deinde de parvulis dici non potest, se glorificavisse, & in deliciis fuisse. Sed eis tantum, qui ita se habuerunt, præcipitur Apocalyp. cap. 18. dari tormentum & luctum: non igitur parvulis. Quid? quod Ignis non extinguendus conjungitur vermi non morituro Marc. cap. 9.? Nullus vero dicit, eos parvulos morsu vermis, seu conscientia male facti esse torquendos: ergo neque ignis acerbitate. Accedit epistola Decretalis Innoc. III. quæ habetur in lib. 3. Decret. tit. de Bat. & ejus effectu. Cap. Majores, ubi legimus, peccati originalis pœnam esse carentiam Visionis Divinæ; actualis autem gehennæ perpetuæ cruciatum.

9. Atque hæc quidem sententia conformis est testimoniis Patrum. S. Gregorius Nazianzenus, vir sine controversia doctissimus, Oratione in Sanctum Lavacrum tria distinguit genera hominum sine illo decedentium, quorum alii Baptismum contempserunt: alii ex negligentia propria illum non habuerunt: alii, hoc est infantes, ex alio-

rum

rum negligentia illo caruerunt. Et de his ultimis sic dicit: Existimo futurum, ut postremi nec cœlesti gloria, nec suppliciis a justo Judice afficiantur, utpote qui, licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen carent, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint. Neque enim quisquis supplicio dignus non est, protinus honorem quoque meretur. Quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim pœnam etiam promeretur. S. Ambrosius, aut quisquis est auctor Commentariorum in epist. Pauli, explicans caput quintum ad Romanos, ita scribit: nos omnes in Adamo tanquam in massa peccasse. Et paulo inferius: certum pœnæ genus ab eis removet, qui nihil propriis actibus meruerunt. Quod autem hoc remotum pœnæ genus esse potest, nisi sensus? S. Aug. lib. 3. de lib. arbit. cap. 23. Dicunt, inquit, qualis in futuro judicio locus deputabitur, cui nec inter justos locus est, quoniam nihil recte fecit: neque inter malos, quoniam nihil peccavit? Quibus respondetur.... superflue sane quæri de meritis ejus, qui nihil meruerit: non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum, atque peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium, atque supplicium. Quam sententiam, ait Bellarminus, nullibi quod ego sciam, retractavit S. Pater. Dein cum idem lib. 5. in Julian. cap. 8 scribat, se non dicere parvulos tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret. Et post pauca, parvulos non baptizatos in damnatione futuros omnium levissima; a pœna sensus eisdem decernenda alienus omnino esse videtur; atque in solam damni pœnam propendere.

10. Audiendi sunt tamen, qui contra pro pœna ignis decreta in parvulos opinantur. Ii opponunt primo ex Scriptura illud Matth. 3. Cujus Ventilabrum in manu ejus, & permundabit aream, & congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igne inextinguibili. Ejusdem ibi: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et parvuli paleæ sunt comburendæ, atque in ignem mittendæ. Matth. 13. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent illos in caminum ignis.... Ejusdem 25. omnibus, qui a sinistra sunt, dicetur: ite maledicti in ignem æternum. Apocal. 20. Beatus est Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem: ergo in non justis & sanctis habet: ergo & in parvulis peccato originali infectis: qui proinde in stagnum ignis & sulphuris mittendi erunt.

11. Opponunt secundo ex Patribus S. Aug. qui lib. 6. in Julian. cap. 4. docet: parvulos etiam in die Judicii esse judicandos juxta illud Apostoli 2. ad Corint. 5. ut referat unusquisque, sicut gessit, sive bo-

bonum, sive malum. Quia sicut ad baptizatos pertinet, quod crediderunt per alios; ita ad non baptizatos, quod peccaverunt per alium. Et Serm. 54. de Verb. Apost. satis aperte dicit: parvulos sempiterno igne esse cruciandos. Quintum. Item Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. idem firmissime credi jubet. S. Athanasius, si tamen hic est auctor Symboli suo nomine inscripti: omnes homines, ait, resurgere debent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem; & qui bene egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero male, in ignem æternum. Æternum igitur ignem parvulis ex sententia Judicis infligendum Patrum tenet traditio.

12. Opponunt denique: parvuli in hac vita pœnam sensus patiuntur, famem, nimirum, sitim, morbos, & sexcenta alia incommoda: & cur hanc pœnam non patientur in altera? Deinde: post judicium corpora non habebunt gloriosa, sed passibilia: ut igitur in eis crucientur, quod Augustinus innuit epist. 146. ad Consentium quæst. 1. Tandem Christus pro expiando etiam originali peccato pœnam sensus, & quidem gravissimam passus est: ergo ea peccato illi debetur.

13. Hæc sunt, quæ contra positionem nostram opponuntur, nec minimi quidem ponderis. Singulis itaque respondendum est. Primo auctoritati ex Matth. 3. sumptæ: parabolam illam ad parvulos non pertinere: quippe cum ibi Catholica Ecclesia describatur, (ut S. Augustinus in lib. contra Donatistas edocet) in illa, ut in area grana, & paleæ permistæ sunt; sic boni cum malis confunduntur: in postrema vero die mali, ut paleæ secernentur ad ignem. Parvuli autem non baptizati in Ecclesia non sunt; ac proinde nec in area, ut ibi affirmat idem S. D. Alter textus ex eodem cap. Matth. intelligitur de Adultis, qui fructum facere cum possent, & deberent, minime fecerunt. Teneræ autem Arbores fructum non faciunt. Sagena, quæ in cap. 13. Matth. tertio loco opposito exhibetur, Ecclesiæ est veluti typus: in qua cum non sint parvuli non baptizati, de eis cætera non intelliguntur; & quidem ad eos non pertinere, docet S. Augustinus contra Donat. cap. 5. Ad eos item, qui in Ecclesia sunt, pertinere existimat S. Pater contra Donat. cap. 4. de fide, & operib. cap. 15. & quæst. 1. ad Dulcitium textum Matth. cap. 25. Ite maledicti. Idque ratio persuadet. Comparat enim Dominus bonos & malos Ovibus, & hædis, qui in eodem grege, & sub ejusdem sunt pastoris custodia. Grex autem Ecclesia est, in qua & mali, & boni sunt, sed Christiani. Deinde ex bonis operibus factis, vel omissis, ii destinantur ad supplicium, illi ad regnum. Parvuli autem quid boni facere, aut omittere potuerunt? Suntque illi in Ecclesia Dei? Si dicis, Infideles hac ratione eximendos esse a judicio. Falsum enim vero. Nam licet isti

in

in illis verbis exprimi non videantur, id in primis non opus erat; cum Matth. ult. cap. dicatur de ipsis: qui non crediderit, condemnabitur. Et Joan. 3. qui incredulus est Filio, non videbit vitam. Insuper. Infideles non ovibus, & hædis, sed lupis gregis inimicis infestis comparandi sunt. Ad ultimum locum ex Apoc. 20. adductum idem responderi poterat, sermonem ibi fieri de adultis; sed cum ibi is quoque censeatur, qui non est inventus in libro vitæ, parvulos ibi contineri censendum est, eosque ad stagnum ignis deputandos, sed diverso modo, ac timidi, & increduli, & execrati, & homicidæ, & fornicatores, & venefici, & idololatræ, & mendaces, ut habetur cap. 21. Hi enim comburendi destinabuntur; parvuli vero detinendi tantummodo.

14. Patrum testimonia eadem plurimum habent interpretamenta. Parvuli, ut vult Augustinus in Julian. sisterentur ad judicium, & referent, sicut gesserunt; at non propria, sed Adami voluntate. Sola autem propria voluntas, ut ait hic de malo quæst. 5. Div. Thomas ex Divo Bernardo, ardet in inferno. Damnabuntur igitur ii cum cæteris, qui ad sinistram erunt, ad ignem, non in quo ardeant, sed in quo æternum teneantur. Non enim post judicii diem ignis urendi vim habebit, nisi ut instrumentum divinæ justitiæ, atque adeo alios plus, alios minus, alios nihil lædet. Jam ad testimonia, quæ ex Aug. Fulgentio, & Athanasio, aut quisquis est auctor Symboli, desumuntur, sic respondet D. Thomas: dicendum, quod nomen tormenti, supplicii, gehennæ, & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum invenitur, est large accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant: in parvulis nullum peccatum esse, neque eis aliquam pœnam deberi. Nec verba illa Fulgentii: firmiter tene, & nullatenus dubites &c. traditionem oppositæ sententiæ persuadent, quam vidimus ab aliis Patribus doceri. Quod si forte aliter sensit, inquit Bellarminus, non facimus illi injuriam, si B. Gregor. Nazianzenum cum universa schola Theologorum sequi malumus.

15. Cætera momenta ita eluuntur. Primum. Pœnas sensus, quas hic patiuntur infantes, consequutionem quandam esse humanæ naturæ, non pœnas proprie, & directe inflictas. At sulphuris, & ignis cruciatus directe foret pœna ex institutione divina. Secundum sic elevatur. Corpora sane parvulorum non erunt gloriosa, sed similia corporibus eorum, qui ignis vim sentient. At sicut isti non æqualiter ab eo omnes torquebuntur, sed ut ab divinæ justitiæ instrumento; ita ab eo, ut pote instrumento justitiæ, nihil mali sentient parvuli. Neque vero de his, sed de illis sermo erat S. Aug. in citato loco.

Ad

Ad ultimum quod opponitur, nempe, Christum pro expianda originali culpa pœnam sensus subiisse: Constat, Christum pœnam non subiisse nostris peccatis directe debitam: neque enim gehennæ sustinuit pœnam, sed eam, quæ, ob personæ patientis dignitatem, & excellentiam, pro omnibus plenissime satisfaceret. Accedit, quod cum pro omnibus culpis passus fuisset, & pœna sensus sine dubitatione culpis actualibus destinetur: quam subiit Dominus, quoad hanc quoque, sine effectu non fuit.

COROLLARIUM I.

16. Post hæc promptum est intelligere, eos, qui parvulos non baptizatos igne sempiterno cruciatos volunt, illos quoque tristitia & angore affici existimare. At illi etiam, qui parvulos ab hac pœna sensus liberant, super eorum interna pœna non sunt concordes: his cum Sanctis Thoma & Bonaventura ab omni mæstitia & dolore interno illos eximentibus: Aliis cum Bellarmino Cardinali contra penitus opinantibus. Primi his momentis ducuntur, quæ habet Angelicus Doctor quæst. 5. de malo art. 3. Primum sumit ex Aug. qui puerorum talium pœnam scribit esse mitissimam. Secundum: quia nemo dolet ob amissionem boni, cujus aut cognitionem non habet, aut eam tenuem, & imperfectam: parvuli vero, qui Sacramentum fidei non receperunt, quam possunt habere cognitionem boni, quæ absque fide haberi non potest? Tertium: quod nemo affligatur ob carentiam ejus rei, quæ suam proportionem excedit: quemadmodum nemo sapiens affligitur de hoc, quod non volat ut avis, vel quia non est Rex, aut Imperator, cum sibi non sit debitum: affligeretur autem, si privaretur eo, ad quod habendum aptitudinem habuit. Adducitur demum illud Apocal. cap. 18. quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

17. Qui vero Theologi contrariam autumant, his momentis suam causam tuentur. Primo: nubem illam testimoniorum SS. Patrum, parvulos non baptizatos igni, & inferni cruciatibus addicentium, vix exponi serio, & vero posse, si omnis etiam tristitia, & angor ab illis removeatur. Secundo: nullum eorum, ajunt, qui contra sentiunt, congruentem rationem hactenus adduxisse, cur infantes non angantur, ac tristentur, quum cogitant, se Cœlesti felicitate esse privatos, & in carcerem inferni detrusos. Tertio: illos pueros habuisse proportionem cum gloria in Adamo, in quo eorum voluntates continebantur: & sicut non potest homo non dolere ob amissum bonum, quo fruebatur, & ardenter amabat, & quod erat summo amore dignum; ita nec non dolere, quod bono illo non gaudeat, quo gaudere po-

fuisset. Adduntque, pueros baptizatos ita se habere ad Christi meritum, ut non baptizati ad Adami demeritum. Quare igitur ut illi de merito Christi gaudent, isti demerito Adami non mæreant?

18. Dominicus Soto vir doctissimus e D. Thomæ schola cum lib. 1. de nat. & grat. cap. 14. de his parvulis ad beatitudinem non admissis fusius disputavisset, sic concludit: Dicendum, vel causam, qua fuerunt expulsi, sibi ignotam esse, quod magis probaverim, eo quod sit extra naturalem ordinem rerum; aut, si eam cognoscunt, ut quidam volunt, vix possum intelligere, quomodo nulla inde eos tristitia molestet. Quibus ex verbis facile inducor, ut credam, unam & alteram sententiam posse commode conciliari, si ponimus ante judicii diem nulla pœna interiori sensus parvulos affici, quod docet S. Thomas; post diem vero judicii affici, ut alii volunt cum Bellarmino, sed mitissima, idque multis de causis. Prima quod ad Beatitudinem non nisi remotissimam dispositionem habuerint. Secunda quod intelligent tunc, cum illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifesta erunt consilia cordium, ut loquitur Apost. Paulus, non propria negligentia tantum bonum amisisse, unde & carebunt verme conscientiæ. Tertia quod delitias neque cœlestes, neque terrenas unquam gustaverint. Quarta quod videbunt in eodem gehennæ carcere, se multo infeliciores, cujus sortis participes esse potuissent. De cætero illos tristitiam, & animi dolorem subituros, palam videntes felicitatem Sanctorum, & se ea privatos beatitudine, a consortio item piorum, & parentum, & fratrum segregatos, in Carcerem inferni detrusos, & in æternis tenebris vitam non immutandam acturos.

19. Si enim nesciunt ii, quod magis probat Sotus, beatum finem, quem, ni peccasset Adamus, habituri erant, nescio, cur tristitia affici credantur a Theologis secundæ sententiæ suffragantibus. Et si cognitio boni non obtenti, quod obtineri alioquin posset, conceditur causa esse naturalis doloris, hac habita in fine temporum, non video, cur dolor omnis, ac tristitia ab eis removenda sit. Cui quidem positioni S. etiam Thomas citato loco de malo videtur annuere cum dicit: pertinet ad naturalem cognitionem, quod anima sciat, se propter beatitudinem fuisse creatam. Sed quod illud perfectum bonum sit illa gloria, quam Sancti possident, est supra cognitionem naturalem, unde Apost. dicit 1. ad Corint. cap. 2. quod nec oculus vidit &c. & subdit: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Quæ quidem revelatio ad fidem pertinet, & ideo se privari tali bono, animæ puerorum non cognoscunt. Igitur si cognoscant, dolebunt; cognoscent autem in extremo judicio. Non est ergo ratio, cur ab illo die credatur S. Thomas tristitiam & pœnam sensus internam parvulis cum originali peccato decedentibus abnuere.

20. Nec

20. Nec juvat dicere, parvulos visa suorum felicitate, & sua e regno remotione sempiterna in die illa, non dolituros tamen, quod nempe intelligent, justa Dei ordinatione illo privari. Aliter enim fieret, ut voluntate sua perverse uterentur, de judiciis divinis obmurmurantes. Non juvat, inquam, non enim video, qua necessaria connexione pœna, quæ scitur a Deo inflicta, cum desperatione, & divinorum judiciorum obmurmuratione stringatur. Animæ in loco purgatorio gravi pœna, & dolore afficiuntur. S. Jobus, Martyres Christi, ac Sancti Viri in hoc mundo quid non passi sunt, & patiuntur? Omnes Dei voluntate, & justo judicio se sciunt pati; tristantur tamen, & dolent; neque vero de Deo male lamentantur, & obloquuntur, quin eum laudant, & in afflictione benedicunt. Non sic se habebunt equidem parvuli, cum habitualiter mentem, licet non peccato actuali inquinatam, a Deo tamen aversam habeant; sed neque peccato aliquo actuali, quale esset in Deum obmurmuratio, se inficient.

COROLLARIUM II.

21. Huic sententiæ, ut sunt homines in opinando varii, & extremi, alia se offert ex diametro opposita. Ea est Ambrosii Catharini in lib. de Stat. puerorum sine baptismo decedentium, qui docet cum paucis aliis, parvulos post diem judicii esse naturali beatitudine donandos, atque in mundo, velut in paradiso quodam, perpetuo, feliciterque victuros. Hæc sententia communiter a Theologis reprehenditur, & censura notatur. Et quidem non immerito. Nam, ut ait S. August. lib. 1. de peccat. merit. cap. 13., Nulla ex nostro arbitrio præter Baptismum Christi salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda. Quid vero super illis dicat Scriptura, expositum modo est. Quod autem Catharinus adducit: non esse conveniens, parvulos suo fine fraudari, ut homines sunt; atque hunc finem esse, cognoscere Dominum Deum, & substantias separatas longe super omnes Philosophos; quippe cum crimine carentes, nullum nec interius, nec exterius impedimentum habebunt, ne in æternum semper proficiant, quasi in immensum.

22. Id omne & gratis dicitur, & parum Theologice. Gratis dicitur, non esse conveniens fraudari aliquid suo fine: cum sit potius conveniens, ut summus rerum omnium provisor Deus cuncta dirigat in finem suum, & ut aliqua permittat ab suo fine decidere, quod observat D. Thomas in 1. part. q. 22. art. 2. & q. 23. art. 3. Gratis dici-

 tur

tur, naturam exigere æternum vivere, & in immensum proficere: cum naturale potius sit homini corpus habere mortale, cibo, atque potu indigere, a sensibus pendere in acquirendis scientiis, nec id quidem sine magno labore. Gratis dicitur, ne quid durius dicam, parvulos decedentes sine Baptismo naturam humanam sine crimine habere. (ni crimen auctor hic intelligat personale) Certum est enim, eorum naturam in Adamo infectam eos reddere filios iræ, & omni jure privatos ad beatitatem æternam.

23. Hæc est, ut diximus, sententia Patrum Ecclesiæ ab usque remotissimis temporibus, a quibus recedere piaculum est: neque id excusat sensus quidem misericordiæ, quo erga teneram illam ætatem affici solemus. Nam ut sapienter Bellarminus scribit: nihil nostra misericordia parvulis jam defunctis prodesse, nihil nostra severitas obesse potest; multum autem nobis obesse, si ob inutilem misericordiam erga illos pertinaciter contra Scripturas, & Ecclesiam aliquid defendamus. Immo cavendum est Sacerdotibus, (ut id denique admoneam cum Honorato Tournelio (de peccat. part. 2. art. 5.) ne has opiniones scholæ proponant, ut dogmata fidei; possunt vero oportune uti opinionibus extremis, quæ pænam ignis parvulis affigit, & quæ eam removet. Prima uti contra Matres illas, quæ ex negligentia fœtus in utero suffocant, aut præmature effundunt: altera vero opposita, ut dolorem leniant Matrum illarum, quæ filios absque regenerationis Sacramento extinctos acerbius lugent. Et hactenus de parvulis cum originali peccato decedentibus.

PROPOSITIO IV.

Dæmones, & Damnati apud Inferos sempiterna pœna cruciabuntur.

I. VEritas hæc tam est animis Christianorum & doctorum & indoctorum insita, ut supervacaneum eam in disputationem adducere videretur, nisi male pravorum hominum circa eam errores, & diversæ Patrum loquendi formulæ adigerent. Errores vero super hac re ab officina omnes Platonicorum derivarunt, cum suo Platone volentium: animas hominum, qui se in vita criminibus inquinassent, post mortem in varia transire hominum, & pecudum, aut bestiarum corpora, quorum similitudinem alterni illi gerebant; donec purgatæ, ac defœcatæ ad primum statum, & nitorem suum redirent. Sententiam hanc Platonis ex suo Timæo sic Marc. Tullius describit in lib. de Universit. qui autem immoderate & intemperate vixerit, eum secundus ortus in muliebrem figuram transfert. Et, si ne tum quidem finem vitiorum faciet, gravius etiam jactabitur, & in suis moribus simillimas figuras pecudum, & ferarum transferetur: neque malorum terminum prius adipiscet, quam illam sequi cæperit conversationem, quam habebat in se ipso ejusdem & unius simul innatam, & insitam, quod tunc eveniet, cum illa, quæ ex igne, aere, aqua, atque terra turbulenta, & rationis expertia insederint, denique ratione depulerit, & ad primam, atque optimam affectionem animi pervenerit. Ejusdem familiæ Alcinous cap. 16. finis autem, ait, laborum iis erit cum ea, quæ adhæserunt, vicerint, & ad propriam affectionem pervenerint. Ex eisdem fontibus illud descendit Virgilii Æneid. lib. 6.

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes: penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Quem locum, ut ad Platonicorum sententiam accommodatum citat, & illustrat S. August. lib. 4. de Civ. Dei, ut probet, nullas illos admi-

sis-

sisse pœnas post mortem nisi purgatorias: quod non esse omnino certum, deinceps monstrabimus.

2. Neque vero mirum est, Ethnicos homines sui auctoritate Platonis raptos in hanc sententiam, cum ex Christianis Sapientissimus Origenes hunc errorem imbiberit, per sua opera sparserit, atque in illis, velut in aureo calice, discipulis & posteris propinaverit. Quem errorem in dies magis serpentem damnavit V. Synodus pro Oecumenica recepta, ut auctores nobis sunt Nicephorus Callisti f. lib. 7. Photius in libello de Synod. Evagrius, Theophanes, Zonaras, & Cedrenus: Omnium, scilicet, impiorum hominum, & Dæmonum etiam ipsorum tormenta finem habitura, atque impios, & Dæmones in suum priorem statum reditum iri. Eundem damnavit Synodus VI. act. 18. & VII. act. 1. multoque ante eas Synodos jam ab Ecclesia confixam fuisse, dicit Aug. lib. de Hæresi, hæres. 43. hanc opinionem, ut vanissimam impietatem, propter quam Origenes ab Ecclesia merito proscriptus fuit: sive in Conciliis id factum esset, sive a Patribus omnibus quasi ex Condicto, eam in suis libris reprobantibus.

3. Enimvero, S. Justinus (ut ab eo ordiatur Patrum recensio) in sua priore Apologia, de Dæmonibus disserens, dignas pœnas, asserit, & supplicia reportabunt, sempiternis ignibus inclusi. S. Iræneus lib. 4. cap. 47. Quibuscumque dixerit Dominus: Ite maledicti in ignem æternum, isti erunt semper damnati; & quibuscumque dixerit: Venite benedicti Patris mei .... hi semper percipient regnum, & in eo proficient semper. Tertullian. lib. de testim. animæ cap. 4. animam, ait, pro meritis aut cruciatui destinari, aut refrigerio, utrique sempiterno. S. Cyprianus lib. de mortalitate, quando hinc excessum fuerit, scribit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus: hoc vita aut amittitur, aut tenetur. S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 43. firmissime, inquit, tene, & nullatenus dubites, ex ore Dei justi, æternique sempiterna Judicis atque incommutabili prolata sententia, iniquos omnes ituros in combustionem æternam; justos autem in vitam æternam: iniquos semper arsuros cum Diabolo; justos autem sine fine regnaturos cum Christo.

4. Mitto cæteros Patres appellare, Clementem Romanum, Theophilum, Minutium, Felicem, Lactantium, Luciferum Calaritanium, Didymum, Nemesium, & plures alios videndos apud Petavium de Angelis cap. 8. ut tres nominem fusius de hac re disputantes; eosque Sanctissimos, & Doctissimos, Gregorium Papam, Chrysostomum, Augustinum. Primum in lib. Moral. quarto & tricesimo data opera errorem hunc Origenis convellentem. Secundum, qui cum pluribus in locis pœnas Dæmonum esse sempiternas, sicut & impiorum ho-

hominum confirmet, idem agit præsertim Homil. 21. in Acta, & 13. in Epist. ad Philipp. S. Aug. denique in lib. mox citato de Hæresib. ad Quem vult Deum: de Civit. Dei cap. 28., & 21. ubi docet: neque pro Diabolo, & Angelis ejus, neque pro Damnatis Ecclesiam orare, neque pro illis exaudiri fidelium preces. Quod idem replicat in lib. de cura pro mortuis agenda. Lib. 33. contra Faustum cap. 4. in Epist. 49. & in lib. ad Dulcid. & quoad Dæmones præcipue in lib. ad Orosium contra Priscillianistas, & Origenistas cap. 5. & Epist. 107.

5. Ii omnes ducem habuerunt Veritatem Scripturarum. Quid enim expresius verbis Summi Judicis: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus? Et postmodum, & ibunt hi in supplicium æternum? Ubi non solum ignis, sed pœna, aut supplicium æternum damnatis decernitur: igitur & Dæmonibus, quibus ignis pœnalis paratus erat. Sic enim argumentatur S. Aug. lib. de fide, & operibus contra nonnullos: neque enim dici potest, in quo nonnulli se ipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem.... Cum & hoc prævidens Dominus, sententiam suam conclusit, ita dicens: sic ibunt illi in combustionem æternam; justi autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio, sicut ignis: & eos ituros in illam Veritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit. Ex quibus verbis, sicut ex citatis Fulgentii videre licet, non *supplicium æternum* scriptum apud Matth. fuisse Augustini tempore, *sed combustionem æternam*, atque adeo καῦσιν ἀιώνιον, non κόλασιν in græco legisse, quæ utraque vox tantundem ad pœnarum immortalitatem valet.

6. Marci 3. de certo peccati genere Christus dicit: qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Quod idem Matth. sic expressit: non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. Paulus 2. ad Thesal. cap. 1. de impiis loquens & Infidelibus, pœnas dabunt, inquit, in interitu æternas a facie Domini. Et Joannes de his loquens, qui bestiam adorabunt, & cruciabuntur igne & sulphure, & fumu, addit, tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum. Et Judas Apost. de perditis quibusdam ait, procellam tenebrarum illis servatam esse in æternum. In Testamento Veteri perspicuus super hac re est Danielis locus cap. 12. & multi, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper, vel ut in Hæbreo legitur, in contemptum sempiternum.

7. Jam *vita æterna*, quæ Sanctis a Supremo Judice decernitur, ut damnationi opposita reproborum, & quæ certam in æternum felicita-

ta-

tatem affert his, qui illam victuri sunt; illis, qui ab ea excluduntur, mortis æternitatem annuntiat. Et *Regni* appellatio, quæ ei vitæ datur, illis, qui regnum hoc Dei non possidebunt, æternam expulsionem assignat. Omnis enim (ut Apost. scribit ad Ephes. cap. 5.) fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est Idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. Falsum autem hoc esset, si aliquando tandem inferna supplicia, & adductio ad illa per Judicem finem habitura essent. Atque hac arguendi forma usus est S. Hilarius can. 5. in Matth. profanum est, inquiens, Sanctos de gloria æternitatis ambigere, cum iniquis æternitatis opus præstetur ad pœnam.

8. Momentis ex verbo sumptis & scripto, & tradito accedunt rationes theologicæ. Prima est: quod per mortem homo constituitur in termino, sicut & rebelles Angeli post liberam eorum determinationem: a termino vero non fit ad alium terminum mutatio. Lignum enim, quod est apud Ecclesiast. cap. 11. ubicumque ceciderit, ibi erit. Secunda est: quod per Ecclesiam non licet orare pro damnatis & Dæmonibus, neque pro illis offerre sacrificium, ut ex Augustino adduximus, & docet S. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 44. Scit enim Ecclesia divino semper Spiritu afflata, in inferno nullam esse redemptionem. Tertia est, quæ petitur ex miserrimo damnatorum statu. Sunt hi quippe infelicissimi; tales non essent, si aliquando pœnis liberandi essent, vel esse liberandos scirent. Itaque Dives Epulo Luc. 16. mitigationem petiit supplicii, non a tormentis liberationem. Assumptio probatur ratione mox indicata: ita enim damnati infelicissimi sunt, quemadmodum beati sunt felicissimi; hi autem tales non essent, si securi de suo statu non viverent: neque illi igitur infelicissimi, si eorum status aliquando, licet remotissime, finem esset habiturus. Quæ rationes, velut sigillo, roborantur auctoritate Concilii Lateran. IV. in cap. Firmiter, ubi dicitur: Reprobos cum Diabolo in pœnam æternam ituros. Et Trident. sess. 6. can. 25. & sess. 14. can. 5. in quibus docetur, ut fide tenendum, reproborum supplicia nullum unquam finem habitura.

9. Momenta hæc Theologica excipiunt alia a natura sumpta contra hodiernos Philosophos, qui omnia sudeque vertunt, & quibus Scripturæ Sanctæ, Concilia & Patres contemptui sunt. Contra hos, qui Deum saltem non negant, pro asserendo Inferno, & hujus æternitate, argumentor sic. Primo: si Deus est, Infernus negari non potest; vos non dicitis: Deus non est: ergo infernum admittatis oportet. Probo majorem. Si Deus est, Sanctus est; si Sanctus, Justus; si Justus, diligens justitiam, & odio habens iniquitatem; si talis, Sanctum cum impio & scelerato non confundens; ergo & virtuti

præ-

præmium, & sceleri supplicium proportionatum statuens: ergo & locum destinans, ubi id supplicium subeundum sit. Is autem locus est, quem infernum nominamus: is ergo negari non potest. Demonstratio hæc, quæ in Dei natura fundatur, ejusdem Dei & Doctoris, & Judicis parabola Luc. 16. majorem in modum stabilitur. Ibi enim per Abrahamum Diviti ab infernis refrigerium ab eo exoranti responsum hoc datum est: Fili, recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Ex quo responso, sic argumentor secundo. Si infernus non est decretus impiis, & scelestis, Justitia divina de medio tollitur. Ubinam enim ea est? Post mortem bonorum juxta ac Dei osores, qui diu, noctuque in flagitiis vivunt, & sanguine, & afflictione innocentium delectantur, nullo, vos dicitis, supplicio afficientur; ante mortem, ubi justi oppressi lugent, & malis undique circundantur, illi laudantur in desideriis animæ suæ bonis, & deliciis vitæ abundant, & tacet terra in conspectu eorum: ergo justitia de medio tollitur; nisi justitiam Deo dignam esse vultis, quæ malis præmia, bonis mala omnia decernit, & confert. At e contrario accidet. Nunc hic (Justus Lazarus, & malorum in vita patiens) consolatur; tu vero (dives, bonis & omni deliciarum genere in vita abundans) cruciaris. Discite ergo justitiam moniti.

10. Deinceps pro asserenda inferni æternitate, sic contra eosdem Philosophos argumentor. Primo. Ex peccati lætalis indole, cui quidem commensurari debet gravitas & duratio pœnæ. Peccatum contra Deum admissum ex parte objecti malitiam infinitam habet: ei ergo infinita pœna respondet; sed hæc infinita nequit esse in intensione; quippe quæ necessario finita est: in duratione igitur. Nunquam enim finire potest pœna, si finem non habet peccatum. Anima vero transgresso puncto illo, quod tempus ab æternitate dividit, immutabilis est aut in affectu & amore boni, cujus præmium Beatitudo est, aut in odio virtutis & Dei, qui pœnam infligit æque non cessaturam; atque adeo ubicumque ceciderit, ut ex Ecclesiastico dictum est, ibi erit.

11. Secundo ex parte voluntatis in scelere ad extremum usque obstinatæ argumentor sic. Æternûm in peccato persistenti voluntati æterna pœna adæquata est; talis est peccatoris voluntas: ergo illi æterna pœna est adæquata. Prob. min. Mors homini impœnitenti superveniens ei mundum adimit, adimit corpus, & media peccandi; non vero adhæsionem peccato: quod enim breve fuit, ait S. Bernardus, egregie in hoc philosophans, tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate: atque ita longum, ut, ni moreretur, a peccando non desisteret: neque vitam amet, nisi ut pergat peccare: imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset: ergo peccator

æternum in peccandi voluntate persistit: ergo ei debetur etiam supplicium æternum. Justum est enim, ait M. Gregorius, ut nunquam careat supplicio, qui nunquam voluit carere peccato. Confirmatur ex S. Thoma lib. 3. cont. Gent. cap. 144. ubi ait: qui propter aliquod bonum temporale aversus est ab ultimo fine, qui in æternum possideretur, præposuit fruitionem illius boni temporalis æternæ fruitioni ultimi finis. Unde patet, quod multo magis voluisset in æternum illo bono temporali frui: ergo secundum divinum judicium ita puniri debet, ac si æternaliter peccavisset: nulli enim dubium est, quin pro æterno peccato æterna pœna debeatur. Vide etiam lib. 9. p. V. num. 6.

13. Tertio. Ex parte divinæ Justitiæ. Præmio, & eo quidem summo, afficere scelus, repugnat humanæ Justitiæ, nedum divinæ; adeo ut dictu quoque scelus sit, inquit S. Hieronymus in cap. 3. Joan. At id evenire oporteret peccatoribus impœnitentibus, si Infernus non esset æternus: nisi velis, aut animas in nihilum redigi, quod repugnat cum sint immortales, ut dictum est, (*lib. 6. prop. 3.*) aut non esse Infernum, quod mox impugnabimus: ergo illius supplicia non possunt non esse æterna. Prob. min. Animo immortali post hanc vitam non superest nisi aut præmium, aut pœna: ergo si hæc terminum habet (quæcumque tandem tempora, atque annos, & ætates fingas) damnati in loco præmii erunt collocandi, & cum Sanctis Deo æternum fruituri. Tunc vero (pergit S. Doctor) puritas morum ab incontinentia, crudelitas a beneficentia, caritas ab odio, loco, & præmio non discriminabuntur: quod quam sit abnorme, & paradoxum de Dei justitia cogitare, quisque videt.

14. Quid quod humana Justisia morte delicta multat graviora? Ea autem pœna relatu ad nos, & facultatem legislationis humanæ quodammodo æterna est. Qui enim, ait S. Augustinus, morte multatur, numquid mors, qua occiditur, quæ brevis est, ejus supplicium leges æstimant, aut non potius, quod in sempiternum eum auferant de societate viventium? Præterea. Justa pœnæ determinatio a fine sumenda est regiminis: is autem est, ut leges rite observentur. Neque vero ad id exacta proportio desideratur inter delictum & pœnam: sed illud desideratur, ut conferat ad publicum bonum, terrorem justum imprimendo, ne scilicet violentur leges: in eoque sapientia elucet Legislatoris. Si autem timor pœnæ æternæ apud inferos vix coercet homines, & in officio tenet, ne vitiis omnibus inquinentur; quomodo pœna ad tempus subeunda eos contineret? Et quid esset de genere humano, si hoc timoris frænum deficeret? Tandem alias rationes absconditas in Dei sapientia, in Dei sanctitate & justitia, quæ extremo illo judicii die, quando manifestabuntur abscondita te-

ne-

nebrarum, fient hominibus notæ, relinquimus Summo peccati Vindici, quem interea Christianus adorat reverens, & judiciorum suorum pavens dicit illud Psal. 89. Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

14. Hæc cum ita sint, & Ecclesiæ auctoritate definita, non desunt tamen argumenta, quibus impugnantur, neque ea quidem pauca, & solutu facilia, maxime quæ ex SS. Patribus desumuntur. Occurrit enim 1. S. Gregorius Nyssenus quum in sua Catechesi cap. 26. ubi a natura, dicit, auferendum esse malum, hominem malitia liberandum, & ipsum mali inventorem Diabolum sanandum, omnibus in pristinum restitutis. Tum lib. de Anim. & resurr. ubi, Dæmones, ait, post longos Sæculorum anfractus dominationem Christi concorditer confessuros. Quæ ipsa est sententia Origenis.

16. Occurrit 2. Gregorius Nazianzenus, qui orat. 39. in sancta lumina, Novatianis, nisi resipiscant, & Christi viam incedant, supplicia post mortem minatur purgatoria, minimeque perpetua, & Orat. 4. dubium esse significat, an sint æternæ pœnæ Inferni, ac liberum relinquit ea de re, ut velit, opinari quemlibet.

17. Occurrit 3. S. Ambrosius in Psal. 118. ubi: Diabolus, inquit, cum hominibus, sicut & Ministri ejus non flagellabuntur. Separata enim est pœna, ubi distat & culpa. Et de Divite Evangelii dicit: ideo ille, licet peccator pœnalibus urgetur ærumnis, ut citius possit evadere.

18. Occurrit tandem D. Hieronymus lib. 1. Dialog. adversus Pelagianos, solos impios, id est, Deum ignorantes, tormentis non finituris addicens, non item Christianos, licet peccatores, & iniquos. Et in calce Commentar. in Isaiam, postquam sententiam Origenis, suppresso ejus nomine, posuit; primo suam super hac re suspendit: quod nos, inquiens, Dei solius debemus scientiæ relinquere, cujus non solum misericordiæ, sed & tormenta in pondere sunt: & novit, quem, quomodo, aut quamdiu debeat judicare: Deinde ad Dæmones descendens, & impios homines: sicut Diaboli, inquit, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo *non est Deus*, credimus æterna tormenta; sic peccatorum, atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, at purganda, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ sententiam Judicis. Ubi de his & non de aliis suppliciis loqui videtur Hieronymus, quæ Origenistæ aliquando finiri, licet longo post tempore, sentiebant: & quæ illi, Platonicorum more, purgatoria esse volebant.

19. Sunt & Theologi nonnulli & Docti & graves, qui scripta horum Patrum dogmate Origeniano aspersa dicere non recusant. Ut enim dicit Petavius, qui sæpe, ac diu convictu, & consuetudine ali-

cujus utuntur, ejus in se mores paulatim exprimunt; sic qui in Auctoris alicujus lectione multum habitant, illius & scriptionis, & sententiarum genere colorantur. Quo in numero Gregorium Nyssenum primum se dicit invenire, qui Origenis (quem ducem in scripturis exponendis plerique habuerunt, & Magistrum) opinatione multum implicatus videtur. Ego vero, quamvis verba aliquorum Patrum huc, illuc fortuito sparsa, nihil dogmati Ecclesiæ de æternitate pœnarum infernarum derogare sciam; non video tamen, cur id acutius non sit examinandum, cavendumque modestius honori Majorum.

20. Certe ut ab eodem Nysseno incipiam, quem primum opposui, ejus opera ab Origenistis fuisse corrupta variis in locis, maxime in libro de Anima, & Resurr. & in Cateches. Auctor nobis est S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in libro, qui ἀνταποδοτικὸν, hoc est *Compensatorium* inscribitur, cujus verba dat Photius in Biblioteca cod. 233. Sanctus hic scribit, ait, Gregorium Nyssæ Episcopum, ejusque scripta ab Origenis errore esse immunia. Etenim quibus delirium illud placet, Dæmonibus & hominibus in æternam pœnam conjectis liberationem inde expectandam, illi (quod Virum doctrina singularem, & eloquentia insignem eum agnoscerent, claramque sanctitatis existimationem per omnium ora decantatam viderent) aggressi sunt claris, & salutaribus ejus scriptis obscura, ac perniciosa Origeniani sonnii venena admiscere, virtutique hominis, & doctrinæ celebri hæreticam occulte amentiam subjicere. Quare partim additamentis falsis, partim rectis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehensibilibus ejus monumentis calumniari conati sunt. Ac de eodem S. Germano pergit ibi Photius dicere: *Has porro sacras sententias adducens, de Origenistis in propriis sententiis convictis, quibus illi male utebantur, triumphum egit.* Inter has sacras sententias Nysseni, eas etiam potuit S. Germanus adducere, quæ prostant in ejus oratione *in eos, qui differunt Baptisma*, ubi dicit: in electione malorum magis est eligendum, ut salutare lavacrum assecutus rursus sit in peccato, quam ut gratiæ expers vitam finiat. Nam peccatum quidem veniam fortasse consequetur, aut clementiam, cujus magna spes est apud bonos, alteri autem est omnino vetita salus ex certa, & definita sententia. Et infra, mortuum sine baptismo describit frustra deflentem, & inutiliter pœnitentem, non secus atque Divitem, qui induebatur purpura, & bysso, quemque lautus & delicatus omnis generis cibus alebat, materiam ignis, qui non potest extingui. Atque hæc oratio unum ex his operibus esse oportet, quod hæreticorum manus effugerit. Nam, ut ait citatus Photius: Libri, (Gregorii) quos insidiis hæretici excipere moliti sunt, & quos Germanus veritatis propugnator primarius ab latronum insultu sine noxa servavit, sunt

Dia-

Dialogus ad Macrinam sororem de Anima, liber Catecheticus, & ille, qui de perfecta vita rationem continet. Hæc ille. Interpolatum vero ab hæreticis, & Origenianis dogmatibus inspersum fuisse librum de Anima a Greg. Nysseno sorori scriptum, Nicephorus testatur lib. 2. Hist. Eccles. cap. 19. Et de hoc egregio Ecclesiæ Doctore satis.

21. Et ab eo ad Gregorium Nazianzenum veniens, Is non transitoriam pœnam Novatianis hæreticis minatur, sed æternam: quam quod Baptismum ignis vocat postremum, & diuturniorem, occasionem dedit aliquibus tergiversandi super ejus sententia. Sed Nicetas ejus Orationis 39. Commentator sic talem ignem interpretatur, *qui cruciet, non tamen absumat*. Et Gregorius ipse, ne de ejus mente circa æternitatem pœnarum dubitari posset, ita loquitur orat. 15. Mitto dicere futuræ vitæ tribunalia, quibus hujusce vitæ indulgentia, & impunitas eos tradit: ita ut satius sit nunc castigari, & purgari, quam ad cruciatum illum transmitti, cum jam pœnæ tempus erit, non purgationis. Quemadmodum enim qui Dei memor hic est, morte superior est; idque a Davide optime dictum est: ita his, qui e vita excesserint, non est in inferno confessio, neque morum correctio. Et infra de Damnatis sic ait: Hos autem simul cum aliis, vel potius ante alia illud excruciabit, quod a Deo projecti sint, atque inustam in conscientiam sempiternæ ignominiæ notam gerant. Itaque de mitiore, aut duriore pœna eis infligenda relinquit cujusque ingenio opinari; de æternitate non item. Est enim, dicit in loco orationis objecto, alter ignis omnibus formidabilior, qui cum insomni illo vermi conjunctus est, nec unquam extinguitur; verum in sceleratorum hominum pœnam perennis est, & sempiternus.

22. Jam S. Ambrosium abesse longissime a removenda æternitate pœnarum ab hominibus decedentibus in peccato, patet ex ejusdem psalmi 118. enarratione, ubi: Christus, ait, suos castigat, quos diligit: alienos tanquam generali damnatione impietatis adstrictos, pœna damnat æterna. Illa itaque sententia: Diabolus & ejus Ministri cum hominibus non flagellabuntur, sic est exponenda, ut homines intelligat non impœnitentes ad extremum usque, sed eos, qui cum pœnitentiam in vita egerint, & debitæ penæ hic omnino non satisfecerint; post mortem cruciatibus purgatoriis tantummodo flagellandi sunt. Nec per Divitem illum intelligit Epulonem, qui ex profundiore inferno ad Abrahamum clamabat; sed illum avarum, cui Luc. cap. 12. dictum fuit: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem parasti, cujus erunt? Hunc a Deo sic increpitum, ex eorum esse numero putavit S. Ambrosius, qui ut æternas pœnas evadant, temporariis plectuntur. Id circo in margine non cap. 16. Luc. ad-

adnotatur, ubi Epulonis parabola; sed 12. ubi altera avari divitis scribitur.

23. Quod vero pertinet ad opposita ex Hieronimo ad primum quidem respondent, Christianos solum salvari posse per ignem, non tamen omnes; sed eos tantum, qui pœnitentiam agent, purgatorio igne expiatos ad tempus. Quæ responsio, ut mihi quidem videtur, sufficiens est. Ego vero crediderim, in hoc loco reprehendi Pelagianos, quod ad alterum sæculum traducant, quod de præsenti intellectum oportet. Sic enim S. Doctor illos suggillat: Dicis, scriptum est in psal. 103: deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita ut non sint. Et in Isaia: Comburentur iniqui, & peccatores simul, & qui relinquunt Dominum consummabuntur. Et non intelligis, comminationem Dei interdum sonare Clementiam. Non enim dicit, eos æternis ignibus exurendos; sed a terra deficere, & iniquos esse cessare. Ex quibus quidem verbis promtum est intelligere, de pœnis hic agi, quas subinde minatur Deus in terra, ut a sempiternis mortales hic pœnitentes subtrahat: quod a peccatoribus in fide enutritis proclivius est obtinere, quam ab impiis, & infidelibus, qui fidem non habent.

24. Illud vero, quod ex commentariis in Isaiam excerpitur, non est expositu difficilius, nempe, quod nos debemus Dei solius scientiæ relinquere, cujus non solum misericordiæ, sed & tormenta in pondere sunt, & novit quem, quando, & quandiu debeat judicare. Id enim omne de peccatorum pœnis intelligitur generatim sumptis; non vero de Inferni pœnis, de quibus paulo ante dixerat: Qui prævaricati sunt in Domino, æternis tradentur ardoribus. Vermis autem, qui non morietur, & ignis, qui non extinguetur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torquet in suppliciis constitutos; ita dumtaxat, ut non negent prævaricatorum, & Dominum negantium æterna supplicia, dicente Domino in Evangelio: ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis ejus. Altera ex eodem commentario particula: Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, mixtam clementia arbitramur sententiam Judicis; commode aut de pœnis purgatorii intelligitur; aut, si velis, Inferni, ubi prævaricatores Christiani citra condignum plectuntur, minoribusque tormentis, quam Diabolus, & impii Deum negantes. Quod quidem Origeniano errori longe abest, ut faveat. De cætero S. Hieronymus Origeni sententiam contrariam sexcentis in locis palam docet. In eisdem comment. in Isai. cap. 5. in comment. in Jonam: in Apolog. prima contra Ruffinum. &c. Vidit id Petavius, qui Hieronymo in hac parte minus favet: dicit tamen, illum pugnantes sæpe invicem sententias variis in locis ponere consuevisse;

mi-

minus quidem, ut mihi videtur, graviter, & modeste, quam ut viro Theologo dignum erat.

25. Sociniani renovantes errorem Origenis argumentantur 1. Deo adscribendum non est, quod illius Justitiam dedecet, dedecet autem Dei Justitiam, quod peccans ob delictum in puncto commissum, etiam in cordis abscondito plectatur æternum. 2. quod in Scripturis *æternum* sæpe non nisi tempus longum duraturum significat, ut Genes. 17. Dabo tibi terram hanc in possessionem æternam. 3. quod in vita S. Gregorii a Joan. Diacono scripta lib. 2. cap. 44. refertur. Beatum Pontificem pro Trajano, qui in Inferno erat, auditum a Deo fuisse: quod idem de eodem pro Falconilla orante asserit S. Petr. Damianus in Serm. de suffrag. mort. Ad primum argumentum respondeo, primo, cum S. Aug. lib. 21. de Civit. Dei cap. 11. negando minorem. Nam nulla, inquit S. Doctor, nulla unquam Justitia, nec lex decrevit, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis, unde puniretur, admisit. Octo genus pœnarum in legibus esse scribit Tullius, Damnum, Vincula, Verbera, Talionem, Ignominiam, Exilium, Mortem, Servitutem. Quid eorum est, quod in breve tempus pro cujuscumque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum? Secundo ex S. Gregorio lib. 34. Moral. cap. 16. ubi: Justum est, ait, qui in suo æterno (animi affectu) contra Deum peccavit, in æterno Dei puniatur; at inquiunt, sine fine non debet puniri culpa cum fine. Justus nimirum est omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus respondemus, quod recte dicerent, si Judex justus, districtusque veniens non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim tunc cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Tertio cum S. Thoma 3. cont. Gent. cap. 144. Apud divinum judicium, dicit §. 4. voluntas pro facto computatur: quia sicut homines vident ea, quæ exterius aguntur, ita Deus inspicit hominum corda. Qui autem propter aliquod temporale bonum aversus est ab ultimo fine, qui in æternum possidetur; præposuit fruitionem temporalem illius boni temporalis æternæ fruitioni ultimi finis. Unde patet, quod multo magis voluisset in æternum illo bono temporali frui: ergo secundum divinum judicium ita puniri debet, ac si æternaliter peccasset, nulli enim dubium est, quod pro æterno peccato æterna pœna debeatur. Respondeo ad argumentum secundum. *Æternum* in Scripturis Sanctis nunc pro mora temporis finem habitura sumitur, nunc pro non terminabili. Alterutrum vero ex contextu ipso determinandum est: sic vita

æter-

æterna, ad quam Beati mittuntur, vita sine fine intelligitur, sic supplicium æternum illi respondens. Determinandum item ex Ecclesiæ judicio, & ex Traditione Patrum, juxta quos, attestante S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 44. Sicut finis non erit gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum. Ad tertium argumentum responsum est in lib. 14. prop. 5. n. 43. ubi de Sacrif. Missæ.

26. Age, Philosophos nostros & Inferno, & ejus æternitati contradicentes audiamus. Ajunt primo, Infernum a Sapientissimis Philosophorum derideri. Sic a Cicerone Tuscul. lib. 1. deridetur consessus theatri, in quo sunt mulierculæ & pueri, qui movetur audiens tam grande Carmen.

Adsum, atque advenio Acheronte, vix via alta, atque ardua,
Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,
Maximis: ubi rigida constat crassa caligo inferûm.

Ajunt secundo contra illius æternitatem: Si hæc admittenda est, quod culpa sit aversio a Deo infinito & æterno, cum Deus sit etiam infinite bonus, difficile creditu est, ob ejus solius offensionem æternum malum infligi, quasi in sui furoris victimis delectetur. Ajunt tertio: Pœnæ ad correctionem sunt institutæ; non ad hominum exterminium. Idcirco sapienter purgatorias eas credidit Plato: & quibuscum id Ministri destinati ad torquendum efficerent, quod Fullones cum pannis, quibus maculæ, ac sordes adhærescunt. Quemadmodum eum interpretatur Synesius in schola Platonis clarissimus. Istis vero ad primum, quod opponunt, dicimus, Ciceronem Infernum non irridere; sed illorum errorem, qui corpora cremata cum scirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quæ sine corporibus nec fieri possunt, neque intelligi. Animos enim per se ipsos non poterant mente compleri: formam aliquam, figuramque quærebant. Ex quibus verbis patet, non infernum, sed modum illius statuendi suggillare. Imo cum in errore ipso opinio communis appareat de Inferno, quæ a Marc. Tullio ipso in hac Tusculana quæst. *Vox naturæ credenda dicitur*, potius ex eo loco confirmatur infernus, quam dirimitur. Ad id, quod æternitatem appetit, dicimus: culpam esse aversionem a Deo, non utcumque, sed rerum ordinem præfiniente, in quo bonum universi consistit, ut ait cit. loco D. Thomas. Exigit autem hic ordo rerum, ut omnia proportionaliter divinitus dispensentur. Sicut autem præmia proportionaliter respondent actibus virtuosis; sic pœna peccatis; & quibusdam peccatis sempiterna. Quam infligere, ut debitus ordo servetur, illius sapientiam demonstrat. Accedit, Damna-

natum in inferno positum esse extra statum merendi, gratiaque & caritate carere, sine quibus ad frugem redire, est penitus impossibile.

27. Ad postremum arg. dicimus, pœnas esse ad correctionem institutas, non obstare, ne sempiternæ esse possint, ut inter probandum ex S. Aug. observatum est. Unde patet, nullius ponderis esse, quod ex Platone sumitur, pœnas damnatorum omnes esse debere purgatorias. Nam ut bene hic Div. Thom. Si quis concedat, omnes pœnas ad correctionem vitiorum induci, & non propter aliud; non tamen propter hoc ponere cogitur, omnes pœnas purgatorias, & terminabiles esse. Nam & secundum leges humanas aliquis morte punitur, non quidem ad emendationem sui, sed aliorum. Hinc est quod Prov. 19. dicitur: pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Nihil igitur prohibet, etiam si pœnæ non nisi ad emendationem morum adhibeantur, quin secundum divinum judicium aliqui debeant a societate bonorum perpetuo separari, & in æternum puniri, ut ex perpetuæ pœnæ timore homines peccare desistant. Nec alia ab hac nostra videtur fuisse sententia Platonis in Gorgia, ubi scelerati, ait, in Tartarum, unde in sempiternum non evadant, præcipitabuntur: ibi tormenta terribilia, atque æterna erunt. Potest quivis, non nego, contemptui habere, quod dico; ego vero post maturam discussionem, & considerationem nihil invenio conformius & sapientiæ, & rationi, & veritati. Hæc Plato, a quo sicut ea, quæ exscripsimus (forse melius de pœnis Purgatorii intelligenda) desumpsit, sic etiam id credendus est sumpsisse Virgilius Æneid. lib. 6.

. . . . Sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus.

Neque de his pessimis, & scelestis intelligenda est Synesii pulchra comparatio, sed de his, qui levius maculati e vivis excesserunt. Et tantum de æterna Dæmonum, & Damnatorum pœna apud Inferos.

COROLLARIUM I.

28. Cum Dæmonum, ac Damnatorum supplicium fore dixerimus sempiternum, superest investigandum, an utrique eo crucientur ante ultimum Judicii diem. Eoque cruciari Damnatos, veritas catholica est, de qua dubitare non licet post Concil. Florentinum, quod in decreto fidei ita decernit: eos, qui in peccato læthali sive proprio, sive originali decesserint, e vestigio ad Inferna descendere: ibique pœnas, licet inæquales, pendere. At cum neque in hoc, nec in alio Concilio super hac re de Dæmonibus quidquam decernatur; ac præterea variæ sint Patrum sententiæ, & judicia; his tormentis gehennalibus Dæmones ab defectione sua addicentibus, aliis eos reservantibus ad extremum judicium, quid de hac re probabilius dici possit, videndum est.

29. Patrum vero sententiæ variæ, & Ecclesiæ non interpositum judicium ex eo derivare videntur, quod Sac. Scriptura loquens de Diabolo, & Dæmonibus diversimode rem in medio relinquit disputationi. Petri enim Epist. 2. cap 2. dicitur: Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit, in æternum judicium reservari. Judæ Canonica v. 6. Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit. Pauli ad Ephes. cap. 6. v. 12. Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus, quo cap. antea dixerat: adversus insidias Diaboli, & cap. 2. v. 2. & vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum Principem potestatis aeris hujus, Spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. Et tandem Matth. cap 25. Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Hæ quidem sacræ sententiæ, quæ rebelles Angelos nunc in tartarum trudere, & sub caligine reservare ad magni Diei judicium videntur; nunc in aere hominibus insidiantes tanquam potestatem habentes aeris hujus; nunc denique eos repræsentare, ut ad ignem mittendos, ipsis a mundi constitutione præparatum; si commode concilientur, lumen afferent disquisitioni huic maximum, & sententiæ inter Theologos communi, omnes pœnis addictos a principio esse judicanti, non leve erit operæ pretium.

30. Huic vero rei non video, quod adduci aut opportunius, aut cordatius possit, quam triplex illa distinctio condemnationis, quam po-

ponit Estius in 2. dist. 6. §. 14. contra Diabolum, & ejus Angelos. Prima, qua damnatus est initio ab admisso peccato: secunda, qua a Christi Salvatoris adventu; tertia, qua damnabitur ab eodem in ultimo universali, & manifesto judicio. Jam de damnatione prima locus intelligendus est Epist. 2. Petri, ubi detracti ad tartarum dicuntur peccantes Angeli. Quemadmodum Eusebius intellexit de Præpar. Evang. lib. 5. & item 7. inquiens: innumerabile est aliud genus illi subjectum, iisdem delictis obnoxium; quod propter impietatem a priorum sorte excidens, splendente, ac diviniore, quo dudum circumdatum erat, ornatu & honoris gradu, quem in Regio palatio sortitum erat, ac vita illa, quam inter beatos Angelorum Choros degebat, consentaneum impiis domicilium, & Tartari habitationem, ac tenebras nequaquam nostrarum similes; sed cujusmodi sacræ litteræ significant, permutare compulsum est justo magni Dei judicio, ac sententia. Quorum perexigua particula ad athletarum pietatis exercitium circa terram, & sublunarem aerem relicta superstitiosi illius erroris, qui deorum multitudinem adsciscit, causam hominibus attulit. In quibus verbis Eusebius non obscure innuit, quos Paulus ad Ephes. 6. dicit potestates, Rectores tenebrarum harum, & spiritualia nequitiæ in cœlestibus, seu in aere, ut exponit Hieronymus.

31. Hanc eandem primam condemnationem respexit S. Thomas part. 1. q 65. art. 4. ubi cum Angelos secundum suam naturam medios inter Deum, & homines exhibuisset; bonosque æque, ac malos ex divina providentia ad nostri utilitatem procurandam; per illos directe, indirecte per istos, sic pergit: Dæmonibus duplex locus pœnalis debetur: unus quidem ratione suæ culpæ, & hic est Infernus: alius autem ratione exercitationis humanæ, & sic debetur eis caliginosus aer. Procuratio autem salutis humanæ protenditur usque ad diem judicii .... sed post diem judicii omnes mali, tam homines quam Angeli, in Inferno erunt. Eandem itidem condemnationem SS. Patres respexerunt videndi in locis, quos cito. S. Ambrosius in 8. cap. S. Lucæ, ubi de legione Dæmonum agitur. Hieronym. in Isai. 14. ad illud: Infernus subterte conturbatus est. S Aug. de Civit. lib. 21. cap. 3. Nazianzenus in orat. in S. Cyprianum. Chrisostomus Homil. 24. in Matth. Cyrillus lib. 6. contr. Julian. S. Gregor. Dialog. lib. 4. cap. 28. Beda in comment. Epist. Jacobi cap. 3. aliique apud Petavium.

32. De secunda condemnatione in Christi Salvatoris adventu locus intelligendus est Matth. cap. 4. Venisti ante tempus torquere nos; atque ille Joan. 12. Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Ex quibus verbis facile deducitur, magnam spirituum nequissimorum partem,

qui per orbem totum debacchabantur tyrannice, ad tartara fuisse ammandatam: cujus rei fidem faciunt & oracula aut penitus, aut magnam partem obmutescentia, (super qua re adeundi Murga, & Baltus) rara post Evangelium promulgatum corpora a Dæmonibus obsessa: ac rarissima, aut nulla potius maleficia in regionibus, in quibus assidua erant, post Christum prædicatum, ac præstigia, quæ infidelium tractus horrore complebant, prorsus dispersa, ut Sole Oriente tenebræ dispelluntur; quod ex historicis monumentis docemur, maxime vero ex his, quæ res describunt utriusque Indiæ, Orientalis, & Occiduæ.

33. De tertia tandem condemnatione illud intelligendum est Matth. 25. Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus, & illud 1. Corinth. cap. 6. Nescitis, quoniam Angelos judicabimus? Eam etiam tantum præ oculis habuit S. Justinus quum in prima, & secunda Apologia Dæmones, ait, igni sempiterno tradendos; nondum tamen traditos (nempe, omnes omnino). Eam habuit S. Irenæus lib. 5. contra hæreses: eam Œcumenius in cap. ultim. 1. Petri, & Epiphanius in hæresi Sethianorum. Imo illi ipsi Patres, quos pro damnatione Sathanæ, & suorum Angelorum a sua rebellione excitavimus, hanc tertiam sæpe in suis scriptis respexisse videntur. Eusebius lib. 5. Histor. cap. 17. Ambrosius in Comment. cap. 8. Lucæ, Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, qui omnes proculdubio eum tenuerunt sensum, quem tenet Sancta Mater Ecclesia, a qua, inter exorcizandum eum, qui Baptismo lavandus est, hæc Diabolo verba fulminat: Nec te lateat, imminere tibi pœnas, tormenta, diem judicii, diem supplicii æterni, qui venturus est velut Clibanus ardens, in quo tibi, & universis Angelis tuis æternus veniet interitus. Et ideo pro tua nequitia damnate, & damnande, (nota) da honorem Deo: appropinquabit enim judicium Dei. Quibus in verbis primam vides, & ultimam damnationem exprimi: quemadmodum etiam eas exprimit M. Gregorius lib. 4. moral. cap. 16. Antiquus, inquiens, hostis suæ nequitiæ vinculis adstrictus aliud est, quod nunc patitur; aliud, quod in fine patietur. Patiuntur nunc, ait Bellarminus, pœnam damni, & sensus; sed a die judicii multo erunt miseriores, utpote complementum habituri miseriæ suæ accessione aliarum pœnarum: quales hæ sunt: Confusio, quæ superbissimis erit maxima, ex manifestatione nequitiæ eorum universo mundo, & ex vilitate, & contemptu, quæ in eos redundabunt, confusi & vinculis eisdem æternis sub caligine reservati, quibus damnati omnes, ipsis vilissimi & contemptibiles. Damnatio, quæ non a Judice Deo solo proficiscetur, sed a SS. etiam hominibus, eaque publica, & irrevocabilis. Terminus tandem potestatis illis concessæ probandi electos, &,

quod

quod in illis erat, nocendi totis viribus. Hoc autem pœnarum complementum adeo nequam ii spiritus timent, ut nulla alia detorqueri acerbius videantur, quam commemoratione extremi judicii: unde exorcismi sic terminant fere omnes: Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

34. Si quæras, quomodo spiritus isti juxta dicta torqueantur ante judicii diem, respondeo primum: plurimam eorum partem nunc in Tartaro cruciari, ut ex Eusebii loco de Præpar. Evang. citato didicimus, aut inde nunquam excessuri, aut alterni in malo Electis athletis procurando vires posituri, quod sponte videtur descendere ex illo Lucæ 8. ubi ab eis Dominus exoratur, ne mittantur in abyssum, & Matth. 8. ut in porcos mitterentur. Tunc vero licet de omnibus dici non posset in Inferno torqueri, de majori certe parte posset. Resp. 2. cum S. Thom. 1. p. q. 65. art. 4. quod sicut locus cœlestis pertinet ad gloriam Angelorum; tamen gloria eorum non minuitur, cum ad nos veniunt, quia considerant illum locum esse suum, eo modo, quo dicimus, honorem Episcopi non minui, dum actu non sedet in cathedra; similiter dicendum est, quod Dæmones, licet non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in aere isto caliginoso; tamen ex eo ipso, quod sciunt, illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur. Unde dicitur in quadam Glossa, quod portant secum ignem Inferni, quocumque vadant. Quod videtur idem S. Doctor ibi ad primum explicuisse respondens: quod locus non est pœnalis Angelo, aut animæ, quasi afficiens, alterando naturam, sed quasi afficiens, voluntatem contristando. Sic mancipium ex ergastulo egrediens, eo rediturum ad mandata domini exequenda, sua infami sorte, quasi eum graviter opprimente mole, non intermisse gravatur, & angitur.

35. Ex quibus omnibus, quamvis Theologorum communi sententia, *Dæmones* scilicet, *sicut & animas impiorum nunc torqueri*, mirum in modum stabiliatur, non propterea sententia id negans graviori censura notanda est. Itaque opinio Cajetani, *Dæmones servatos*, vel *servandos*, ajentis in Comment. ad secundum, ep. Petri, *in judicium, quia non sunt adhuc extremæ damnationi subjecti, sed hoc extremo judicio reservatur:* si ita intelligatur, ut Sanctorum dicta de hoc argumento cum probatissimis Theologis intelligimus, nihil affert communi opinioni repugnans: si vero author intendat, nullam modo pœnam sentire Dæmones, laudandus non est equidem, ut ait Petavius. At si intendat, præter visionis beatæ privationem, quæ prima, & sempiterna illorum pœna est, cruciatus etiam, & dolores perpeti, sed multo eis sæveriores & crudeliores post judicium esse passuros, ac tunc

igni-

ignibus esse adjudicandos vel omnes, vel eos certe, qui nunc per aera spatiantur, non video, cur hæc opinio rejici, ac damnari debeat.

COROLLARIUM II.

36. Sicut duratio pœnæ gehennalis, quæ *correspondet aversioni a Deo*, est æterna; ita quantitatem ejus, quæ *conversioni ad creaturam respondet*, commensuratam ex æquo delicto esse videtur probabilius. Id enim colligitur ex Apocal. 8. v. 7. ubi dicitur: quantum glorificavit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum. Ex Roman. 2. v 6. reddet (Deus) unicuique secundum opera sua. Ex Matth. 5. v. 26. ubi is, qui in carcerem missus est a Domino suo, non exiturus inde dicitur, donec reddat novissimum quadrantem. Et ex Jacob. tandem 2. v. 13. Judicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. Quæ omnia non pœnam infernam citra condignum, sed ex æquo, & ad condignum sonant certissime. Et quidem de pœna minui, cum de culpa nihil tollitur, non videtur Justitiæ Dei conveniens. In damnatis vero, qui pœnitentiæ non sunt capaces, nihil de culpa tollitur, quæ solum per pœnitentiam remittitur. Deinde remissioni requiritur meritum Christi, cujus damnati, & dœmones partem non habent.

37. Accedit judicium S. Augustini, qui super Ps. 105. referens sententiam oppositam, ait: Nisi forte quis audeat dicere, etiam his, qui damnantur cum diabolo, & angelis ejus, aliquam misericordiam Dei non defuturam: non quia ex illa damnatione liberentur, sed ut eis aliquatenus mitigetur. Et lib. de Civit. 21. cap. 24. eandem opinionem ponens, concludit: quod quidem non ideo confirmo, quoniam non resisto. Qui uterque loquendi modus clare, ut videtur, ostendit, minus Augustinum probare, damnatos citra condignum puniri. S. item Thomas cum fere eandem loquendi rationem tenuerit, pro nostra stare, non temere dici potest. Quæst. enim 99. supplem. art. 2. ad primum: Tamen, ait, potest dici, quod etiam in eis (damnatis) misericordia locum habet, in quantum citra condignum puniuntur. Et quæst. ejusdem supplem. 94. art. 2. ad secundum: Non quod damnatorum Deus misereatur, inquit, nisi forte puniendo citra condignum. *Forte* autem, & *dici potest* expressiones sunt animi dubitantis, & minime securi, ac certi. Quid? quod potuit S. Doctor illa particula *citra condignum*, significare, non annihilationem peccatoris, cum ibi ad 6. arg. dicat, peccatum, utpote contra Deum authorem ipsius esse mereri, ut peccator redigatur in nihilum. In quo sensu

non

non negabimus, damnatos citra condignum apud inferos torqueri.

38. Clarius nostræ sententiæ favet S. Hieronymus, qui in fine lib. 2. super Ezechiel. ait: Peccatoribus reddit Deus juxta vias suas, ut teneat judicii veritatem. Cæterum in Sanctis excedit modum clementiæ. Quibus verbis non solum pœnam inflictam malis ex æquo confirmat, sed etiam argumentum præoccupat, quod a pari fieri potest in bonis. Hieronymique authoritati ratio adstipulatur, & Scriptura Sancta, & pontificia decisio. Prima, quia quod electi ultra dignum remunerantur, ex passionis Christi efficitur virtute, quæ ad damnatos minime extenditur, ut dictum est. Secunda in Luc. 6. v. 38. sic loquitur: Date, & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Tandem S. Pius V. inter articulos Baii hunc ordine 14. condemnavit: Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi majorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere: ergo majorem mercedem accipient. Quod ut sententiam confirmat Hieronymi in hac bonorum parte, ita in malorum nihil derogat, maxime ab eo stante & Scriptura, & ratione.

COROLLARIUM III.

39. Altera impugnanda est sententia quorumdam Veterum Theologorum, qui mitigari interdum, ac intermitti damnatorum pœnas opinati sunt, utpote carens omni probabilitate. Sic Diviti Epuloni petenti, Luc. 16., a patre Abrahamo levissimum refrigerium, id tantum responsum est: Recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Quasi diceret: in his cruciatibus non est levamen, ne quidem exiguum. Et Apocal. 14. v. 11. Et fumus, dicitur, eorum tormentorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die, ac nocte, qui adoraverunt bestiam. Et quidem levamen esse aliud non potest, quam pœnæ damni, aut sensus intermissio. Prima, quæ potissima Inferni est, nunquam intermittitur, aut remittitur. Secunda nec item: si enim nihil minuitur de culpa, non est, cur quidquam de pœna minuatur: in damnatis autem nihil minuitur de culpa. Cum vero Deus nihil extra ordinem linquat, & culpa non nisi per pœnam ei respondentem ordinetur, pœnam semper in eodem statu manere dicendum est.

40. Hinc fit, ut nec a vivis hominibus, nec ab Ecclesia pro damnatis oratio fiat, neque vero fieri possit, ut levamen aliquod in pœnis habeant. Quod videlicet vivorum officia, ac suffragia eatenus mortuis prodesse possunt, quatenus membra sunt ejusdem Corporis Chri-

sti

sti mystici, atque adeo capacia misericordiæ percipiendæ per Christi merita, & item fructus Passionis illius. Tales vero sunt animæ in Purgatorio loco existentes; non illæ, quæ in inferis cruciantur.

41. Contra vero objici potest primo, discrimen aliquod admittendum est inter eos, qui misericordiæ dant operam, & inter eos, qui nullam, etiam apud inferos. Sicut enim Jacob. 2. dicitur Judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam; sic Matth. 5. v. 7. Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur: & Ecclesiastici 3. v. 33. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Atque in extremo judicio ex eis operibus electi a præscitis discriminandi sunt. Secundo objicitur Prudentius, qui in Hymno ad incensum hæc canit:

Sunt & Spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub Styge feriæ:
Illa nocte (sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheruntiis &c.)
Marcent suppliciis Tartara mitibus,
Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus:
Nec fervent solido flumina sulphure.

Item Chrysostomus hom. 3. in 2. ad Thesalon., hom. 4. in 1. ad Timot., & in lib. 1. ad Thelap. Objiciuntuur tertio quædam Missalia Gellonensis Abbatiæ in Occitania (apud Mabillonium de Actis Ss. Ord. S. Benedicti) in quibus orationes leguntur pro damnatis, *ut si ob gravitatem criminum non merentur surgere ad gloriam, per hæc sacræ oblationis libamina, vel tolerabilia fiant ipsis tormenta*. Ac tandem objicitur revelatio, nescio quæ, facta Macario: esse damnatis suffragia per utilia ad mitigandas eorum pœnas.

42. Ad primam objectionem respondeo cum B. Th. q. 99. suppl. art. 5. ad 1. Illi misericordiam consequentur, qui misericordiam ordinate impendunt. Non autem misericordiam ordinate impendunt, qui se ipsos in miserendo negligunt, sed magis se impugnant male agendo; & ideo misericordiam non consequentur, nisi de pœnis aliquid relaxantem. Quasi diceret, non ad supplicia æque gravia eis destinatis, qui in vita fecere misericordiam, ac eis, qui nullam fecere. Ad textum Eccl. dico: Eleemosynam resistere peccatis. 1. si cætera non omittantur, pœnitentia, charitas, fides, quo sensu Daniel dixit Regi: peccata tua eleemosynis redime. 2. quia si eleemosyna debito modo fiat, ex Dei amore, hominem disponit ad remissionem peccatorum, etiam lethalium. 3. quia cum sit satisfactoria, a pœnis libe-

berat, quæ sæpe nomine peccati veniunt. 4. quia retrahit a peccatis, gratiam, & auxilia divina promerens misericordi. 5. quia preces pauperum, quibus fit, facienti interdum obtinent veram animi conversionem, ac resipiscentiam. De cætero & horum textum, & extremæ judicis sententiæ, in qua tanti habetur misericordia, Interpres nobis est sine exceptione S. Paulus 1. Corinth. cap. 13. v. 3. ubi ait: si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas .... Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Unde constat, rem summi momenti esse eleemosynam his, qui charitate præditi eam colunt, & majoris eis; qui, ea facta, in charitate moriuntur: his vero, qui impœnitentes in peccato moriuntur, nihil prodesse juxta Apostolum: aut prodesse ad summum, ne ad acerbiores pœnas damnentur; in Inferno autem positis ad terminandam, aut mitigandam miseriam, omnino nihil, ut in principio statutum fuit ex sacris Scripturis, congruisque momentis.

43. Ad secundum, quod ex Prudentio objicitur, sunt qui respondent, de animabus ab eo sermonem fieri in Purgatorio patientibus. At ego non video, qui possit animabus sanctis aptari illud, *Spiritibus sæpe nocentibus*, & illud *tenebrarum populus;* & loco expiationis *Tartara*. Suum igitur judicium cuique relinquo, & energicam, & plenam æstro poetico Stropham do potius ardori Apollineo, qui in elegantissimo, piissimoque Poeta subinde se prodit. Super objectis vero ex S. Chrysostomo, ex Missalibus Monachorum, & ex revelatione Macariana, lectorem studiosum, ne actum agere videar, mitto ad lib. 14. prop. 5. n. 40., ubi omnibus, data opera, fusius responsum est.

COROLLARIUM IV.

44. Superest, ut *de verme, qui non moritur, & de igne, qui non extinguitur* apud Matth. 9. & qui uterque pœna & Dæmonum, & damnatorum est, pauca dicamus. Ignem enim cruciantem sicut non omnes uno modo intelligunt; ita & vermem. De igne investigandum se offert, an corporeus sit, & si talis, quo modo in spiritus agat? Esse vero illum corporeum cum S. Augustino de Civit. Dei l. 21, & Gregor. M. l. 4. Dialog. tenet communis sententia Thelogorum, cum ignis idem hic sit, qui corpora postea usturus est. De modo, quo is in spiritus sæviat, decidere datum non est, at eum, qui videtur satis congruens ad rem difficilem explicandam, dedimus ex S. Thoma in prop. 2. hujus lib. a n. 27.

45. De verme autem, qui cum igne conjungitur, præterquam in citato Matthæi capite, cap. Judith. 16. Eccli. cap. 7. & Isai. 66. dubitatur, an, quantum pertinet ad damnatos, is corporeus, an spiritualis

sit, & tropicus? Id ipsum tempore S. Augustini in disputationem veniebat, quam cum aliorum sententia proponit lib. 20. de Civitate, neque suam dissimulat. In pœnis, ait, malorum inextinguibilis ignis, & vivacissimus vermis ab aliis, atque aliis aliter, atque aliter est expositus. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad animum retulerunt, alii proprie ad corpus ignem, tropice ad animam vermem, quod credibilius esse videtur. Idem videtur S. Hieron. in cap. 66. Isaiæ; idem S. Ambrosio lib. 7. in cap. 14. Lucæ, ubi inquit: Vermis est, eo quod irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensumque compungunt, & quædam exedunt viscera conscientiæ, quæ tanquam vermis ex unoquoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris. Idem tandem videtur S. Thomæ in 4. contta Gent. cap. 90., sive is vermis ad corpus referatur, sive ad animam, ubi exponens citatum Isaiæ caput, sic loquitur: potest enim per vermem intelligi conscientiæ remorsus, quo etiam impii torquebantur. Non enim est possibile, quod corporeus vermis spiritualem corrodat substantiam, neque etiam corpora damnatorum, quæ incorruptibilia erunt. Quamquam etiam ad corpora pertinere illius morsus dici possit, ut ipse S. Doctor in cit. Supplem. art. 2. ad 2. ait, secundum quod passiones animæ redundant in corpus & hic, & in futurum. Enimvero nihil hic communius est, quam conscientiæ remorsus *Vermem* nominare, maciemque vultus, & turbatos tristitia oculos internam inquietudinem, & quasi febrem animi oculis spectantium objicere. Quid vero & in animo, & in corpore damnatorum non faciet morsus hic rabidus, & nunquam intermittendus? Sane præ tormento isto leves forent vermium morsus, miraculoque opus esset, ut hi in flammis voracibus diu viverent, cum insecta, qualiacumque ea sint, in igne conservari non possint naturaliter, de qua re videndus est Bomarius in suo Dictionario physico ad verbum *Salamandra*. Et hæc habui, quæ dicerem de Dæmonibus, & Damnatis, deque infernarum pœnarum acerbitate, & æternitate.

PRO-

PROPOSITIO V.

Angeli, ac animæ humanæ ab omni labe puræ, viso facie ad faciem Deo & nunc sunt beatæ, & erunt in æternum.

1. PRopositio hæc tria habet quasi membra, omnia ad fidem pertinentia, & quæ ordine confirmanda sunt. Primum visione intuitiva constare essentialem Beatitudinem. Secundum Angelos a sua conversione in Deum, & animas, quæ corpora exuunt mortalia, omni labe puras, aut cum a labe omni purgatæ sunt, frui divina hac beatitudine. Tertium fruituras eadem in æternum. Et a Beatitudine incipiens, quæ Dei unione continetur, priusquam ei parti probandæ me accingo, argumentum exponendum est. Beatitudo enim, quæ a Boetio definitur *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, & a S. Augustino in Ps. 2. bonorum omnium summa, & cumulus, cum duplici ex re constituatur, ex objecto nempe, cujus possessione beamur, & ex actu, quo objectum veluti complectimur, & possidemus, dicitur sub hac duplici consideratione & *objectiva*, & *Formalis*. Objectiva quoque, cum in duplici differentia esse possit & *Naturalis*, summum scilicet bonum viribus naturæ obtentum, & *Supernaturalis*, idem bonum obtentum viribus gratiæ, de hac postrema nobis agendum sumimus. Et in hoc summo Bono, quod objectum, dum ab eo peregrinamur, nostrorum desideriorum est, & quod eorum, qui in patria sunt, felicitatem efficit, Beatitudinem essentialem collocamus, quod quidem Bonum, cum Deus sit, & non aliud a Deo, eo beemur essentialiter necesse est.

2. Id autem sic probo primo ex exclusione bonorum omnium, & divisim, & collective sumptorum, quibus plerumque homines deludimur. Ea omnia septem esse dicit S. Th. 1. 2. q. 2., nempe divitiæ, honor, nobilitas, potestas, bona corporis, voluptas, & animæ bona, omniaque per articulos totidem a beando finaliter hominem removet. *Quia divitiæ*, primum inquit, aut sunt naturales, hæque ordinantur ad subventionem naturalium illius defectuum, & ad vitæ usus, uti cibus, potus, lana, herbæ &c. aut sunt artificiales, ut divitiæ, quæ *ex se* ordinantur ad naturales & comparandas, & conservandas, & *ex vitio* eas habentis ad luxum, & morum corruptionem: in quibus propterea Salomon, qui supergressus est opibus omnes, qui ante eum fuerant in Jerusalem, (*Eccl.* 2. *v.* 9.) non vidit nisi vanitatem, & afflictionem animi. Adeo abest longe, ut in illis inveniatur vera beatitudo. Non item hanc dat *Honor*. Honor enim præstatur homini in signum, & testimonium excellentiæ: non est hic igitur excellentia,

quæ in Beatitate maxime attenditur. Si dicis, honorem virtutis esse præmium, respondet S. Doctor, honor non est præmium virtutis, propter quod virtuosi operantur, sed accipiunt honorem ab hominibus loco præmii, quasi non habentibus ad dandum majus. Verum autem præmium virtutis est ipsa beatitudo, propter quam virtuosi operantur. Si autem propter honorem operarentur, jam non esset virtus, sed magis ambitio. Unde fit, ut eos, quos sigillatos Deus habet ad summa hæc præmia, non plerumque honoribus humanis afficiat, sed contemptu sæpissime, & ignominia. *Fama* etiam beato faciendo inepta est. Hæc enim est notitia clara, ait ipse, quæ de aliquo cum laude habetur. Notitia vero ista, & laus, si vera est, excellentiam non dat, sed supponit. Excellentia autem vera omnino in Deo dumtaxat est, & in ejus cognitione: si falsa, nec dat, nec supponit, sed illam mentitur. Quod idem de *Nobilitate* dicit, quæ species quædam est gloriæ; & quæ ideo *nobilem*, seu dignum, qui noscatur, habentem reddit, quod aut ipse, aut sui majores excellentia in re quadam viguerint. Jam *Potestas* facere beatum non potest: cum potestate abuti homo possit, beatitudine non possit. Ac dein potestas multis indigeat, ut digne sustineatur; exterius nempe, satellitio, militibus, divitiis &c. interius sollicitudine, prudentia, fortitudine, justitia; & plerumque formidini, periculis, contrarietatibus obnoxia est. Beatitudo autem perfectum bonum est, nulli malo obnoxium. Propter eandem rationem beatum non faciunt *bona corporis*, quæ & sunt instabilia, & in quorum aliquibus a bestiis stupidis vincimur. Illa item ad conservationem hominis ordinantur, suntque propter animam, eique velut organa inserviunt; homo vero, qui ex corpore, & anima constat, suus ultimus finis non est; multo igitur minus ejus pars ignobilior, qualis corpus est, quibuscumque instruatur bonis, ultimus finis ipsius erit. Erit forte *Voluptas*? Neque ista quidem. Voluptas enim sequitur Beatitudinem, non constituit. Corporalis vero a bonis corporis derivatur, quam ineptam esse, ut beatum faciant, dictum est modo. Erunt saltem *animæ bona*? Neque item: anima enim, & ejus potentiæ beatæ existunt adeptione summi boni: huic autem adeptioni perfici debet viribus supernaturalibus, quibus instructa per actum suum (de quo postea) Deo fruitur, eam beatificante: non igitur ipsa sibi sua essentialis beatitudo est.

3. Superest horum omnium bonorum cumulus, & eorum, quæ possibilia sunt, aut mente cogitabilia; quæ omnia probo secundo cum eodem S. Th. art. 8., Beatum facere neminem omnino posse. Nihil enim, quod non perfecte appetitum beandi satiet, eum beatum valet reddere; sed bona omnia creata, collectim etiam sumpta, adæquate, & perfecte satiando beandi appetitui infirma sunt. Id probo pri-

primo. Pone enim hominem circumquaque bonis omnis generis affluentem; immo securum de eorum possessione non finitura; quietus hic omnino non erit: quippe cum in omnibus illis non inveniat summum bonum, quod Deus est, & quem naturaliter avet, utpote capax illius, & ad eum ordinatus. Qui avet, & appetit aliquid, ad quod ordinatus est, & cujus est capax, carens illo, beatus esse non potest: ergo. Secundo. Tota rerum, & bonorum collectio, quæ sunt, & possunt esse, & excogitari, non sunt primum principium hominis: ergo nec ultimus finis. Quomodo enim erunt hominis primum principium, quæ principium sui non sunt?

4. Ergo solus Deus est & hominis, & Angeli perfecta, & adæquata Beatitudo. Quod sic probo: Solus Deus habet bonitatem omnimodam sibi propriam, & non ab alio participatam; at sicut universale verum est objectum intellectus, ita universale bonum voluntatis, sive humani appetitus objectum est: ergo non in aliis a Deo, a quo omnia suam bonitatem habent, & eam quidem limitatam, voluntas suum objectum satiativum invenit: ergo in solo Deo, qui omne bonum est, & omnium bonorum & principium, & finis. Id viderat Moyses, cum Exod. 33. ad Deum clamabat: Ostende mihi gloriam tuam. Cui a Deo responsum est: Ego ostendam omne bonum tibi. Id viderat David, qui Ps. 16. Satiabor, inquit, cum apparuerit gloria tua. Id Deus ipse de se dicit Apocal. 1. Ego sum Alpha, & Omega primus, & novissimus, principium, & finis. Quibus ex S. Patribus, & aliis sapientibus addere, minus est necesse.

5. Alterum propositionis membrum, nempe, Angelos, & spiritus hominum ab omni labe puros, Deo clare viso, jam nunc beari, sic probo primo. De Angelis dicitur Matth. 18. v. 10. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris. Et de hominibus hac ratione ex D. Thom. 1. p. q. 62. art. 5. Anima hominis, & Angelus æque ad Beatitudinem ordinantur: ergo si anima a corpore separata nullum habet impedimentum, statim, sicut ille beatur. Sicut enim Angelus ordinatus est ad utramque sui perfectionem naturalem, & supernaturalem, ita & homo. Accedit & hoc, quod Sancti nullum habent impedimentum vitæ æternæ: ergo aut nunc ea frui debent, aut nunquam ea fruituri sunt: cum novis meritis post hujus vitæ curriculum non sit locus. Deinde: Deus non est ad puniendum promptior, quam ad remunerandum. Impii a puncto mortis infernis cruciatibus adducuntur, ut modo diximus: pii ergo, & Sancti cœlesti beatitudine donantur.

6. Sancta mater Ecclesia eam veritatem expresse confirmat in oratione: *Deus, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contulisti* &c. Et in duobus Conciliis Œcumenicis, Florentino in sess. ulti-

ultima, & Tridentino sess. 25. Eam item duo Summi Pontifices definiunt, Innoc. III. cap. Apostolicam: Extrav. de Presbytero non baptizato, & Benedic. XII. in Extrav. quæ incipit: Benedictus Deus, videnda apud Alphonsum de Castro lib. 3. contra hæres. V. *Beatitudo*. Hæ autem decisiones & Conciliorum, & Pontificum in Verbo scripto in sacris libris, & Traditione Patrum Latinorum, & Græcorum firmatæ sunt. Horum sententias in hoc dogma convenientes ad verbum scribit Bellarminus lib. 2. de Sanctorum Beatitudine, apud quem videri possunt. Eorumque concordia lumen affert plurimum testimoniis scripturarum. Primum sumitur ex Epist. 2. ad Corinth. cap. 5. ubi hæc Apostolus. Scimus enim, quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvitur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam & qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur, quod mortale est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Deum. Quæ ultima verba, sententiam quodammodo metaphoris involutam, plane explicant; corpus enim, quod alibi carcerem nominat, hic habitationem, in qua peregrinatur a Domino, relinquere Paulus desiderat, ut præsens sit ad Deum, & ut anima, quæ hic per corpus supervestitur, a gloria supervestiatur. Idque ipsum sine tropo dixerat Philip. 2. Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Secundum sumitur ex illo Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiso. Paradisus vero hic non erat Hortus ille Eden, in quo constitutus est primus Homo; quem in terra jam non esse, aquisque Diluvii periisse, communis est sententia: ergo Gloria beatorum erat, cujus ille hortus figura fuit: Paradisus scilicet, in quem raptum se dicit Apost. 2. ad Corint. 12., & quam paulo ante vocaverat tertium Cœlum, stellato superius, quod Empyreum est. Tertium sumitur ex Epist. ad Ephes. cap. 4. Christus ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. Quam captivitatem, nisi Patres, & quasi captivi tenebantur in Limbo? Et quod altum, nisi Cœlum, quod Regia est Dei? juxta illud Isai. 66. Cœlum mihi sedes est. Licet autem Deus ubique sit per suam immensitatem, & ubique visus videntem beet; Cœlum, ut eleganter scribit S. Cyrillus catech. 9., velum est Deitatis, quæ existentibus extra, absconditur, illudque comparat velo Sanctuarii, quod Arcam videri impediebat. Certe de Angelis etiam illis, qui costodiæ

hic

hic parvulorum invigilant, a Domino dictum non est, videri in terra faciem Patris, sed in Cœlis semper ab illis videri. Quartum sumitur ex lib. Act. cap. 7. ubi Stephanus moriturus vidisse, dicitur, Cœlos apertos, & Jesum stantem a dextris virtutis Dei. Ergo videbat Cœlum sibi patere, ubi gloria, ac divina visione frueretur. Id enim clamor ille, confidentiæ plenus innuit: Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Alia Scripturæ testimonia, subobscuriora quidem, sed quæ ex citatis locis, & ex Patrum traditione, veluti face quadam illustrantur, dabit Bellarminus in hoc libro.

7. Tertium propositionis membrum, spiritus Deum clare intuentes *æternum* fore beatos, probo primo ex Symbolo, in quo profitemur *Vitam æternam*. Deinde ex Sap. 5. v. 26. Justi autem in perpetuum vivent. Ex Ps. 83. v. 5. Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, & clarius, ac sine figura ex Matth. 25. Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam. Idem probatur ex Patribus, qui in Conciliis generalibus, & provincialibus, præsertim in Toletanis, eam beatitudinis æternitatem profitentur in fidei confessione. Et ex S. Augustino, ut alios taceam, lib. 13. de Trinit. cap. 8. Nullo igitur modo esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna. Quid enim illa beatitudine falsius, (scribit idem de Civit. lib. 12. cap. 20) atque fallacius, ubi nos futuros miseros, aut in tanta veritatis luce nesciamus, aut in summa felicitatis arce timeamus? &c. In libroque de Correp. & grat., & de vita beata in disp. primæ diei, Beatum non esse, statuit, qui timet, ne amittat, quod possidet. Unde ex duabus rationibus S. Thomæ hic art. 4. prior sumitur, eaque efficacissima. Cum enim Beatitudo sit bonum perfectum, ac sufficiens, oportet, ut se ipsa beatum satiet, ac quietet. Sicut enim homo naturaliter desiderat bonum retinere, quo gaudet, ita tristatur, & affligitur de ejusdem retentione non securus. Necessarium igitur est Beato, ut certam opinionem habeat de non amittendo bono, quo fruitur. Hæc autem opinio, si vera est, certum sibi est, Beatitudinem a se nunquam esse amittendam. Sed fac, illam falsam esse: ecce quoddam malum statui suo admiscetur. Falsum enim malum est intellectus, sicut non bonum malum voluntatis. Non igitur beatus erit. Complexio etenim omnis boni non est status, cui malum aliquod inest. Si dixeris, id posse a beato ignorari; hæc eadem ignorantia malum est, & argnmentum eadem efficacitate recrudescit. Secunda ratio D. Thomæ est talis. Divina Essentia clare visa, ex qua Beatitudo existit, impossibile reddit desiderium illius non videndæ. Omne enim bonum habitum, quo carere velis, aut insufficiens tibi est, cujus loco aliud velles sufficientius, aut incommodum aliquod habet, quo carere optares. Sed nihil horum cade-

dere in visionem potest divinam, cumulum omnis boni, scaturiginique conjungentem ipsius bonitatis. Unde illud Sap. 7. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & illud Ps. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua: ergo Beatus non potest Beatitatem propria voluntate deserere. At ex Dei voluntate eam perdere poterit. Minime. (si de potentia ordinaria loquamur, ut loqui oportet.) Si enim illam beato Deus adimeret, id in pœnam foret pro culpa ab illo admissa. At in culpam cadere non potest is, qui Deum videt: quippe cum ad Dei visionem rectitudo sequatur voluntatis, non potentis non amare, quem videt. (hic q. 4. art. 4.) Aliud vero agens, a Deo distinctum, illam adimere non potest: cum anima Deo conjuncta supra omnia elevetur, nec temporum vicissitudines, quibus hic subjacemus, illo in statu ad turbandum locum habeant: ergo Beato ex statu, in quo est, debetur fruitionis æternitas.

8. Jam oppositiones, quæ fiunt triplici propositionis membro disjiciamus. Primo hæc opponuntur: Capacitas creaturæ limitata est, sicut & ejus substantia: ergo bonis limitatis, qualia sunt creata, satiari potest: ergo & in his esse potest ejus Beatitudo, maxime cum impios peccatores videamus, qui talibus bonis contenti, altiora non appetant. Secundo: Creatum etiam quid est Beatitudo formalis, de qua dicetur: creata ergo re beatitudo constat hominis, eaque is satiatur. Tertio: Bono illo universali contenta, & quieta voluntas est, quod respicit ut objectum: id autem bonum est universale in essendo, & prædicando, a quo non bene arguitur ad bonum universale in causando, qualis Deus est. Quarto: Beatitas essentialis, quæ in Deo viso ponitur, perfecta non est, si in illa magis, ac minus est; magis, ac minus est, si omnes in videndo non sunt æquales beati; & beati in ea æquales non sunt: ergo. Quinto: Si Deus animæ beatitudo est; talis dici non potest res ulla, quæ increata non sit; dicit vero contra S. Aug. l. de Doct. Christ. cap. 4. illis rebus fruendum est, quæ nos beatos faciunt. Respondeo ad singulas. Ad primam distinguo antecedens: Capacitas hominis est limitata subjective, concedo; terminative, nego. Intellectus enim, & rationalis appetitus habent, quemadmodum & substantia humana, cujus proprietates sunt, quamdam infinitatem, ille ad Deum ordinatus, quem ut objectum cognoscat: appetitus ad eundem ordinatus, quem avide prosequatur, totaque substantia itidem ad illum, quem assequatur ut finem ultimum suum. Hinc illud Augustini 1. Conf. cap. 1. Tu excitas, ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Et illud B. Thom. hic q. 2. art. 8. ad 3. Bonum creatum non est minus, quam bonum, cujus est homo capax, ut rei intrinsecæ, & inhærentis. Est tamen minus, quam bonum, cujus est

ca-

capax, ut objecti, quod est infinitum. Quod adjungitur de impiis, & peccatoribus nihil est: in his enim mentitur iniquitas sibi. Porro hi, si bonum majus subodorant, quo gaudent, dimittunt, & post illud currunt, nec quæ habent, tranquille possident, anxii semper, & timidi, ne eis deficiant. Unde S. Aug. lib. de Beata Vita disp. primæ diei concludit, non ergo hæc qui amat, & possidet, potest ullo modo beatus esse. Ad secundum dicam mox, interim scito, formalem beatitutidem satiare, non tanquam objectum, & id *quod*; sed tanquam adeptionem illius, seu id *quo* satietas obtinetur. Ad tertium respondeo, a bono universali in essendo argui optime ad bonum universale in causando, quando illud in hoc eminenter continetur. Deus autem non est bonum quoddam contractum ad hanc, aut illam speciem boni, sed bonum absolute, omnia bona continens, ad omniaque se extendens. Quæcumque ergo limitatio illi affigi velit, inepta est. Ad quartum respondimus l. 1. pr. 18. n. 22. Ad quintum tandem, rem creatam, qualis est visio, dici posse beatitudinem non objectivam, de qua sermo est, sed formalem, de qua non est sermo. De neutra vero S. Augustinus loquitur, sed de ea, qua fas est homini in hac vita beari, dum peregrinatur a Domino, & tendit ad patriam.

9. Alteri propositionis membro hæc opponunt Hæretici. Ex Scripturis Parabolam Matth. 20. relatam, ubi merces non datur operariis, nisi ad vesperam. Hæbr. cap. 11. Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consumarentur. Ex 1. Joan. cap. 3. Scimus, quia cum apparuerit, (Christus, dicunt isti, in secundo adventu) similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Ex Apocal. tandem c. 6. Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei. Et quid, dicunt, ista absconsio significat, nisi quoddam reconditum receptaculum, ubi animæ exspectant gloriam? Opponunt secundo ex P. Græcis Justinum quæst. 6. ex his, quas Christianis proponebant Gentiles, Irenæum lib. 5. Orig. hom. 7. in Levit. Chrysost. hom. 39. in priorem ad Corint. Theodoretum, Aretham, & Euthymium in cap. 16. Luc. Ex Latinis Tertullianum lib. 4. in Martionem, Lactantium lib. 7. cap. 21. & Victorinum Martyrem in c. 6. Apocal. Opponunt tertio Joannem Papam XXI., (aliis XXII.) quem dicunt declarasse, & mandasse Parisiensibus, ne docerent nec in Scholis, nec in Templis, animas statim a transitu beari, quantumlibet puras; prohibuisseque, ne ullus ad gradus in Theologia promoveretur, nisi prius jurasset, se hanc sententiam non defensurum, sed oppositam. Opponunt quarto has rationes. I. Si in extremo die judicium, & examen bonorum, & malorum fieri debet, præmia item, & pœ-

na ad hanc usque diem differri debent. II. Anima Christi non statim ascendit in Cœlum, sed prius ad Inferna descendit post separationem a corpore: Christi vero requies, resurrectio, & ascensio nostræ & requiei, & resurrectionis, & ascensionis exemplar est, ne simus discipuli supra magistrum. III. Cum corpus, & anima operentur simul aut bonum, aut malum; una sine altero aut supplicio, aut præmio affiei non debet. Postremo. Dæmones reservantur puniendi ad diem judicii: dicebant enim Christo Matth. 8. Venisti ante tempus torquere nos, & Luc. 8. deprecabantur eum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent. De supplicio igitur impiorum cogitandum idem est: idem quoque de præmio, & mercede completa Sanctorum.

10. Hæc sunt contrariorum argumenta, quæ mihi solvenda sunt. Ac primum ex Scripturis sumptum solvo sic. Parabolas non omnino, & particulatim quadrare debere, sed propositum scopum in illis esse considerandum, ait S. Chrysostomus in hoc cap. Matth. Multa enim in illis dicuntur ad narrationem complendam, non significandi gratia: quemadmodum culter ad scindendum fit, neque tamen scindit ex omni parte. Numquid quia super denario accepto operarii murmurabant, dicemus, murmur in Cœlo esse? Et quia Dominus illis dixit: an oculus tuus nequam est, quia bonus ego sum? erit in Cœlo oculus nequam? Quid ergo ex ea Parabola eruendum est? Patres, nempe, novi Testamenti minore tempore laborantes, quam laborarunt veteris, camdem mercedem Beatitudinis obtinuisse: vel certe eos, qui in ultima senecta conversi ex vero corde sunt, posse præmium non minus adipisci, ac hi, qui a florentiore juventute Deo inservierunt. Possumus etiam dicere, per Vesperam intelligi universale judicium, in quo dabitur omnibus publice perfecta merces. Secundum ex Hæbr. cap. 11. de repromissionibus loquitur, per quas aut significatur Adventus Jesu Christi Patribus promissi; vel animæ beatitudo illis collata eodem tempore, quo novi Testamenti Sanctis, quod textus e Græco translatus innuit: *non acceperunt repromissionem*: vel tandem perfectam corporis, & animæ beatitudinem, quæ communis est Patrum expositio, quæ quodamodo in illis verbis textus continetur: *ne sine nobis consummarentur*. Non enim ait, remunerarentur. Tertium ex Joan. 1. Epist. scimus, quia cum apparuerit, &c. facile solvitur, integro secundo versu in medium posito: Charissimi nunc filii Dei sumus: & nondum apparuit, quid erimus. Cum autem apparuerit, (non Deus, sed *quid erimus*) similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est. Hic sensus, qui naturalis, & proprius est, & primum propositionis membrum confirmat, & secundum non labefactat. Quartum ex Apocal. Vidi subtus altare &c. lucem ad sui solutionem ac-

accipit ex v. 15. cap. 7. qui est talis: Hi (qui amicti sunt stolis albis) sunt, qui venerunt ex tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Et ideo sunt ante Thronum Dei, & serviunt ei die, ac nocte in templo ejus: & qui sedet in Throno, habitabit super illos. Ubi, quod antea nomine *altaris*, nunc throni nomine significari videtur; sub quo (id est inferiores quidem throno divinitatis, sed tamen ante illum) stant, & serviunt die, ac nocte in templo Dei. Unde (sua probabilitate relicta tribus loci illius solutionibus videndis hic apud Bellarminum) animæ illæ judicium exorantes eos interficentium, qui Christum profitentur in terra ante Thronum, & altare Dei, sed *subtus*, & multo inferiores illius sedi, in Cœlo existere credendæ sunt: non in abscondito receptaculo, quod intendebat objectio.

11. Ad secundum argumentum sumptum ex PP. Latinis, ac Græcis, dico, utrosque pro catholica sententia stare, ut videre dat Bellarminus locis ex scriptis Græcorum Patrum decem & octo, & Latinorum totidem. Verbum autem *non vident*, quo hi utuntur in objectis locis, non visionem intuitivam rejicit, sed comprehensivam, ut ex D. Th. diximus lib. 1. prop. 18. n. 7. Vigebat enim Chrysostomi, & plurium Patrum tempore error Anomeorum docentium, Deum comprehendi a Creatura posse. Cum vero isti verbo etiam *Video* uterentur in suo errore disseminando, ab eo S. Doctores abstinebant. Dicunt ii quandoque, Sanctos sperare futuram gloriam, ut Arethas, Iræneus, & Theodoretus, sed de gloria corporis interpretandi sunt. Solus Euthymius exponi commode nequit. Verum hic, præterquam quod est omnium recentissimus, scripsit circa annum 1180., quo tempore Schisma, & hæresis inter Græcos palam diffundebatur. Latinis Patribus, quorum unus, aut alius locus objicitur, eædem quadrant responsiones. Ex iis vero pro suo candore, & amore veritatis, tres excipit Bellarminus. Tertullianum jam Hæresiarcam, Lactantium studiosiorem Ciceronis, quam Scripturarum, cui idcirco varii errores, præsertim circa sæculum futurum, exciderunt, & Victorinum, Martyrem quidem, sed cui, ut Hieronymus scribit, eruditio defuit, licet eruditionis voluntas non defuerit. Ad argumentum sumptum, & mendaciis auctum ex Joan. XXI. declaratione, & mandato, dico, Bened. XII. ejus successorem immediatum testari, Joannem morte præventum hanc quæstionem non definivisse; imo eam retractasse. Protestatus est enim primo, se in suis de hac re sermonibus non definire intendisse, sed tantum quærere veritatem. Deinde, displicere sibi priorem sententiam, ac sentire, animas Sanctorum videre Deum, etiam ante diem judicii. Quam etiam retractationem iisdem verbis, quibus facta est, affert Joan. Villanus lib. 11. cap. 19. de Re-

bus Florentinorum, quam dicit habuisse a fratre suo, qui in Aula ejusdem Papæ Joannis degebat. Ad argumenta denique venimus a ratione desumpta. Quæ ad primum pertinent, loco illi reservamus, ubi de Judicio universali agemus. Ad secundum. Christum, moriendo, quiescendo, resurgendo, & in Cœlum ascendendo, exemplar nostrum fuisse, sed quoad corpus: nos enim primo morimur, dein quiescimus in sepulcro, post resurgemus, & ad cœlum corpore superinduti ascendemus, ut Christus ascendit. Quod vero anima ejus ad inferna post mortem descenderit, ad nostrum non pertinet exemplar: non enim eo descendit, ut nobis pararet locum, sed ut animas deduceret inde Sanctorum, & inferni ipsius mors esset, ut loquitur Scriptura. Ad tertium dico: Anima, & corpus non concurrunt ad bonum, & malum operandum, ut duo supposita, quibus injuria fiat, si unus prius altero mercedem accipiat: nec si talia essent, fieri corpori injuria, quod anima, quæ principaliter agit, & cujus corpus merum est instrumentum, beetur prius: neque item illi fieret injuria, si æque ac anima concurreret ad bonum: quippe quum ante diem Judicii corpus gloriæ, & coronæ non capax sit, animus vero sit capax. Ad postremum argumentum præc. prop. respondimus.

12. Tertio tandem propositionis membro, nempe Beatitudinem esse perennem, hæc objiciuntur. Primum. Visio, qua beatitudo constat, ejusdem cum illa rationis est, quam Paulus in hac vita habuit; hæc vero perpetua non fuit. Secundum. Perpetuitas visionis ex nullo connexo prædicato in eam derivare potest. Perfectio enim perfectibili aptari debet; homo, qui per illam perficitur, mutationi est obnoxius: ergo. Ulterius: Voluntas, cui subjacet intellectus etiam beatus, se habet ad opposita: ergo ab amando potest desistere: ergo a beatitudine cadere. Ulterius: principio respondet finis; beatitas habet principium: ergo & potest habere finem. Tandem. Ideo beatitudo asseritur indefectibilis, quia nihil restat beatæ animæ, quod appetat, utpote *nullius indiga boni*; at hæc appetit unionem ad corpus, quo caret, idque naturaliter appetit: labat ergo ex hac saltem parte fundamentum perennitatis beatæ.

13. Ad primum, quod opponitur, dictum est satis lib. 1. prop. 18. n. 19. Ad alterum respondeo ex D. Thoma hic qu. 5. art. 4. Beatitudinem esse perfectionem consummatam, quæ sicut omnem defectum removet a beato, ita immutabilitate eum donat, virtute divina illum elevante ad æternitatis participantiam, transcendentis omnem mutationem. Ad tertium: Voluntatem se habere ad opposita in his, quæ sunt ad finem, in fine vero nullatenus. Non enim fieri potest, ut homo beatus esse amplius non velit. Ad quartum: Beatitudinem carere fine ex conditione boni participati; & ex conditione sua habe-

re

re principium. Cum vero principium, & finis ex diversis oriantur, ex uno ad alterum non fit congruens deductio. Ad ultimum: Quod anima beata corpori reuniri appetat, non impedit desiderium a deliberata voluntate procedens perfecte satiari: non enim illud est ad corpus simpliciter habendum, sed tunc quum divinæ bonitati, ac justitiæ visum sit. Dici etiam potest cum S. Th. 1. 2. qu. 4. art. 5. Desiderium animæ separatæ ex parte appetibilis, quod habet, & suo appetitui satiando sufficit, omnino quiescere. Non ita vero ex parte appetentis: quia bonum non possidet secundum omnem modum, quo possidere vellet: ideoque, corpore resumpto, crescere beatitudinem, non intensive, sed extensive; non ita tamen (quod aliqui putant) ut ad plura cognoscenda objecta anima reunita se extendat, sed in quantum (ut ait ipse S. Doctor in 4. dist. 49.) anima non gaudebit solum de bono proprio, sed etiam de bono corporis. Et hactenus de objectiva essentiali beatitudine, jam de formali quatenus ad fidem pertinet, pauca a nobis dicenda sunt.

14. Dico igitur, in hoc sensu Beatitudinem non una perfectione & operatione contineri. In ea enim omnes hominis potentiæ replentur ubertate bonorum, juxta illud Ps. 102. qui replet in bonis desiderium tuum. Itaque nunc per visionem exprimitur, ut in 1. Joan v. 9. Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est. Nunc per fruitionem, & gaudium, ut in illo Evang. Joan. cap. 16. v. 22. Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis, & Ps. 35. v. 9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, & Ps. 16. v. 15. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Et Conc. Viennense utrumque conjungit in Clemen. ad Nostram de Hæreticis. Quod idem facit Benedict. XII. Nec non definimus, (inquiens) quod ex tali visione, & fruitione eorum animæ sunt vere beatæ. Juxta quod in Catechismo Tridentini Conc. p. 1. cap. 13. ad illa Symboli verba & *vitam æternam* dicitur: Solida Beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo sita est, ut Deum videamus, ejusque pulchritudine perfruamur. Hoc posito, quod ad dogma pertinet, ad Scholam Theologorum descendere oportet, ut, quid de formalis beatitatis essentia, seu de conceptu quasi ultimo, in quo constituenda sit, audiamus.

CO-

COROLLARIUM I.

15. Efficitur ex dictis, Beatitudinem Formalem, essentialiter sumptam, & non quoad statum beati, quo sensu multa complectitur, in operatione partis intellectivæ esse locandam, sive ea intellectus sit, sive voluntas. Cumque neutra ex his potentiis divinam hanc operationem sit ex se potens elicere, confortari utramlibet oportere qualitate aliqua, quæ instar δυναμεως, seu actuosæ facultatis, eam elevet ad actum, ac roboret. Et hæc est Lumen gloriæ, de quo pro nostra facultate lib. 1. prop. 18. a n. 10. disseruimus. Quo vero actu, aut actibus utriuslibet potentiæ, lumine scilicet gloriæ confortatæ, Beatitas hæc formalis essentialiter contineatur, disserunt primores Theologi, nec convenit inter illos. Sunt qui cum S. Bonaventura visionem, amorem, & fruitionem illi accumulent. Sunt qui cum Scoto solo amicitiæ amore contenti sint. Hugo Victorinus, Suarez, Valentia, & Molina visione, & amore, alii visione, & fruitione. Sanctus vero Thomas, quem pone sequuntur Bellarminus, Becanus, & alii, in solo actu intellectus essentiam formalis Beatitudinis ponit his fere momentis. Joan. enim c. 17. v. 3. dicitur: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & ejusdem ep. 1. cap. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est. Cujus textus notanda est causalis illa *Quia*. S. Augustinus, a quo videtur opinionem suam hausisse, ita ait lib. de Trinit. cap. post multa alia, quibus illud exponit: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: Visio illa Dei, qua contemplabimur incommunicabilem, atque humanis oculis invisibilem Dei substantiam, quæ solis Sanctis promittitur, quam dicit Apostolus Paulus, *facie ad faciem*; & de qua dicit Apost. Joannes: similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est; & de qua dicitur: unam petii a Domino, ut contempler delectationem Domini, & de qua dicit ipse Dominus: & ego diligam eum, & ostendam illi me ipsum .... sola est summum Bonum nostrum, cujus adipiscendi causa præcipimur agere, quidquid recte agimus. Idem ille lib. 8. dixerat, & lib. 83. quæst. q. 35. Quid aliud est beate vivere, nisi aliquid cognoscendo habere? Æternum enim est, de quo solo recte fiditur, quod amanti auferri non potest; idque ipsum est, quod non est aliud habere, quam nosse. Omnium enim rerum præstantissimum est, quod est æternum, & propterea id habere non possumus, nisi ea re, qua præstantiores sumus, id est, mente. Quam suam sententiam explicat, ac modificat S. Pater lib. 1. Retract., eo tamen modo, ut presenti majorem lucem addat: illam

enim

enim particulam, *Nihil aliud est Deum habere, quam noſſe*, ad notitiam reſtringit, qua Deus noſcitur, ut tandem noſcendus eſt, nempe clara, & ut eſt in ſe.

16. Itaque D. Thomas hic q. 4. nulli alii rei videtur intentus, quam ut ſententiam hanc Auguſtini ſanæ Phyſicæ, rationique conformet, primum excludens voluntatis actum ab hac ratione formali; tum totam dans intellectus actui; ac tandem voluntatis partes aſſignans in objecto per viſionem illi præſenti. Dico, ait in corp., quod quantum ad id, quod eſt eſſentialiter ipſa Beatitudo, impoſſibile eſt, quod conſiſtat in actu voluntatis. Manifeſtum eſt enim, quod Beatitudo eſt conſequutio finis ultimi: conſequutio autem finis non conſiſtit in actu voluntatis. Voluntas enim fertur in finem & abſentem, quum ipſum deſiderat, & præſentem, quum in ipſo quieſcens delectatur. Manifeſtum eſt autem, quod deſiderium finis non eſt conſequutio finis, ſed motus ad finem: delectatio vero advenit voluntati ex hoc, quod finis eſt præſens, non autem e converſo ex hoc aliquid fit præſens, quod voluntas delectetur in ipſo. Oportet igitur aliquid aliud eſſe, quam actum voluntatis, per quod ſit finis præſens ipſi voluntati, & hoc manifeſte apparet circa fines ſenſibiles. Si enim conſequi pecuniam eſſet per actum voluntatis, ſtatim a principio conſequutus eſſet cupidus pecuniam, quoniam vult eam habere; ſed a principio quidem eſt abſens ei, conſequitur autem illam per hoc, quod manu eam apprehendit, vel aliquo hujuſmodi, & tunc tandem delectatur in pecunia habita. Sic igitur & circa intelligibilem finem contingit: nam a principio volumus conſequi finem intelligibilem: conſequimur autem illum per hoc, quod fit præſens nobis per actum intellectus: Et tunc voluntas delectata conquieſcit in fine jam adepto. Sic igitur eſſentia beatitudinis conſiſtit in actu intellectus; ſed ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem conſequens, & hæc eſt beatitudinis conſummatio. Hac ex ſcripta ratione, qua neſcio, an nitidius, ac robuſtius dici quid poſſit, ab aliis, quæ variæ adducuntur ab hujus opinionis ſequacibus, ſuperſedeo: oppoſitorum ſolutione majorem in modum eam confirmaturus.

17. Opponunt primo. Præter deſiderium, & delectationem eſt etiam a voluntate amor amicitiæ, qui quidem hic a S. Thoma ommittitur; ſed hic amor poteſt eſſe formalis conſequutio finis: ergo. Probatur minor: amor amicitiæ perfectæ facit objectum præſens amanti, ſi minus in ratione veri, at in ratione boni; ſed Deus ſub hac ratione objectum beatificum eſt: ergo talis amor conſequutio illius eſſe poteſt. Hinc illa naſcuntur effata: Amicus alter ego: anima magis eſt, ubi amat, quam ubi animat: amatum eſt in amante. Deinde: Amor

eſt

est unitivus in ratione boni, sicut cognitio in ratione veri: illa autem, cum de Deo beante sermo est, prævalere debet. Respondeo: ob eamdem rationem, qua desiderium, & delectatio a formali Deitatis consequutione excluduntur, excluditur etiam amicitiæ amor; quem si hic S. Thomas reticuit, non tamen 3. contra Gent. cap. 26. ratione 6. ubi recensens actus voluntatis tres, desiderium, fruitionem, & amorem, omnes æque a formali rejicit finis consequutione. Amare etiam, ait, non potest esse ultimus finis: amatur enim bonum, non solum, quando habetur, sed etiam quando non habetur. Ex amore enim est, quod non habitum, desiderio quæratur: & si amor jam habiti perfectior sit, hoc causatur ex eo, quod bonum habetur amatum. Aliud est igitur habere bonum, quando est finis, quam amare; quod ante habere (id est, antequam habeatur) est imperfectum. Voluntas igitur non facit objectum præsens, (quod sumebatur probandum) si alias ex se non sit præsens; sed vel præsentiam antecedit, vel supponit. Est autem conspicuum discrimen intellectus, & voluntatis in suis operationibus, hac ad res tendente, illo trahente, & quasi amplexante. Nec refert, amorem amicitiæ ad Deum ferri sub ratione boni: sub eadem enim ratione ad eum fertur charitas viatorum, quæ licet imperfectior, in eadem specie est cum charitate Patriæ, juxta illud Apost. 1. Corint. 13. Charitas nunquam excidit: neqe idcirco Deus hic præsens est amanti. Effata vero illa œstrum spirantia, quæ mutuam amicorum possessionem significare videntur, etiamsi admittantur ut ad rem dicta exactissime, efficiunt nihil: inter amicos enim erit hæc possessio hinc activa, qua unus alterum amat, hinc passiva, qua ab altero redamatur. Beatitudo vero beatum facit omnino per actum beati, non per actum alterius. Ulterius: Ad hanc realis possessio requiritur; at ad illam inter amicos sufficit pure affectiva. Ex qua disparitate prona est solutio confirmationis, in qua dicitur, amorem esse unitivum in ratione boni, sicut cognitionem in ratione veri, quam propositionem sic distinguo: est amor unitivus affective, subjectum afficiendo erga obtentum jam bonum, concedo; effective, & assequutive, bonum primo, & per se assequendo, nego. Id enim cognitionis proprium est.

18. Opponunt secundo. Illius est habere præmium, cujus est meritum: meritum vero per actus voluntatis habetur. Idque ex eo confirmatur, quod ad eandem potentiam attinet tendere in terminum, & illum assequi, ut ex motu locali, & ex humanis sensibus planum fit. Respondeo: illius esse habere præmium, cujus est meritum, si sermo sit de persona merente, non vero si de potentia, aut de principio *quo* merendi. Neque enim Advocatus, qui lingua causam perorat, lingua mercedem accipit, sed manu: neque qui pedum agili-

ta-

tate pro bravio currit in arena, pedibus bravium recipit. Illa vero tendentia, quæ in confirmatione ponitur, effectiva, & exequutiva, quæque motus localis, & sensuum propria est, non est tendentia, de qua hic loquimur; sed effectiva, & intentiva, ad quam quidem pertinet movere ad exequutionem, adeptionemque boni cupiti: adeptio vero hæc non cupientis voluntatis actu, sed intellectus habetur.

19. Opponunt tertio. Remota delectatione, animus beatus esse non potest: ergo hæc etiam ad beatitudinem est necessaria. Antecedens ex eo probatur, quod si homo vi bonorum omnium affluat; iis tamen non fruatur, felix, beatusque non erit. Atque ex eo item, quod suspensis fruitione, & amore, (quod impossibile Deo non est) videns divinam essentiam esse miser, & infelix posset. Accedit, visionem solam non esse possessionem rei visæ, sed illius cognitionem; nisi velis solo visu divitias, suppellectilem, aliaque possidere. Respondeo: Animum beatum esse non posse sine delectatione quoad statum, qui omnium bonorum affluentia, ex qua delectatio existit, continetur: posse tamen, imo esse beatum simpliciter quoad essentiam sola visione. Nec vero essentia metaphysica, de qua hic agimus, cum essentia completa confundenda est, quam omne gaudium, amor, ac perfectio consequuntur. Neque cum illa cœlesti beatitate hujus vitæ felicitas comparanda est: hæc enim delectationem completam nunquam affert bonis ejus etiam affluenti: aut quia hic omnia habere non potest, & illius, quo caret, desiderio posset mœrere: aut quia omnia, etiam ab homine possessa, vana sunt, & inepta solidæ consolationi, ac delectationi adducendæ. Unde est, quod quæ plurimi a sensualibus habetur, flocci æstiment spirituales viri. In cœlesti autem beatitudine, suspenso Dei concursu ad amorem, & delectationem, videns Deum, non illum amaret, nec de illo viso delectaretur: at haberet exigentiam illum amandi perfectissimo amore, eoque fruendi, donatus lumine gloriæ, ac visione cum eo lumine elicita. Cumque donum hoc non haberet sine gratia habituali, quæ radix est amoris fruitionis, atque charismatum omnium, quæ beatum statum complent, ut illius proprietates; impossibile est, illis etiam actibus non elicitis, videntem Deum miserum esse. Exigentia enim eorum miseriam omnem excluderet, sicut & timorem mali, ac peccatum, peccandique periculum, quod in videntem Deum non cadit, quod docet S. Thomas qu. 24. de Verit. art. 8. lib. 4. contr. Gent. cap. 70. & 1. p. q. 63. art. 1. Ac prius S. Augustinus docuerat lib. 3. contra duas Epist. Pelagian. cap. 7. per hæc verba: Hic ergo præceptum est, ut non peccemus: ibi præmium, non posse peccare. Hic præceptum est, ut desideriis carnis non obediamus: ibi præmium, ut desideria peccati non habeamus. Hæc ad primam confirmationem. Ad secun-

dam dico, visione possideri rem visam eo modo, quo res apta est possideri: divitiæ visu intentionaliter, manu realiter possidentur; at visu lumen, olfactione odor, sapor gustu, ac sonus auditu. Quid ergo mirandum est, si Deus cognitione apprehendatur, & possideatur? Quo, ut appetitus gustu tenet, quod avebat, & de eo gustato gaudet; sic voluntas delectetur viso, quem videndum cupiebat, atque inhiabat?

Atque his dictis de essentiali animæ Beatitudine, deque his, quibus ejus essentia, ac substantia formaliter continetur; ad illa venimus, quæ illius proprietates sunt, & quasi accidentia a Theologis considerantur.

COROLLARIUM II.

20. Anima beati hominis (sicut & corpus, de quo dicemus postmodum) donis multis, & charismatibus a Deo beante afficitur; & quæ ad æternum illius cum anima connubium disponunt, & quæ statum quasi consequuntur, & nobilitant. Hæ sunt Dona Spiritus Sancti, gratiæ gratis datæ, revelationes, & alia. Illa a Theologis Dotes gloriæ nuncupantur, de quibus agit S. Thomas in 4. sentent. dist. 49. qu. 4. & in Supplem. 3. p. qu. 95. art. 1. Et Dotes quidem dicuntur per quandam analogiam ad dotem, quæ sponsæ viro conjungendæ datur, qua ipsa nempe ornetur nupta, & quæ eidem inamissibiliter conservetur. Itaque Dotes beatæ sunt superni quidam seu habitus, seu dispositiones, ut ait S. Thomas, perpetuo ornantes animum, in beatoque æternum perseveraturæ. Hæ tres sunt Visio, Comprehensio, Delectatio, quibus dotibus nomina aptantur actuum; cum non actus, sed habitus sint. Quod S. Doctor notavit in cit. Suppl. loco, ubi sibi proponens, an Dos sit idem, quod Beatitudo? hæc habet. Dicendum, quod Beatitudo, & Dos etiam realiter differunt; ut Beatitudo dicatur operatio perfecta, qua anima beata Deo conjungitur. Sed Dotes dicuntur habitus, vel dispositiones, vel quæcumque aliæ qualitates, quæ ordinantur ad hujusmodi perfectam operationem, ut sic dotes ordinentur ad Beatitudinem magis, quam sint in Beatitudine, ut partes ipsius. Et rursus ibi: Visio dupliciter potest accipi. Uno modo actualiter, id est, pro ipso actu visionis; & sic visio non est Dos, sed ipsa beatitudo. Alio modo habitualiter, id est, pro habitu, a quo talis operatio elicitur, id est, pro ipsa gloriæ claritate, qua anima divinitus illustratur ad Deum videndum. Et sic est Dos, & principium beatitudinis, non ipsa beatitudo. Relinquitur ergo ex his, Dotem primam, nempe *visionem*, esse Lumen, seu claritatem gloriæ, quam vocat S. Thomas *Dotem comprehensionis*, esse habitum charitatis,

tis, qua disponitur anima ad Deum amore retinendum, quem Visio sibi conjunxit, autumant alii; alii vero, non alium habitum esse, sed idem lumen gloriæ ab anima removens impedimenta, ne possit ei præsentialiter conjungi, habilemque eandem efficiens, ut Deum sine phantasmatum ope cognoscat. His videtur accedere S. Thomas cum laudato loco Doti *Fruitionis* habitum charitatis adaptat. Quia Fruitio, inquit, respondet spei in quantum includit comprehensionem, quæ spei succedit. Quod enim speratur, nondum habetur. Et ideo spes quodammodo affligit propter distantiam amati.

21. Quibus dictis de Gloria animæ, Gloria jam Corporum exponenda est. Cujus explicationem huc remisimus in fine prop. 10. lib. 13., ubi corporum resurrectionem asseruimus, & vindicabimus ab argumentis adversariorum.

PROPOSITIO VI.

Corpora Sanctorum a resurrectione gloriæ dotibus splendescent.

1. NEmpe *Impassibilitate*, *Subtilitate*, *Agilitate*, *Claritate*. Quas dotes, ut explicem commodius, primo ex cap. 15. Ep. 1. ad Corint. verba exscribam, unde hæc doctrina Apostolica sumpta est: ut enim ad rivulos curras, cum fontem unde bibas, in promptu habes, sapientis non est. Deinde ex S. Thoma earum congruitatem exponam, sumptam ex penitioribus sacræ Theologiæ adytis. Ac tandem argumentis ex eodem fere responsa dabo, lucem non mediocrem textui Apostolico allatura. Audi ergo primo Paulum: Sed dicet aliquis; quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient? Insipiens, tu, quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur: Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cœterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, & unicuique seminum proprium corpus. Non enim caro eadem caro; sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium: & corpora Cœlestia, & corpora terrestria; sed alia quidem Cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum: Stella enim a Stella differt in claritate: Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; (en tibi impassibilitas) seminatur in ignobilitate, surget in gloria; (en claritas) seminatur in infirmitate, surget in virtute; (en agilitas) seminatum corpus animale, surget corpus spirituale, (en subtilitas).

2. Jam S. Thomam has Beatorum corporum dotes in lib. 4. contra Gentes cap. 86. ex Apostolo ipso explicantem audiamus. Quamvis enim, inquit, merito Christi defectus naturæ in resurrectione tollantur ab omnibus communiter, tam bonis, quam malis, remanebit tamen differentia inter bonos & malos, quantum ad ea, quæ personaliter utrisque conveniunt. Corpus igitur communiter, & bonorum, & malorum disponetur secundum condecentiam animæ, ut scilicet illa, quæ forma incorruptibilis hujus est, ipsi tribuat esse incorruptibile, contrariorum non obstante compositione, ex divina virtute. *Incorruptibilitas* autem hæc malorum pœnæ adstipulabitur; gloriæ vero, & felicitati bonorum. Eam enim comitatur *Impassibilitas*, manans, ut a fonte, ab anima glorificata. Illa quippe Dei fruitio, quæ replet in bonis desiderium suum, ab ea oportet, ut omne removeat malum; atque ita removeat, ut immune corpus illud sit a malo, & quantum ad actum, & quantum ad potentiam. Quantum ad actum quidem, quia nulla erit in eo corruptio, nulla deformitas, defectus nullus. Quantum ad potentiam vero, quia non poterit aliquid pati, quod sit ei molestum: unde erit Impassibilis. Hæc autem impassibilitas non excludit ab eo passionem, quæ est de ratione sensus. Utetur enim sensibus ad delectationem secundum illa, quæ statui incorruptionis non repugnat. Ad hanc igitur corporum impassibilitatem ostendendam, Apostolus dicit: Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.

3. Super *subtilitate* vero, quæ altera est corporis gloriosi dos, ita se effert. Anima Deo fruens ipsi perfectissime adhærebit, & ejus bonitatem participabit in summo secundum modum suum. Sic igitur & corpus perfecte subdetur animæ, & ejus proprietates participabit, quantum possibile est, in perspicuitate sensuum, in ordinatione corporei appetitus, & in omnimoda perfectione naturæ. Tanto enim aliquid perfectius est in natura, quanto ejus materia perfectius subditur formæ & propter hoc dicit Apostolus: Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.

4. De *claritate* vero sic ratiocinatur. Ex claritate & virtute animæ ad divinam visionem elevatæ corpus sibi unitum id consequetur, ut, divina operante virtute, animæ subjiciantur, & quantum ad esse, & quantum ad actiones, passiones, motus, & corporeas qualitates. Sicut igitur anima divina visione fruens, quadam spirituali claritate replebitur, ita per quamdam redundantiam ex ea in corpus hoc ipsum suo modo claritatis gloria induetur. Unde dicit Apostolus: Seminatur (corpus) in ignobilitate, surget in gloria.

5. Ac tandem de *agilitate* sic. Anima suo ultimo fini conjuncta, in omnibus experietur suum desiderium adimpletum: & quia ex de-

si-

siderio animæ movetur corpus, consequens erit, corpus omnino spiritui ad motum obedire. Unde corpora resurgentium futura sunt agilia, & hoc est, quod Apostolus dicit: Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Infirmitatem enim experimur in corpore, quod invalidum sit ad satisfaciendum desiderio animæ in motibus & actionibus, quas anima ei imperat. Hæc autem infirmitas ibi tolletur, virtute redundante in corpore, ex anima Deo conjuncta. Propter quod de justis Sap. 3. dicitur: Quod tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Neque id quidem ex necessitate, quum nullo indigeant, qui Deum habent, sed ad virtutis demonstrationem. Hactenus fere S. Thomas.

6. Nunc ad objecta respondeamus. 1. est. Si impassibilitas non excludit a corpore Beati passionem, (ut dicit hic S. Thomas) neque etiam excludit alterativam immutationem, maxime in sensibus odoratus, & tactus. 2. Hæ operationes, ac passiones Beati animam distrahent ab attentione, aut nimirum ab intentione mentis in Deum. 3. Si corpus surget spirituale, ut docet Apostolus, aut sensibus non percipiet, qui nulli tunc erunt, aut e materia Cœlesti erit conformatum, aut ex aere, aut vento, quod dicebant hæretici, nescio qui. Utrumlibet vero dicatur, corpus idem non resurget. 4. Agilitas gloriosum corpus translatura de loco in locum, tempus exigit ad eam operationem. Unde vero erit tempus, motu cœlis ab ultimo mundi die interdicto, ut vult D. Thomas lib. 4. cont. Gent. cap. ult.? 5. Quod lucidum est in actu, speciei visibilis non est susceptivum, ut in speculo directe radiis Solis opposito accidere videmus. Si ergo corpus Beati lucidum est, & clarum, sensu visivo carebit, atque adeo videre non poterit. His omnibus facilis erat responsio. Si ea quæ intra nos sunt, & quæ habemus præ oculis ita nostræ cognitioni sunt abdita, ut ad reddendam earum rationem inepti simus; ineptiores esse necesse est pro eis intime percipiendis, quæ a Dei supernaturali virtute evenient. At eis sufficiens responsio in promtu est apud eundem S. Thomam. Ad primum ergo argumentum dico: Impassibilitatem non excludere passionem perfectivam a corpore beato; nisi velis, vitam Beati post resurrectionem similiorem esse somno; quam vigiliæ, utpote nihil omnino agentem. Excludere autem læsivam passionem, cum Deum videns a nulla re lædi possit. Unde nego, immutationem sensuum, dum actu operantur, fore alterativam & physicam, ut eam, quam subeunt tactus, & odoratus in hoc statu, in quo talis mutationis sunt capaces. In illo enim statu erit immutatio spiritualis, id est, pure intentionalis, & perfecta, qualis sane in hoc statu capaces non sumus.

7. Ad

7. Ad secundum sic respondet S. Doctor in Suppl. qu. 82. art. 3. Cum duo aliqua sic se habent, ut eorum unum sit ratio alterius, tunc occupatio animæ circa unum non impedit, vel remittit, sed magis excitat occupationem ejus circa aliud. Sic vox sonans auribus non retrahit a consideratione rei significatæ per vocem. Quid? quod in Sanctis erunt potentiæ perfectissimæ, atque adeo non se impedientes a propriis singulorum operationibus? Ad tertium respondeo, vocem *spiritualem* non esse hoc modo intelligendam, sed ut eam ibi intelligit S. Thomas, ubi: spirituale quidem, ait, corpus resurgentis erit; non quia sit Spiritus, ut quidam male intellexerunt, sive per Spiritum intelligatur Spiritualis substantia, sive aer, aut ventus; sed quia erit omnino subjectum Spiritui, sicut nunc dicitur corpus animale; non quia sit animal, sed quia animalibus passionibus subjacet, & alimonia indiget. Enimvero de Christo resuscitato, qui eorum omnium, qui resurgent, exemplar est, dictum fuit Lucæ 24. Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et Job 29. dicitur: In carne mea videbo Salvatorem meum. Quibus argumentis S. Gregorius Eutichium Constantinopolitanum Episcopum refutavit, & ad fidem ressurrectionis adduxit. Hanc rationem Apostoli interpretandi hauserat D. Thomas ab Aug. lib. 13. de Civit. sic dicente: sicut enim spiritus carni serviens, non incongrue carnalis, ita caro spiritui serviens, recte appellabitur spiritualis: non quia in spiritum convertetur, sicut nonnulli putant, ex eo, quod scriptum est: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale; sed quia spiritui summa & admirabili obtemperandi facilitate subdetur &c. Ad quartum respondet idem quæst. 3. in 4. sentent. dist. 44. Motum corporis futurum quidem non instantaneum, sed successivum, quemadmodum natura exigit motus. Hæc vero successio, si ex numero motus Cœli, qui tunc non erit, fieri nequit; at fiet ex numero prioris, & posterioris, quod ad illam sat est. Ad ultimum tandem nego propositionem, cum constet, nihil magis susceptivum specierum (in quocumque tandem istæ ponendæ sint) quibus videmus, quam lucidum, nihilque magis aptum, imo solum aptum, ut eis ad pupillam aditum faciat. Idque in exemplo speculi, quod opponitur, perspicuum est, cujus posteriorem partem, si stamno linias, & te, & quæ te circumstant tuis oculis fideliter refert.

8. Quæres, an hæc claritas solum ad Corporis superficiem pertineat? An intus in toto corpore se insinuet? Durandus, & Scotus primum tenent, quod, nempe, aliter color, quo potissimum pulchritudo continetur, deficeret, ajente S. Aug. lib. 22. de Civit. Dei cap. 19. Omnem corporis pulchritudinem esse partium congruentiam cum quadam

dam

dam coloris suavitate. Deinde, quod decentior, ac gratior futurus videtur adspectus illius, cujus partes intimæ non appareant. S. Thomas contrariam sententiam tenet in 4. dist. 44. art. 4. eamque deducit ex SS. Gregorio, qui corpora gloriosa auro, & vitro æquiparat; & Aug. de Civit. lib. 22. cap. 30. ubi: omnes illi, inquit, de quibus jam sum loquutus, qui nunc latent armoniæ corporales numeri, non latebunt intrinsecus & extrinsecus per corporis cuncta dispositi. Accedit illud ex Script. Matth. cap. 13. Fulgebunt Justi sicut Sol. Et Daniel. Cap. 12. Quasi Stellæ. Et hic 1. ad Corint. Alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum; sic erit in Resurrectione. Mihi vero in re menti humanæ penitus abstrusa ita videtur. Deum, scilicet, qui oculorum nostrorum delectationi lilia agri sic vestit, ut nec Salomon in omni gloria sua vestiverit se sicut unum ex illis, eo decore, splendore, pulchritudine esse donaturum beata corpora, quæ ipse scit, & quæ mentis nostræ longo intervallo acumen & cogitationem excedunt.

9. Quæres secundo, an claritas, quæ Beatos felicitet, ejusdem speciei cum luce hac nostra sit futura? Sane id dicere oportet, nisi velimus altioris sphæræ esse, puta, supernaturalis. Tuncque probandum superesset, quo pacto ei intuendæ corporeus oculus posset elevari. Porro naturali virtute ab Apostolis visum fuisse nobis persuademus Christum Dominum in Sancto Monte transfiguratum: eadem a S. Paulo visum Jesum Dominum jam gloriosum (1. ad Corinth. cap. 9.) eadem videbunt eum reprobi in judicii die: (Apoc. 1. v. 7.) videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: eadem iidem videbunt Justos, quos persecuti sunt, & quorum vitam æstimaverunt insaniam, (Sap. 5. v. 3.) & eos in gloria videntes, turbabuntur timore horribili. Erit quidem major illa lux, atque splendidior, at id speciem non variat, sicut nec quod sit a Deo ut a causa supernaturali, modoque supernaturali diffusa: sicut vita homini superne restituta, & cæco visus, nec hunc, nec hominem suscitatum diversæ speciei faciunt.

10. Quæres tertio. Quid sit *Aurolea* conferenda Beatis? Quique illi futuri, qui ea decorandi sunt? Auroleas intelligimus Coronas exiguas ad differentiam aurearum Coronarum, quibus essentiale præmium conferendum omnibus indiscriminatim Sanctis innuitur. Aureolea est, ait D. Thomas in 4. dist. 49. Quoddam gaudium de operibus a se factis, quæ habent rationem victoriæ excellentis: quod est aliud gaudium ab eo, quo de conjunctione ad Deum gaudetur. Et postea: sicut ex gaudio essentialis præmii, quod est *Aurea*, redundat quidam decor in corpus, qui est ejus gloria; ita ex gaudio *Aureola* resultat aliquis decor in corpore; ut sic *Aureolea* principaliter sit in mente,

sed

sed per quamdam redundantiam fulgeat etiam in carne. Desinire quid id sit, Deo stat, qui donorum suorum & arbiter est, & cognitor. Quibus vero donabitur? Siquidem cum S. Thoma decernere pulchrum est, ea donabitur Virginibus, Martyribus, & Doctoribus. Quippe quum Aureolea danda sit in præmium excellentis victoriæ, nullaque excellentior videatur, quam ea, qua Caro, Mundus, & Diabolus vincuntur, singulis suam oportet dari. Virgines enim Carnem cum suis concupiscentiis, Martyres Mundum, Doctores Diabolum, mentes hominum verbo, & scriptis contra ejus insidias illuminando, in veritate, vicerunt. Virgines enim nota singulari distinguuntur Apoc. 14. Qui cum mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt. Ii sequuntur Agnum, quocumque ierit, canentes canticum novum. Martyres describuntur ibid. cap. 7. tanquam venientes de tribulatione magna, dealbatis stolis suis in sanguine Agni; & idcirco ante Thronum Dei stantes, qui ipse abstergit lacrymas ab oculis eorum. De Doctoribus denique Daniel. cap. 12. dicitur: qui autem Docti fuerint, fulgebunt tanquam splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

11. Quæres quarto. Quid pauperibus voluntariis, & Evangelicis conferendum? Scis, ait S. Thomas in 4. dist. 47. art. 2. specialiter judiciaria potestas debetur in universali judicio, juxta illud: sedebitis & vos judicantes duodecim tribus Israel: hac scilicet ratione (cont. Gent. lib. 4. c. 94.) quod Apostolorum, quibus expresse fit promissio, vestigia imitantur. Et en Judicium ultimum se offert, quod ab elucidante particulam Symboli, *& vitam æternam*, premi silentio non potest, eo vel maxime, quod ut S. Augustinus in Enchirid. scribit cap. 26. Sicut nullus est fidei articulus, in quem vehementius invexerint increduli omnis ætatis; ita nulla est veritas, quam planius, distentiusque inculcent Apostoli, Christum, ut plurimum, nominantes Judicem mortuorum, atque vivorum. Ipse Divinus Redemptor, & Judex futurus audientibus resurrectionem corporum non semel inculcat, ejusque Ecclesia plena spiritu sui Capitis extremum diem suis fidelibus repræsentat; telum id validius existimans contra Diaboli insidias, & mundi, ac carnis illecebras.

12. Pauca vero ex multis argumentis Incredulorum seligo contra hanc pauperum, atque item Apostolorum judiciariam potestatem. Primum. Non enim majoris dignitatis homines sunt, quam Angeli; sed de Angelis non dicitur esse judicaturos: ergo. Secundum est. Quod exequutio sententiæ judicium non præcedit, sed consequitur; sed homines, & Angeli nunc pœna æterna afficiuntur, aut præmio, quæ in judicio finali, si foret, decernenda essent: inutile igitur id est, aut præposterum. Tertium. Quod in hoc judicio de omnibus suis rebus

& in-

& intimis, & externis a singulis oporteret reddi rationem: hoc vero non jam dies plurimos, at sæcula exigeret. Quartum locum Judicii respicit. Si enim quotquot a condito mundo fuerunt, se debent ad illud sistere, non jam Vallis Josaphati, nec terra tota sufficiet: novusque adeo locus creandus erit illis continendis.

13. His omnibus argumentis ordine eodem satisfacio. Ac 1. notando cum Divo Thoma in 4. Judicare sumi posse multipliciter. Uno modo Auctoritate, & sic tota Trinitas judicabit, specialiter vero Filius. Alio modo Comparatione, & sic judicabunt non solum boni, sed & mali, ex quorum comparatione alii damnabiles apparebunt. Tertio modo Approbatione, & sic judicabunt omnes Sancti approbando sententiam Judicis. Quarto modo quadam privilegiata Auctoritate, & sic judicabunt perfecti, & qui professi sunt paupertatem, quæ Christo conglutinat, & maxime Apostoli, quibus ore tenus promissum est Matth. 19. Hæc auctoritas in duobus consistit: in confessione, inqua cæteris præferentur, & in sententiæ promulgatione non suo nomine, sed Christi, quæ duo notantur illis verbis: sedebitis super sedes, judicantes. Angeli cum Christo venient, (Matth. 25.) sed non ut Assesores judicii: qui cum sit judicaturus, quia Filius hominis est; (Joan. 5.) & in forma hominis daturus conspiciendum se, etiam hi sibi assideant oportet, qui videri in corpore possunt ab hominibus, qui ante Judicem stant judicandi. Secundo satisfacit sic: sententia, quæ in supremo judicio ferenda est, non ad unum, aut alterum pertinet, ut in judicio particulari, quod cujusque fit in ejus obitu; sed de pœna erit, & præmio decernendis omnibus & in anima, & in corpore. Atque insuper ad justitiam Judicis omnibus manifestandam, irrogantis etiam corpori animæ aut ad bonum, aut ad malum socio, præmium vel supplicium æternum. Ad eandem justitiam pertinet, ut non solum pœnæ, & præmia omnibus innotescant, verum etiam illorum causæ: cur hos a via perditionis retraxit, illos non retraxit: cur hos parvulos siverit sine baptismo mori, illos non item, & sexcenta his similia, quæ hic homines male conscios divinitatis, atque infinitæ sapientiæ perturbant. Deinde misericordiam, & clementiam Dei & in creandis mundo, & hominibus, & in eis redimendis omnibus manifestam fieri convenit, Diabolique malitiam contra homines confundi & reprobari palam, ut dictum est. (lib. 13. prop. 9. n. 3) Accedit gloria Jesu Christi, qui in primo adventu tanquam reus judicatus est. Unde illud Isai. 45. Vivo ego, quia mihi curvabitur omne genu, de Christo judicaturo exponit Paulus Rom. 14. Item gloria bonorum, ignominiaque malorum. Vult enim Deus, ut illi, qui spectaculum fuerunt in certaminibus suis mundo, & Angelis, & hominibus, victores pronuncientur coram

mundo, Angelis, & hominibus. Et hanc causam cum de judicio loquitur, Paulus non omittit, ut Rom. 2. & 1. Corint. cap. 4. &c. Neque etiam levis causa est, quod cum effectus bonorum, & malorum exemplorum, & scriptorum, sententia particulari, & pœna, & præmio auctorum non cessent, sententiam exigunt ultimam, quando ii cum mundo finiantur. Sanctæ enim prædicationis Pauli adhuc fructus boni procedunt; malique, & perversi Lutheri, & Impiorum, qui nostris diebus obeunt, tanquam in hæreditatem relicta blasphemia, & sacrarum rerum execratione. Quod iis verbis innuit Apostolus 1. Timoth. 5. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium; quosdam vero subsequuntur. Hæc ex Bellarmino. Tertio argumento ex S. Thoma respondeo, brevissimo tempore, vel etiam momento complendum esse Judicium illud. Momento enim omnes recognoscent sua & aliena merita, & quid pro eis secundum Dei justitiam debeatur. Judicat enim Deus, ait S. Amb. lib. 10. in Luc. cap. 22. cognitione cordium, non interrogatione factorum. Ultimo tandem argumento, quod ex Julieno, nescio quo, Gallo & regio Geographo adduxit Fellerius Catechesis suæ Philosophicæ interrog. 469. sic ex eodem respondeo. Ac primo quod pertinet ad locum designandum judicii, sumptum ex illo Joelis cap. 3. v. 12. Consurgant, & ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu, patet ex contextu capitis totius, ibi de universali judicio non esse sermonem. At quod *Josaphat* valet *Judicium Dei*, & quod Domino JESU ascendente in Cœlum e monte ei valli vicino coram Apostolis, duo viri adstantes in vestibus albis eis dixerint: Hic Jesus, qui assumptus est a vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum, (Act. 1. v. 11.) licet expresse non designetur in eo textu locus, sed modus veniendi ad judicandum, opinionem invexit non illaudabilem, Gentes omnes, non jam in sola valle, sed per circuitum conventuras ad judicium esse. Quod vero locus hic sit Vallis Josaphati, an tractus alius terræ habitatæ, nihil facit, quominus mendacii convincatur argumentator, qui novum mundum sibi fingit, & aliis pro hominibus continendis. Dico enim: duo de quadraginta leucas Hispanas abunde esse, imo longe superesse pro omnibus hominibus, qui ab Adam fuerunt, usque ad mundi annum sex millesimum, qui nondum est: & unde in posterum fieri facile computatio potest Duo enim de quadraginta leucæ nostræ (quarum singulis respondeant tria milliaria Italica) complent milliaria centum, quæ prius quam demonstro, esse plusquam sufficientia.

14. Suppono primo, terram semper fuisse habitatam ex hominum numero, quo nunc est, etiam primis mundi annis, atque annis, qui uni-

universale diluvium consequuti sunt. Vide quam sim cum isto Geographo liberalis. Suppono secundo, terram nunc habitari a millies decies centum millibus hominum, (scilicet 1000 000 000) ut vult Pater Ricciolius; non ab istius numeri medietate, quod vult Vossius, & ipse insignis Mathematicus. Suppono tertio, Generationes omni trigesimo anno renovari; quamvis Julienus singulis trigesimum-tertium assignat. Suppono quarto, Millium Italicum mille geometricos passus continere, pasumque geometricum pedes quinque. Suppono denique liberalissime, omnes homines, qui tunc resurgent, etiam sanctos in terra extituros. Et tamen dico, duo de quadraginta Leucas Hispanicas iis omnibus continendis abundare. Et ecce pono primo tibi ante oculos numerum hominum, post has suppositiones, qui intra sex mille annos resultat. Triginta enim anni singularum generationum intra sex mille annos dant ab Adamo generationes bis centum. Generatio hodierna (ut suppositum est) hominum mille millionibus constat. Ducentæ ergo generationes facient hominum ducenties mille milliones. Hunc tractum centum milliarium huic hominum multitudini longe superesse videndum est. Si enim milliarium mille passus facit, & passus pedes quinque, habemus quinque mille pedes pro singulis milliariis. Quorum quadratum est duocentum quinquaginta mille milliones. Quo ex numero pedum restat adhuc locus quinquaginta hominum millionibus, qui post annum sexmillesimum nascantur. Porro ex ineptissimo hoc argumento, quo impugnat Philosophus iste Geometra veritatem catholicam judicii extremi, pronum est conjicere, qualia argumenta sint illorum hominum huic parium, qui se venditant sæculi illuminatores. Utinam hi, suo bono, cor, mentemque gratiæ vere illuminatrici præstarent, & cognoscentes Deum summum omnium Judicem, animumque immortalem, fide in Christum, & sanctis operibus ad diem illum terribilem se munirent, per quæ sententiam pœnæ æternæ declinantes, gaudii æterni sortirentur sententiam.

15. Atque ex his dictis evicimus nostrum propositum in prima Propositione n. 12. Animas, scilicet, nec de Cœlo, nec de Limbo, ac Inferno commigrare alio, aut inde exire in perpetuum posse, ita ut aut a præmio excidant, aut a decreta pœna unquam absolvantur. Hanc eandem beatam sortem interea dum sperant, Catholici Christo hic militantes, laudant Deum in Sanctis suis, eos assiduo invocantes, eos pio affectu colentes, atque eorum reliquias exosculantes. Qua in re nihil novum agere, & antiquis Christifidelibus inusitatum, probandum est, eisdem calumniis respondendo, & rationibus, quibus Gentiles, Manichæi, Eunomiani, Vigilantiani in temporibus remotioribus, ac in non ita remotis Petrobrusiani, Walden-

ses, & horum germina Lutherani, & Calvinisti hanc piam observantiam impetiverunt. Quod quidem celebres Theologi, qui in tertiam S. Thomæ partem scripsere, & Estius, Stapletonius, Suarius, Bellarminus, Petavius, ac Natalis Alexander egregie] præstiterunt eandem tenentes spartam, quam Isidorus Pelusiota, Asterius, Hieronymus, Augustinus, & alii subinde tenuere Patres, ex quibus, quæ dicenda sunt, depromere animus est.

PROPOSITIO VII.

Sanctorum Invocatio pia est.

1. NOn est igitur nobis cum Acatholicis controversia, sicut non fuit SS. Patribus cum Eunomianis, & Vigilantianis, an Justorum hic superstitum preces ad Deum liceat nobis implorare, scribente Paulo ad Rom. 15. Obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Neque etiam, an præceptum divinum sit, quo fideles ad hanc invocationem adigantur. Quo spectant illa Joannis Chrysostomi verba: non opus est tibi Patronis ad Deum; sed licet solus sis, patronoque careas; omnino tamen voti compos eris. In hoc igitur versatur controversiæ cardo, utrum Angelorum, & SS. hominum cum Christo regnantium sit pia invocatio, atque adeo non illicita? Talem esse Angelorum invocationem probo primo ex verbis Jacobi Patriarchæ filiis suis benedicentis Genes. 48. Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Et ex illis Joan. Evangelistæ Apocal. 1. Adprecantis fidelibus pacem: Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & a septem Spiritibus, qui in conspectu Throni sunt: quæ deprecatio quid aliud est, quam Angelorum Throno adstantium invocatio pro gratia, & pace Christianis a Deo obtinenda?

2. Talem etiam esse SS. hominum invocationem constat ex citato textu Genes. 48. sic se habentis: & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Isaac. Ex Exod. cap. 32. ubi Deum sic precatur Moyses: Recordare, Domine, Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum. Et 2. Paralip. cap. 6. Memento misericordiarum David servi tui. Et ex Oratione Juvenum Nabuchodonosoris edicto missorum in fornacem: neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel Sanctum tuum. Deinde id probo: Sanctos orare pro nobis, constat ex Scriptura: ergo id pro nobis facere, & desiderare possumus, & postulare; sed hoc est Sanctos invocare ad officium sanctum, & Deo placens: ergo

go & invocatio ad illud pia erit, & sancta. Antecedens probatur primo ex verbis Jeremiæ cap. 15. a Deo ipsi nunciatis. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Quibus verbis ne ineptum, & Deo indignum sensum adscribamus, ex eis deducere oportet, Sanctos, etiam qui hinc commigrarunt, nobis suis orationibus patrocinari, ac pro viventibus orare. Argumenti hujus vi, ac energia sic se premi sensit Calvinus, ut ei solvendo, hanc miserandam paraphrasim textui adsuerit: si steterint coram me duo viri Moysi, & Samueli virtute pares, illos pro Populo supplicantes non audiam. Certe Hagiomachis illis antiquis Eunomio, & Vigilantio pulchrum glossema in mentem oportet non venisse, quum verba illa a SS. Patribus eos impugnantibus, non aliter ac a nobis explicentur, & intelligantur, a S. Hieronymo, scilicet, in Jeremiæ Commentario, a S. Chrysost. in Homil. 1. in Epist. ad Thessalon. ab Eusebio Cæsariensi lib. 12. de Præp. Evang. & a S. Greg. lib. 9. Moral. cap. 9. Secundo probatur antecedens ex Apocal. 5. ubi dicitur: Viginti quinque Seniores (sane non tunc vivi) ceciderunt coram Agno, habentes singuli Citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Accedit, S. Petrum, quem caput Ecclesiæ, & Pastorum Pastorem Christus Dominus posuerat, orationes suas, ac patrocinium fidelibus post obitum polliceri Epist. 2. cap. 1. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. Quid? Dives Epulo (Luc. 16.) e mediis flammis pro salute suorum fratrum orabat; & Sancti complexu Dei beati pro suis fratribus non orabunt? Quis etiam sibi persuadeat, Martyrum animas oraturas vindictam contra persecutores, (Apocalip. 6.) & pro Amicis non oraturas?

3. Probo tertio cum Bellarmino ex pia invocatione Justorum viventium pro Deo precando ab Etherodoxis admissa, & cujus fidem faciunt, præter verba Pauli ad Rom. in principio posita, illa etiam Dei ad Jobi amicos (Job. cap. ult.) Ite ad servum meum Job, ille orabit pro Vobis: & quæ Apostolus scribit Ephes. 6. 1. ad Thessalon. 5. & 2. ad eosd. cap. 3. Colos. 4. & Hæbræos 13. Probo, inquam, sic argumentans: Per vos viventes pie possunt a viventibus invocari: ergo & mortui mundo, & coram Deo beati. Quidni igitur? Quia nolunt bene facere? Hoc non: quum sint majori præditi charitate, quam antea, & ut (Cyprianus loquitur in sermone de mortalitate) de sua immortalitate securi, & de nostra incolumitate solliciti. Quia non possunt? Neque id etiam: quia si cum hic erant peregrini, poterant; Cives, & domestici Dei, poterunt multo magis. Quod non sciant, quid oremus? At unde sciunt Angeli conversionem peccatoris, pro qua (Luc. 15.) tantopere gaudent in Cœlis, inde nostras

pre-

preces scient sancti. Quia injuria fit Deo & Christo, si alius quam ipse a nobis invocetur? Neque id vero dici potest, si injuria illis non fit, invocando viventes, quod juxta vos pie, & honeste fit. Quod argumentum, cum nunquam, ut ait Bellarminus, adversarii potuerint solvere, ab impia in Sanctos obstinatione resipiscere tandem par esset. Neque id enim vero prætermittendum est, ut pateat istorum inconsequentia. Sanctos, scilicet, ut Kemnitius, & Saxonica, ac Witembergensis Confessio habent, orare in genere pro Ecclesia ad Deum, atque adeo pro ea non illicite invocari. At pro corpore interpellari eos posse; pro membris non posse, affirmare inficetum, & insanum est.

4. Sed jam istos, si fieri potest, auctoritate Conciliorum, & Patrum traditione contineamus. Patres enim Concilii Calcedonensis Act. 11. ita loquuntur: Flavianus post mortem vivit: Martyr pro nobis oret. Ejusdem Concilii legitur veluti appendix Epistola Episcoporum Europæ ad Leonem Imperatorem, in qua hæc habes: Sanctissimum vero Proterium in Choro & Ordine SS. Martyrum ponimus, & ejus intercessione misericordem, ac propitium Deum habere postulamus. Et in VI. Synodo Generali Cap. 7. sic: Deo solo Creatore adorato, invocet Christianus Sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem Divinam dignentur. Et in VII. Synodo Act. 6. in fine sic: Cum timore omnia agamus postulantes intercessiones Incontaminatæ Deiparæ, item SS. Angelorum, omniumque Sanctorum. Idem habes in Concilio Gerund. cap. 3. in Aurelianensi I. cap. 29. in Moguntino sub Carolo Magno cap. 33. in Toletanis V. & VI. cap. 2. & in Bracar. II. cap. 9. Omnibus quidem celebratis ante annos plusquam mille. Adde factum S. Gregorii, qui, ut legitur in ejus vita cap. 42. & apud Walfridum Strabonem, Litanias indixit tempore pestis, quas Concilia laudata vocant *Invocationes Dei & Sanctorum*.

5. Neque vero aliud in his Conciliis, quam Traditio ab Apostolicis temporibus per Patres & Græcos, & Latinos ad illa usque transmissa confirmabatur. Nam ut a Græcis incipiam, S. Iræneus lib. 5. cont. hæres. Et sicut Eva, inquit, seducta est, ut effugeret Deum; sic Maria suasa est obedire Deo, ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata. Quid pro intercessione clarius? S. Dionysius cap. 7. Eccles. Hierar. Nam profecto idem fit, ac si quis sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens solaris luminis particeps fieri postulet; sic impossibilium superflua spe ille suspectus est, qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit. Eusebius lib. 13. Præp. Evang. cap. 7. Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tan-

quam

quam Viris Sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur. Basilius de concursu ad sepulcra Martyrum Epist. 95. (alias 26.) Gregorius Nazianz. Orat. in Cyprian. Basilium, & Athanasium. Cyrillus Hierosolym. Cathec. 5. Mistogog. S. Ephrem Syrus sermone in SS. XL. Gregorius Nissenus Orat. in S. Theodorum, Theodoretus in Histor. SS. Patrum, Damascenus lib. 4. de fide cap. 16. Theophylactus in cap. 2. ad Hæbreos, aliique, etiam ex eis, qui schismate a Romana Ecclesia divulsi, dogma hoc antiquum servant, ac tuentur, ut ex Synodis patet ab eis contra Calvinistas coactis.

6. Ex Latinis primus occurrit S. Cornelius Papa in 1. Epist. quæ est de Translatione SS. Corporum Apostolorum, ubi: orantes, inquit, Deum, ac Dominum nostrum Jesum Christum, ut intercedentibus Sanctis suis Apostolis, maculas vestrorum purget peccatorum &c. S. Hilarius in Psal. 129. Intercessione Angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra. Missi enim sunt propter eos, qui hæreditabunt salutem. Deo nihil ex eo, quod agimus, ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum, & promerendum spiritualis intercessionis ministerio indigente. S. Cyprianus serm. de Mortalit. supra allegatus, S. Ambrosius lib. de Viduis, Hieronymus contra Vigilantium, & in Epitaphio S. Paulæ, Paulinus in fine Panegyrici S. Celir. Prudentius in Hymnis de Sanctis, S. Aug. Serm. 17. de Verb. Apost. & Serm. 94. de diversis, S. Fulgentius serm. de Laudibus Mariæ, S. Leo serm. 1. de Epiphan. S. Gregorius M. lib. 2. Dialog. cap. ult. & Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum, S. Anselmus lib. de Excellen. Virginis Mariæ, S. Bernardus serm. 2. sup. Missus est. Et quis non?

7. Magnum dogmati huic pondus addunt miracula, quibus Sancti sæpissime demonstrarunt, & hodie dum demonstrare non cessant, preces se viventium audire, & posse, ac velle eos juvare, a quibus invocantur. Super miraculis antiquorum temporum legenda est Epistola Nili recitata in Synodo VII. Theodoretus in Histor. lib. 5. cap. 24. Ambros. serm. 90. Augustinus de Civit. lib. 22. cap. 8. aliique. Ea tamen miracula non debent omitti, quæ in confirmationem Catholicæ Doctrinæ, & hæresis contrariæ dedecus a S. Bernardo leguntur facta in ejus vitæ lib. 3. cap. 5. Cum enim S. Abbas apud Tolosam contra illam prædicaret, panes a Populo oblatos signo Crucis benedicebat iis verbis: in hoc scietis, vera esse quæ a nobis; falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri, gustatis panibus istis, adepti fuerint sospitatem. Et cum Episcopus Carnotensis, qui aderat, diceret, si bona fide sumpserint, sanabuntur: B. Bernardus addidit: non hoc ego dixi; sed vere quicumque gustaverint, sanabuntur, ut veros nos, & veraces Dei nuncios esse sciatis. Et subjungit Biographus:

phus: tam ingens multitudo languentium, gustato illo pane, convaluit, ut per totam Provinciam verbum hoc divulgaretur. En miracula perpetrata, & quidem plurima, non ad merita S. Abbatis confirmanda, sed verum *Invocationis* dogma.

8. Jam argumenta adversariorum proponamus, & solvamus. Primo, Pia invocatio esse non potest, quæ redundat in injuriam Dei; talis est Sanctorum invocatio: ergo. Prob. min. juxta illud ad Rom. 10. Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Solus est invocandus, in quem credimus; hic autem Deus est, non Sancti, nisi eos Deos cum Gentilibus faciamus, quod impium est: ergo invocatio Sanctorum pia non est. Hoc de Sanctis sentientes damnat Ambrosius in cap. 1. ad Rom. reos, dicens, majestatis, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino, servos adorant. Respondeo: nullam injuriam Deo fieri, invocatis Sanctis ut amicis suis, & nostris Patronis: sicut, ne dum injuria, sed honor fit Regi, cum sui intimiores Aulici honorantur, & rogatores ad illum mittuntur. Et si Deo injuria non fit, quum a viventibus orationes postulamus, & postulavit Apostolus ad Rom. 15. & Centurio, qui ad Christum senioribus Judæorum nuntiis usus est: qua ratione injuriam ei faciet, qui Sanctos jam Beatos apud illum interponit? Locus, qui opponitur Pauli, de invocatione loquitur, ut Dei: dixerat enim: Omnis, qui invocaverit Nomen Domini salvus erit. Sed revera, sicut Deum invocare non potest, qui Deum esse non credit; ita Sancti invocari nequeunt ut amici Dei, nisi tales esse credantur. Porro invocationis nomen non Deo soli aptatur in Scripturis. Jacob enim Genes. 48. dicit: invocetur nomen meum super pueros hos, & nomina Patrum meorum. Nec item nomen fidei: dicit enim Apostolus in Epist. ad Philem. Gratias ago Deo meo audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes Sanctos. Super quo loco S. Hieronymus prolixe ostendit, etiam in Sanctos haberi debere fidem. Quod ex Ambrosio adducitur, probat contra Æthnicos, quos ibi impugnat, creaturas non esse adorandas ut Deos: & quis Catholicorum dicit contrarium? At non dicit: Sanctos, qui etiam creaturæ sunt, non esse colendos & interpellandos, ut Dei Amicos: & hoc solum dicunt Catholici.

9. Secundum Argumentum. Unus est Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus: (1. ad Timot. 2.) ergo non sine Christi injuria, ut tales, Sancti invocantur. Si enim (ait Augustinus lib. 2. cont. Parmen. cap. 8.) esset mediator Paulus, essent utique & cæteri Apostoli ejus, & sic multi mediatores essent: nec ipsius Pauli constaret ratio, qua dixerat: unus Deus, unus mediator Dei, &c. Respondeo, nomen Mediatoris non esse tale, ut in Scripturis ab omni

alio

alio præterquam a Christo Jesu, removeatur. Ego enim (inquit Moyses Deuter. 5. cap. 5.) sequester & medius fui inter Dominum & Vos. Et Paulus ad Galatas 3. v. 19. dicit: Legem fuisse ordinatam per Angelos in manu Mediatoris, id est, Moysis. Nos vero Sanctos invocamus, non ut immediatos Intercessores & Mediatores ad Deum, sed tanquam ad eos, qui quidquid nobis impetrant, per Christum impetrant, Mediatorem summnm titulo Redemptoris, utpote qui dedit Redemptionem semetipsum pro peccatis nostris. Unicumque ratione Naturæ: quia, cum solus ille sit Deus & Homo, medius suapte natura est inter Deum & hominem, ut notavit Cyrillus lib. 12. Thesau. cap. 10. Cæterum id non tollit, quin, alia minus stricta ratione, at virtute ab ipso Deo participata, sint Sancti apud ipsum Mediatores. Tres enim personæ discernendæ sunt, cum Deum oramus. Una ipsius Dei, a quo, ut ab Auctore bona omnia petimus. Secunda Christi, per cujus merita ea nobis petimus concedi. Tertia ejus, qui a Deo per Christum pro nobis illa precatur. Primam & alteram Personam Sancti facere nequeunt; restat igitur illis, tertiam ut faciant. Has tres Personas, distinctasque earum partes egregie expresserunt Tridentini PP. sess. 25. in Decreto de Invocat. SS. sic: Bonum, ac utile est suppliciter eos (Sanctos) invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum Nostrum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Quod praxis Ecclesiæ confirmat, nullam gratiam a Sanctis aut in Missa, (lib. 6. prop. 14. n. 6.) aut in officio precantis, quam ipsi a se conferant, sed quam a Deo obtineant per Christum Mediatorem. Porro Mediatoris nomine sic explicato, absque ratione offenduntur Acatholici, Sanctis etiam a nobis tribui, partim, quod ut dictum est, ipsi etiam viventibus justis illud non recusent, partim, quod a Paulo Moysi tribuatur, ac tandem quod nomina, quæ soli Deo, ac soli Christo adscribuntur in Scripturis, hominibus communicare non detrectant Scripturæ ipsæ; tanquam perfectiones a Deo & Christo participatas significantia. Sic in illis dicitur: solus Deus Verax, & nemo Bonum, nisi solus Deus: unus est Pater noster, qui est in Cœlis. Sic Christus prohibet vocari Magistros, quia unus est Magister noster, & nomen lucis sibi proprium dicit. Tamen homines bonos, veraces, Patres, Magistros absque Dei injuria appellamus. Christus ipse Apostolos appellavit Lumen Mundi; & S. Paulus sine Christi injuria, 1. ad Corint. cap. 9. scripsit: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Quod nihil aliud est, quam Salvatoris nomen sibi aptare, at diversa, ac inferiori ratione ab ea, qua Christo convenit: qua inferiori, ac diversa ratione cur nomen *Mediatorum* negetur Sanctis? S. Augustinus, qui ab ad-

versariis contra nos allegatur, scopum toto Cœlo diversum sibi in illis verbis proponit. Impugnat enim Parmenianum, qui utpote Donatista, gratiam Sacramenti a sanctitate Ministri pendere dogmatizabat: ex quo deduci necesse erat, Ministrum, perinde ac Christum, Mediatorem esse apud Deum. De cætero S. Doctorem cum nobis sentire palam fit ex loco in probationibus citato, & aliis videndis apud Bellarminum, & Petavium.

10. Tertium argumentum. Sancti jam defuncti non sciunt viventium preces: frustra igitur invocantur. Antecedens probare intendunt ex illo 3. Reg. cap. 8. Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. Ex illo Job. 14. Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelligent. Ex illo Eccles. 9. Viventes sciunt se morituros; mortui vero nihil noverunt amplius. Et ex illo 4. Reg. cap. 22. ad Josiam Regem. Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum in locum istum. Atque ex Greg. Nazianz. qui in fine orationis ad Gorgoniam sororem, sic eam alloquitur: Si aliqua nostri sermonis est ratio, & hoc sanctis animis a Deo munus, ut talia resciant, suscipe nostrum sermonem. Ex Orig. qui lib. 2. in Epist. ad Romanos eodem dubitantis tenore loquitur. Si extra corpus positi vel Sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid, vel laborant pro nobis ad similitudinem Angelorum &c. Respondeo cum Bellarmino hic: hujus argumenti nec esse bonam consequutionem, nec verum id, quod assumitur. Itaque primum consequutio negari potest. Nam cum certum sit ex tot Patrum testimoniis, ac ex tot miraculis eos, qui Sanctos invocant, ab ipsis exaudire, & obtinere quod petunt; non frustra sane invocabuntur; etiam si demus, eos neque audire, neque cognoscere nostras preces: sicut non frustra Regem supplicat, qui scit supplicem suum libellum non esse lecturum Regem, sed alium aliquem ex illius aula. Deinde verum non est, Sanctos nescire quod ab illis exoramus; licet dubitari possit de modo, quo res nostras cognoscant, an per Angelos, an per se ipsos, se nobis sistendo, an per Dei revelationem, quemadmodum S. Augustinus lib. de cura pro mortuis gerenda, & S. Hieronymus contra Vigilantium, cœteroqui assertores iidem strenui Invocationis Sanctorum, suo quisque modo opinatus est. Enimvero hoc fuit in omni ætate solemne Acatholicis, & Incredulis, ut veritatis, quam recusant credere, rationem quærerent. Quod in Homil. 24. in cap. 3. Joannis. S. Chrysostomus exprobrabat his, qui ne crederent Incarnationis Misterium suo illi πως, id est, *quomodo*, tanquam latebræ se retrahebant, ratiocinationum suarum imbecillitati, ac curiositati Dei arcana subjicientes. At, pergit S. Doctor, neque *quomodo* illud intelligent, qui talia percontantur, & ab recta fide insuper excident.

11. Tno-

11. Theologi vero, post longam discussionem illius *quomodo* sciunt, & cognoscunt Cœlites precantium orationes? Respondent: *in Verbo, tanquam in Speculo*. Neque id quidem temere, sed ex Patrum doctrina. S. enim Athanasius lib. ad Marcellinum, hunc adhortatur, ne Psalmorum verba immutet, ut Sancti, qui scripta hæc administrarunt, agnoscentes ea verba pro suis, nobiscum orent. Theodoretus de curandis Græcorum affectionibus, eos, qui credebant, Martyres nullum sensum habere eorum, quæ in terra geruntur, refutat ex eo, quod divina quadam & beatissima in sorte constituti sunt. S. Gregorius Moral. lib. 12. cap. 13. De Sanctis, inquit, animabus, quæ intus Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quod foris sit aliquid, quod ignorent, nempe, quod eorum interest scire, & ad felicitatis suæ statum attinet. Quid? Illam Matutinam cognitionem, quam a Vespertina distinctam dat Angelis B. Augustinus lib. 1. de Angelis cap. 6. ubinam hi habuerunt, prius quam conderetur mundus, nisi in speculo Divinæ Essentiæ? Synodus item Senonensis in decreto 13. dicit: Beatis pervium esse omniforme illud Speculum, in quo, quidquid illorum intersit, innotescat. Ab quo non abludit locus Sap. 7. 25. ubi Verbum Dei describitur juxta antiquos Patres, in Sapientia illa, quæ dicitur Candor Lucis æternæ, & Speculum sine macula Dei Majestatis, & Imago Bonitatis illius. Jam vero a principio suæ beatitatis videre Sanctos omnia, quæ ad ipsos spectabunt in hoc Verbi Speculo, docent multi cum D. Thoma in 3. part. q. 10. art. 2. & in 2. 2. quæst. 83. artic. 4. Alii vero tenent, solum nostras preces cognoscere, cum eas fundimus, Deo illis revelante, a quibus non videtur dissentire idem S. Doct. ibi art. 1. ad 5. De his autem duabus sententiis sic censet Bellarminus: primam, nimirum, esse simpliciter probabiliorem, & Ecclesiæ menti congruentiorem: alteram tamen idoniorem ad convincendos hæreticos, qui Sanctis ante diem judicii visionem beatam negant. Hinc ad omnia manat responsio, quæ ex Scripturis, & Patribus opponuntur. Certum est enim: solum Deum cogitationes cognoscere suapte virtute. Neque id Sanctis damus; sed solum cognitionem earum rerum, quæ a Deo illis manifestantur sive Visione beatifica, sive nova revelatione. Quæ eadem responsio sufficere potest (ne longum nimis faciamus) locis ex Job. & Eccles. adductis. In ultimo ex 4. Reg. quem Molinæus Calvinista adducit, desiderat Petavius to *oculi tui*, quod ommittit Minister, & quo posito, omnis difficultas evanescit. Quod ex Gregorio, & Origene objectat idem Calvinista, eandem solutionem habet. Nimirum, in unoquoque loco particulam *si* non esse dubitantis; sed confirmantis potius, & asseverantis. Tale est *si* illud Apostoli 2. Thessal. cap. 1. Si tamen justum est apud Deum retribuere retributionem illis, qui

vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de Cœlo cum Angelis virtutis ejus. Quem ad locum memoranda sunt verba Chrysostomi ajentis: vox illa *si* hoc loco posita est pro *quoniam*, quod ad res valde certas, & confessas, & quibus contradici nequit, exprimendas, usurpare solemus. Sic usurpavit, atque interpretatus est Servius illud Virgilii in 1. Æneid.

Dii tibi, si qua pios respectant Numina: si quid
Usquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant.

Et illud I. Georg.

Vestro si numine tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

12. Quartum argumentum tale est. Si Beatæ Animæ invocari possunt religiose, possunt & Angeli; at id contrarium est Apostolo dicenti ad Coloss. 2. Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans &c. Neque Synodus Laodicensis hanc observantiam damnasset, ut fecit cap. 35. Neque hoc laudaret Theodoretus, ut facit, hunc textum Apostoli elucidans. Verum hoc nullius momenti est evertendæ doctrinæ catholicæ. Ibi enim Apostolus damnat hæresim Simonis Magi, qui Platonicos sequutus docebat, adorandos esse Angelos tanquam minores Deos, qui mundum fabricassent, & per Prophetas loquuti fuissent: Neque nisi per illos summum Deum, invisibilem hunc quidem, posse placari. Ita Irenæus lib. 1. cap. 20. de Hæres. ista loquitur, ita Tertull. lib. de Præscript. ita Epiphanius in Hæres. Simonis. Neque SS. Patres Chrysost. Homil. 7. in Colossens. & Ambrosius, neque Œcumenius & Theophilactus hunc locum exponentes, aliter illum interpretantur. Theodoretus ipse, qui contra hic allegatur, clarissime omnium docet, in illo Simonianos notari: atque Laodicensis Synodus laudata Idololatriæ damnat illos, qui huic religioni impiæ dant operam, ibi cap. 35. Non oportet Christianos, dicens, derelicta Ecclesia, abire, & ad Angelos Idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. Quicumque autem inventus fuerit occulte huic Idololatriæ vacans, anathema sit: quoniam derelinquens Dominum Nostrum Jesum Christum, accessit ad Idola. Quid autem habet hæc Idololatriæ invocatio, quæ Angelos honorat, ut Deos, cum nostra, quæ illos colit, ut Creaturas, sed charas Summo bonorum Datori Deo?

Deo? Sed ſibi iſti ſingunt hoſtem, quem feriant, uti videbimus, cum de mendaciis dicemus Hæreticorum.

13. Quintum argumentum. Quis ſit invocandus, Chriſtus nos docuit verbo, & exemplo. Illo, cum, orantes, inquit, Matth. 6. & Luc. 11., dicite: Pater noſter, qui es in Cœlis. Exemplo, cum Joann. 12. clamavit: Pater, clarifica me, & ejuſd. 17. Pater, venit hora &c. Ubi hic, vociferant Magdeburgenſes, ubi Angeli, ubi mortui homines? Et ego replico: ubi hic Filius, ubi Spiritus Sanctus? Utrumque tamen vos dicitis poſſe, & debere invocari. Ut igitur Chriſtus verbo, & exemplo ab hac duplici invocatione ſuos non retrahit, ita nec ab invocatione Angelorum, & Sanctorum beatorum. Accedit, Chriſtum docentem orare Apoſtolos, non de illo, qui erat orandus, ſed de rebus, quas oraturi erant, eos inſtruere voluiſſe. Sciebant enim illi, ſolum eſſe orandum Deum, ut Auctorem, atque Datorem omnis boni, ſed de modo orandi, & de rebus, quæ ſancte poſſent a Deo peti, ambigebant, ideoque eum rogant Luc. 11. Doce nos orare.

14. Sextum argumentum. Sancti Deo fruentes, nequeunt ſibi novum aliquid impetrare, ac mereri: ergo neque nobis: præmio enim meritorum accepto, nihil illis debetur amplius. Reſp. Ex novis meritis certum eſt, Beatos nihil ſibi, & nobis mereri poſſe; at eſt falſum, non poſſe & ſibi gloriam corporis, & nobis, quæ orando petimus, & mereri, & impetrare. Ad præmium vero, quod ex meritis acceperunt, pertinet, ut tanquam Amici Deo adſtent, & ut eorum preces Deo ſint acceptabiles. Quemadmodum Ducem ſtrenuum, qui fortiter ſuo Regi militavit, non ſolum hic cumulat honoribus, & divitiis, ſed ad ſe amanter recipit, & gratias, quas aliis petit, benigne, jucundeque concedit.

15. Septimum argumentum. Quamvis invocatio SS utcumque tolerari poſſet; non tamen, inquiunt, quæ apud Papiſtas in uſu eſt. Invocant enim primo, non modo non Sanctos, ſed neque homines: ubi enim unquam fuerunt Euſtachius, Chriſtophorus, Georgius, Catharina, aliique? Invocant ſecundo Sanctos Æthnicorum more, hanc ab uno gratiam petentes, hanc ab alio: unum contra peſtem interpellantes, alterum contra dolorem dentium; quaſi Deus non poſſet per quemlibet ſua bona diſpenſare, & concedere cujuſcumque ſint generis. Nec ceſſant.

Hanc veterem e limo ranæ renovare querelam.

16. Sed utramque injuſte & inficite. Ad primum reſpondeo, hiſtorias

ali-

aliquas esse incertas, & apocryphas quorundam Sanctorum, non probat, eos nunquam fuisse. Hac enim ratione dici etiam posset, non fuisse unquam Apostolos, quod acta eorum ab Abdia & aliis texta sublestæ sunt fidei. Certe Gelasius Papa in Can. Sancta Romana distin 15. historiam Sancti Georgii numerat inter apocryphas, & tamen S. Georgium colendum esse, affirmat. Quia historia, quæ alicubi in usu est, apocrypha esse potest; consuetudo vero universalis Ecclesiæ talis esse non potest: nominatorum autem Sanctorum memoria in Ecclesia celeberrima est; sed quid istis hominibus prodest argumentum? Dato enim, nec concesso, paucissimos e Sanctis non esse colendos, quod eorum sint acta apocrypha; Sanctissimæ Mariæ Deiparæ, Joan. Baptistæ, ac Evangelistæ, Petri, Stephani, & aliorum, quæ in Evangelio narrantur, talia non sunt: eos igitur omnes, & alios, quorum historiæ fidei dubiæ non sunt, pie ac sancte invocabimus, quod æque impotenter blasphemant. Ad secundum dico: morem Æthnicorum objicientes nobis Heterodoxi ostendunt, quorum Patrum sunt genimina. Idem enim calumniabatur Julianus Apostata apud Cyril. lib. 6. in eundem: Manichæi apud Augustinum lib. 2. contr. Faust. & Vigilant. apud Hieronymum: nempe, Christianos convertere suos Martyres in Idola, & eos similibus votis colere. Porro quid cum Æthnicis habet commune, quod Deum omnium bonorum Largitorem, ea largiatur ubi, & per quos vult? Quis ei dicere potest: cur ita facis? Audiatur S. Augustinus in Epist. 137. ad Clerum, & Populum Hipponensem: Ubique quidem Deus est, & nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia. Verum tamen quis potest ejus consilium perscrutari? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quò volui, ut pergerent: (duo Clerici) quia inde nobis facilius, fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Nunquid non est Africa SS. Martyrum corporibus plena? Et tamen hic nescimus, usquam talia fieri. Sicut enim, dicit Aopstolus (1. ad Corint. 12.) non omnes Sancti habent dona curationum, non omnes habent dijudicationem Spirituum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique, sicut vult. Adde, quod licet quidam Sancti aliquo miraculi genere magis clarent interdum quam alii, ab omnibus tamen omnia petimus, fruimurque eorum intercessione cupitis, & ab illis petitis: neque ita ab uno hanc gratiam petimus singularem, ut non etiam credamus per alium, & alios obtineri eamdem posse.

17. Octavum denique argumentum, quod a Dallæo Calvinista opponitur, est hujusmodi. Quod a primis sæculis inusitatum fuit in Ecclesia Dei, imprudentiæ potius, & superstitionis, quam veræ pietatis effe-

effectus est; talem vero esse invocationem & Deiparæ, & Sanctorum: ergo. Probat primo ex eo, quod primis quator sæculis nec Episcopi, nec Presbyteri verba facientes ad Populum, aut *Ave Maria*, aut Orationes ad Divos e suggestu præcipiebant, ut hodie fit a Papistis, suis auditoribus, quod ex Cypriani operibus constat, & ex Origenis Homiliis. Secundo ex eo, quod Litaniæ, seu supplicationes, quæ in solemnioribus Cæremoniis, in tribus temporibus, & publicis necessitatibus usurpantur, veteribus Christianis fuerunt penitus ignotæ. Tertio ex eo, quod scribentes per illa sæcula Encomiastica Martyrum, non se illis commendabant, ut nunc plerumque fit, sed Deum pro conficiendis orabant, & agebant gratias pro confectis. Hæc Dallæus; sed non videt Sectarius homo in hoc argumento, quod majori fastu, quam par est, proponit, se modum invocandi Beatam Mariam, & Sanctos, (qui mere disciplinæ est) cum dogmate & fide (quæ immobilis, & irretractabilis est, ut Tertulliani verbis utar) confundere. Sane sicut omnibus Gentibus persuasum fuit semper & ubique, singularem, ac eximium honorem esse Regibus deferendum: neque tamen ab omnibus, neque ab unius Nationis hominibus hi semper eadem ritus ratione honorati sunt; ita, & si primis Christianismi sæculis vel non ita frequens, vel non eodem ritu facta fuerit Sanctorum invocatio; certissimum tamen fuit Christianis omnibus, Deiparæ Virginis invocationem, & Cœlitum piam esse, atque per utilem. Quomodo enim posteriorum sæculorum Patres & Concilia hanc invocationem & celebrassent, & propagassent, nisi a majoribus traditione accepissent? Nisi Minister iste velit, per illos fuisse mutatam fidem Ecclesiæ, nullo reclamante, quod nedum impium est, sed etiam dictu insanum & incredibile. Unde potius ab Apostolis catholica hæc invocationis observantia derivasse credenda est, juxta celebrem Augustini sententiam: Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. Quo posito, quod *Ave Maria* mandetur audientiæ suæ a Concionatoribus Sacris: quod Litaniæ posterius usurpari cæperint: quod Biographi Martirum ab eis ad scribendum non imploraverint opem, & alia id genus, non ad dogma Invocationis, sed ad disciplinam pertinet, quam pro opportunitate immutari, quum pietas, & bonum commune id exigit, insolitum in Ecclesia nunquam fuit. Neque abusus, qui apud privatos aliquos, aut in aliqua particulari Ecclesia aut sint, aut aliquando fuerint, Ecclesiæ Universali adscribi debent, quæ sicut dogmatis Invocationis tenax est, ita studet sollicite abusus supprimere, & omnia ad ordinem debitum revocare.

CO-

COROLLARIUM

18. Is tamen Zelus, & Sapientia Ecclesiæ Romanæ, quibus etiam vigebat, cum ab illa Lutherus, & Calvinus recesserunt, non eos tenuit, quin tanquam Idololatriæ ream, illam injuriarum plaustris traducerent; adeo ut, ait Bellarminus in Præfatione ad Libros de Ecclesia Triumphante, ex tam multis, quæ in ea reprehendere ausi sunt, nihil sit, quod magis exhorreant, & execrentur, quam Invocationem Sanctorum, Reliquiarum Cultum, Imaginum Venerationem. His enim tribus manifestam impietatem, & Idololatriam contineri volunt. Et hoc uno, veluti pallio, discessionem suam a nobis, hoc est, impiam ab Ecclesia Catholica separationem, & defectionem honestissime tegere se arbitrantur. Atque id ita suorum proselytorum animis ab initio impresserunt profunde, ut, quemadmodum refert idem Cardinalis, quærens ipsemet ab homine de schola Calvini perhumano, cæteroqui & candido; quid in nostris dogmatibus Ministri sui potissimum reprehenderent, quaque de causa maxime a reliquo cœtu fidelium, & a majorum suorum vestigiis cum manifesto salutis æternæ periculo discessissent? Eam esse causam præcipuam, respondit, quod nos Sanctos in precibus invocaremus, quodque eo modo divinitatem mortuis affingeremus. At hæc mendacia impudentissima sunt, quibus, atque aliis similibus populum rudem, & simplicem Veteratores Vafri & Impii deludunt.

19. Hæc vero in medio ponere, breviterque refellere, pro simplicioribus saltem, qui fraudis, ac deceptionis rete tenentur non cogitantes, erit operæ pretium. Primum enim, non Sanctis Divinitatem tribuere, id est, vim cognoscendi cogitationes cordium, apertum mendacium est. Nullus enim Catholicorum id aut dicit, aut dixit unquam; sed id solum: Sanctos nostras preces cognoscere, non in mentibus nostris, sed in Deo, quem vident, & qui eas ipse manifestat. Secundum mendacium: ante tempus B. Gregorii non fuisse invocatos Sanctos, nec Beatissimam Virginem Mariam ante tempus Petri Gnaphei, qui floruit an. 480. nube Patrum citatorum confunditur, Irenæi, Athanasii, Basilii, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, omnium Gregorio, & Gnapheo antiquiorum; quique a Centuriatoribus e grege sua citantur Cent. 4. c. 4. & Cent. 5. c. 4. Tertium mendacium: nos in Litaniis & Hymnis nullam Christi mentionem facere, (quod est Calvini Instit. lib. 3. cap, 20.), ita est putidum & insolens, ut fides sola oculorum, & aurium illi refutando abunde sit. Omnes enim Hymni Breviarii, qui Ambrosium, Prudentium, Sedu-

lium

lium plerumque habent Auctores, Glorificatione terminantur: Jesu, tibi sit gloria, aut simili: & Litanias incipimus per *Kyrie eleison*: *Christe eleison*, omnesque orationes, quas per Sanctos ad Deum dirigimus, hanc habent ex usu veteri clausulam, *Per Christum Dominum Nostrum*. Quartum mendacium: nos scilicet habere, & invocare Sanctos ut Deos: tantosque Deos esse apud nos, ut non jam pro numero Urbium, ut dicitur Hierem. 2. de Judæis, sed pro hominum multitudine eorum numerus crescat; manifeste evanescit, lectis Litaniis. Singulis enim Beatis dicimus: *ora pro nobis*: Deo autem quis unquam sic loquutus est? Hoc pacto calumniam istam veterem refutarunt Cyrillus lib. 6. cont. Julian., Augustinus lib. 22. cont. Faustum, & Hieronymus contr. Vigilant. Quintum mendacium: in Concilio III. Cartagin. vetitum a Patribus fuisse, ne in publicis precibus diceretur: S. *Petre, ora pro nobis*. Id enim decretum nusquam reperitur, nisi in impostoris Calvini scriptis. Sextum mendacium: nos ante Catharinæ, & Barbaræ statuas *Pater noster* admurmurare, usumque istum Pastores plausu approbare. At fidelium vel simplicissimis si interrogentur, quid ea precatione ad SS. Virgines velint? se ad Deum, respondent, per illas orationem suam mittere: quemadmodum per aulicos Regi charos huic supplex libellus dirigitur: nonque Statuis id munus committere, sed Divis repræsentatis per illas. Quid autem in eo est, quod approbatione Pastorum dignum non sit, remota calumnia, *nos ad illas tanquam ad Deas, aut ad earum Statuas precem Dominicam dirigere*? Reprehensionem vero illam, quam in nos Calvinus ejaculat, primo a fidelibus ita S. Deiparam vocari, ut jubeat Filio suo facere id, quod precamur. Secundo quod ab eis Sancti vocentur Præsules salutis, quodque ii exorentur, ut e Cœlo eos respiciant, & adjuvent, proxime disjiciemus. Sed observandum, ac præ oculis habendum, quod Gottius post Bellarminum notavit: ne, scilicet, quum dicimus, Sanctos esse invocandos solum, ut pro nobis orent, non vim facere in verbis, sed in sensu. Unde qui Sanctum aliquem invocans diceret: dà mihi salutem, patientiam, juvamen, aperi mihi aditum Cœli; quæ omnia suis meritis, & precibus a Deo obtinere posse credat; non est, in quo reprehendatur, cum similibus verbis Cyprianum, Athanasium, Basilium adloquatur jam mortuos Nazianzenus, ut alios Patres taceam. Invocationes vero alias aut inconcinnas, aut nimias, quibus sæpe devoti minus docti utuntur, excusantur a sapientioribus ex bona dicentium fide, sed ab Ecclesia non approbantur.

SCHOLION.

20. Assertionem hanc catholicam: *Sanctos pie, utiliterque invocari*, alia solet præcedere: *Sanctos regnantes cum Christo pro nobis & generatim, & in particulari orare*. Sed cum prima posita, altera descendere sponte ex illa videatur; cumque utraque eisdem fere innitatur fundamentis, eisdem etiam armis, ac machinis defendatur ab hæreticorum impugnationibus; non est, cur operam in ea fusius elucidanda perdamus. Sanctus vero Thomas, vas nobis adhibendus est, qui in 4. dist. 15. qu. 4. art. 6. quæstiun. 2. ita loquitur: Quidam hæretici dixerunt, quod Sancti non possunt nos juvare, orando pro nobis, quia unusquisque recipit secundum ea, quæ gessit. Sed hoc est contra articulum fidei, qui est Sanctorum Communio, quæ per charitatem fit. Et ideo, cum etiam Sanctis, qui sunt in patria, sit perfectissima charitas, competit eis pro nobis orare, non autem pro se, quia omnia eis ad votum succedunt. Deinde, si Beati, qui nihil conferre ex suo possunt, sancte invocantur, ad quid hæc invocatio, nisi quia optata bona a Deo obtinere, eos orando, credimus?

PROPOSITIO VIII.

Sanctorum cultus pius, & Sanctus est.

1. Pium, ac *Sanctum* cultum Sanctorum dico: non *Lautreticum*, non Civilem, sed medium inter utrumque, quem *Duliæ* nomine donant Authores Ecclesiastici. Licet enim δουλεία, & λατρεία servitutem significent, istâ mercenaria quædam, imo municipalis servitus indicabatur, qualis eorum erat, qui bello capti essent, & subhastati, & omnino usui, & dominio dominorum destinati, non jam sui juris ipsorum, sed domini. Derivatur enim λατρεία (latria) a verbo τρεῖν, quod est, tremere, & a λα particula augmentiva apud Græcos. Δουλεία (dulia) vero, qua non mercenaria, sed honoratior servitus adumbratur, usu ecclesiastico recepta est ad venerationem religiosam significandam, quam Beatis, Angelisque tribuimus. Unde Idolorum cultus, quo soli Deo debitus honor ad opera manuum hominum transfertur, nunquam a nascente Ecclesia *Idolodulia* a quoquam nominatus fuit, sed *Idololatria*. Neque Dulia hac intelligimus cultum *Civilem*, sed civili multo superiorem. Licet enim uterque excellentiam personarum respiciat; civilis excellentiam humanæ dignitatis; cultus autem Sanctis impensus excellentiam reveretur, quæ ex

sin-

sanctitate, & donis supernaturalibus derivatur; dirigiturque ad illos, non jam ut amicos terreni principis, sed ad eos ut veræ pietatis milites, Deique amicos, ut in Synodo 7. act. 2. habetur, eosque veneramur, & colimus, ut ex Epist. Adriani Papæ ad Constant. & Iren. monstrat Suarius in 3. p. tom. 1. disp. 52, quod Dei servi sint, & apud Deum pro nobis intercedant. Hæc vero triplex excellentia, quæ ex dictis resultat, Infinita, scilicet, Humana, & inter utramque Media, supernaturalis, nimirum, & humanæ oppido superior, quæ in Scripturis honore donata sæpius scribitur: *Cultus* nomine indiscriminatim legitur honorata (latino sermone alia distinctiora nomina non suffragante). Dicimus enim colere (ait Augustinus de Civ. lib. 10. cap. 1.) etiam homines, quos honorifica vel recordatione, vel præsentia frequentamus. Nec solum ea, quibus nos religiosa humilitate subjicimus, sed quædam etiam, quæ subjecta sunt nobis, coli perhibentur. Nam ex hoc verbo & *Agricolæ*, & *Coloni*, & *Incolæ* vocantur: & ipsos Deos non ob aliud appellant Cœlicolas, nisi quod Cœlum colant, non utique venerando, sed inhabitando. Et concludit: Ac per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo, propria quadam notione verbi hujus, omnino verissimum est; sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, ideo latine uno verbo significari cultus Deo debitus non potest. Atque perinde accidit in inferioribus cultibus, qui & vivis, & defunctis ob singulorum excellentiam exhibetur.

2. Hic vero cultus, non univocus, sed analogus ob differentes species adorationis (quæ ex S. Thom. 2. 2. qu. 103. art. 1. testificatio quædam est excellentiæ alterius) tribus actibus continetur: intellectus nempe, quo pretium apprehendimus personæ: voluntatis, quo ad eam inclinamur, & aliquid præstare ei vellemus in signum nostræ existimationis, & submissionis: ac tandem actu externo, quod verbum ipsum *Adoratio* innuit, quemadmodum lib. 6. prop. 13. dictum est. Ex his tribus actibus solus secundus proprius maxime est, & essentialis adorationi. Atque hunc Beatis convenire, ex eo constat, quod Spiritus cum sint & Angeli, & animæ sanctæ, qui in Deo vident, quæ ad ipsos pertinent, & ad nos, spiritualibus mentis actibus coli eos oportet, sicut & orari, & invocari. Et cum externis illos actibus colere deceat, ut Ecclesiæ omnium sæculorum usus semper tulit, quod & monstrabimus; ex illis facile non est cultus species distinguere, dempto sacrificio, quod Deo soli fit. Qua super re audiendus D. Thomas 2. 2. qu. 84. art. 1. ubi ait: Deo debetur reverentia propter ejus excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur, non secundum æqualitatem, sed secundum aliquam participationem.

Et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad Latriam, & alia veneratione aliquas excellentes creaturas, quod pertinet ad Duliam .... Et quia ea, quæ exterius geruntur, signa sunt interioris reverentiæ, quædam exteriora ad reverentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum est adoratio. Sed aliquid est, quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium. Quod & Augustinus dicit 10. de Civit. cap. 4. Secundum excellentiam ergo, quæ creaturæ excellenti debetur, Natan adoravit David; secundum reverentiam, quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem, ut dicitur Esther. 3. Et similiter secundum reverentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adoravit Angelos, & etiam Josue, ut legitur Josue 5. Secundum autem reverentiam, quæ debetur Deo, prohibitus est Joannes Angelum adorare, Apoc. ult. tum ad ostendendam dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, ut Angelis æquetur; unde ibi subditur: Deum adora.

3. Noto tamen, quod licet Beati dici possint aperte a nobis adorari, quum in Scripturis non modo Angeli, sed & homines adorari dicantur; quia tamen vox *adorare* a Patribus, & Theologis, sicut & vox *Latriæ* cultui soli Deo exhibito adaptatur; nos de Sanctis agentes *cultus* verbo utemur, & venerationis, quo quidem utitur Trident. sess. 25. in decreto super hac re, cui titulum præfigit: de Invocatione, & Veneratione Sanctorum. A verbo autem *Religiosus* non est cur tam scrupulose caveamus. Licet enim religiosus cultus, utpote a religionis virtute elicitus, primo soli Deo conveniat; secundario tamen, ut ab eadem virtute imperatus, opportune aptatur Cœlitibus. Quem loquendi modum usurpavit etiam Amelius Heterodoxus tom. 2. Bellarmini enervati lib. 6. cap. 5. ubi ait: Honorandæ sunt creaturæ ex religione erga Deum, non ex religione erga ipsas. Religio (ut Scholastici loquuntur) imperat, non elicit istum honorem. Et Grotius contra Rivetum pag. 43. Religiosus est honor, inquit, qui soli Deo defertur: & Religiosus est, qui ob Deum defertur Angelis, & Apostolis. Neque enim is honor ad civilem, communemque vitam pertinet.

4. Prolixius hæc, quam pro more nostro dicta sunt. Cum enim in re tam rationi, Scripturis, & usui Ecclesiæ conformi perpauca habeant ab ea Exgreges, quæ specie probabilitatis opponant, & ad litigia vocalia, tanquam ad subterfugia conferant se, ut bellum in Sanctos Dei producant, quod tanta rabie ab initio defectionis fecerunt, & hodie dum facere non desistunt, avaritia eorum impietatem fovente; Epitome vocum, & earum significationis, & usus præmittenda

da fuit, quo sine offendiculo in hoc de cultu Sanctorum argumento nunc, & deinceps de cultu Reliquiarum, nostra liberius & expeditius decurrat oratio.

5. Jam vero propositio nostra contra eosdem adversarios, quos in præcedenti oppugnavimus, probatur primo ex Scripturis. Genes. enim 18., & 19. Abraham, & Lot exhibentur Angelos adorantes. Josue 5. sic refertur: Apparuit ei Angelus in specie viri habens in manu gladium, cui dixit Josue: noster es, an adversariorum? Et ille, nequaquam, sed princeps sum exercitus Domini. Continuo cecidit Josue pronus in terram, & adoravit. Judic. cap. 13. Manue, & uxor ejus cum vidissent, & cognovissent eum, qui eis fuerat loquutus, esse Angelum, proni ceciderunt in terram. Num. 22. Balaam pronus in terram adoravit Angelum. Et quod ad homines pertinet 3. Reg. cap. 18. Abdias adoravit Eliam, quia Sanctus erat, & Propheta Domini, & ob eandem causam 4. Reg. cap. 2. filii Prophetarum adorarunt Elisæum. Ac tandem 1. Reg. cap. 28. Samuel jam mortuus (& verus quidem, ut suo loco probatum est) adoratus est a Saule Rege: neque hujus adorationis, ut indebitæ, fuit ab illo reprehensus. Deinceps hunc cultum, tanquam ex divina institutione descendentem, nobis transvexit a principio Ecclesiarum Traditio, cujus primum testem afferimus S. Justinum Mart. qui in Apolog. 2. ait: Hunc, (ipsum Patrem) & ab eo profectum Filium, a quo ista perdocti sumus: nec non aliorum ipsum sequentium, & ad ejus conformatorum similitudinem, bonorum, scilicet, Angelorum exercitum: Spiritum quoque Propheticum colimus, & adoramus, sermone, & veritate honorem deferentes. Traditionis Ecclesiæ Smyrnensis transvexit Epistola Encyclica de martyrio S. Polycarpi ab ea scripta. Traditionis Ecclesiæ Africanæ Epist. 37. S. Cypriani, ubi dies excessus Martyrum jubet diligenter adnotari, ut cum honore celebrentur. Ecclesiarum Palæstinæ, & Constantinopolitanæ testis est Eusebius Cæsar. in lib. 4. vitæ Constantini cap. 58. Ecclesiæ Cappadociæ S. Basilius Epist. 291. ad Ponticæ Diæcesis Episcopos, & Gregor. Nissenus in orat. de S. Theodoro M. Ecclesiæ Antiochenæ S. Joannes Chrysostomus homil. in Ss. Mm. Juventinum, & Maximinum. Alexandrinæ S. Cyrillus Alex. lib. 6. in Julianum. Italicæ, & Romanæ S. Maximus, & antiquus author sermonum sub Ambrosii nomine editorum, serm. de Ss. Petro, & Paulo; & serm. de Ss. Nazario, & Celso. Ecclesiæ Africanæ, & Syriæ S. August. lib. 20. contra Faustum cap. 21., & Theodor. in historia Religiosa cap. 21. Accedit definitio hujus doctrinæ, tanquam fidei, a variis Conciliis facta, a Romano sub Felice I., a Gangrensi, a septima Synodo, & tandem a Trident. Sess. 25. Accedit & ratio: Quia honor debetur virtuti, id attestante Aristotele 1. Ethic. cap. 5.,

& lib.

& lib. 4 cap. 3. & Christus de cultore virtutis dicit: honorificabit eum Pater meus: quod perinde est, ac si diceret, honore afficiet, & alios afficere faciet. Et 1. Reg. cap. 2. dicitur: qui honoroficavit me, glorificabo eum. Ps. 138. nimis honorificati sunt amici tui, Deus: & ad Roman. 2. Gloria & honor omni operanti bonum: ergo Sanctis, qui bonum operati sunt, honor a nobis tribuendus est. Probatur: quia quod mortui sint, & nobiscum non degant, non illos reddit minori honore dignos, quum in feliciori statu sint, & securiori, sanctioremque vitam agant, & cum Christo regnent; absentesque a nobis, nostras necessitates videntes in Verbo, pro nobis orent, de nostra felicitate solliciti. Quod vero virtutem sequatur honor, non tantum quum qui eam colunt, nobiscum sunt, sed quum a nobis morte sunt separati, noverunt meliores Philosophi, ut ex Platone, & aliis refert Eusebius lib. 13. de Præparat. Evang. cap. 6. & 7. Pius igitur, & Sanctus est cultus, qui defertur Cœlitibus.

6. Opponunt nobis Achatolici ex Scripturis, & Patribus nonnulla. Ex Esther c. 3. Mardochæum noluisse adorare Amanum hac ratione: (cap. 13.) Tu nosti, quia non pro superbia, aut contumelia, aut gloriæ cupiditate hoc fecerim, sed timui, ne honorem Dei mei ad hominem transferrem, & ut neminem adorarem, excepto Deo meo. Secundo cum (Apocal. 19. & 22.) Joannes Angelum vellet adorare, ille eum prohibuit, dicens: Adora Deum. Tertio Actor. 10. Petrus Cornelio volenti eum adorare, restitit, ajens illi: surge, & ego ipse homo sum. Deinde in Synod. 6. post Sess. 18. cap. 8. sic dicitur: Solo Deo Creatore suo adorato, invocet Sanctos, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur. Et Athanasius serm. 3. contra Arianos. Creatura, inquit, creaturam non adoret. Hieronymus tom. 2. Epist. 53. ad Riparium contra Vigil. Nos autem non Angelos, non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, & omne nomen, quod nominatur & in præsenti sæculo, & in futuro, colimus, & adoramus, ne serviamus Creaturæ potius, quam Creatori. Damascenus orat. 1. de Imaginibus, & lib. 4. de fide negat, rem conditam esse adorabilem. Justinus M. Apolog. 2. Epiphanius hæres. 79., & tandem Augustinus epist. 44. & in Ps. 96., & lib. de vera relig. cap. 55. ubi dicit, neminem religionis causa esse adorandum, nisi solum Deum. His adjungit Calvinus, quæ sequuntur: Angelos, & Beatos cultu civili adorari non posse: hoc enim homines excellentes honoramus: non item cultu religionis, qui Dei solius proprius est; sed præter hos cultus duos nullus, inquit, alius se offert, quo illos honoremus: ergo. Item: si cultus aliquis religionis Sanctis deberetur, hic esset cultus Duliæ, non Latriæ: nullus igitur illis debetur. Probat. Nam Latria cultum significat: ergo eis deberi cultum, & non

La-

Latriam, perinde est ac cultum sine cultu deberi. Addit ulterius: *Dulevin* esse servire, *Latrevin* colere; minusque esse colere, quam servire: colimus enim pares, ut amicos, collegas; neque tamen eis servimus. Quid? quod Sanctorum conservi sumus, non servi? quid ergo ad eos facit Dulia?

7. Omnia istorum argumenta in unum congessi, ut pateat, omnem eorum apparatum bellicum contra Sanctos tanti non esse, qui pietatem illos possit vel tantillum labefactare. Ad primum itaque factum, quod ex lib. Esther. opponitur, responsum habes ex S. Thoma in nostris probationibus: non voluisse, nimirum, Mardochæum adorare Aman, timentem, ne honorem Dei transferret ad hominem. Sed quia opponi potest, ut bene notat Suarezius, non esse credibile, adorationem, quam Rex ipse præceperat dari Amano, fuisse divinam, multoque majorem, quam ipse sibi exigebat: respondeo, aut potius explico S. Thomam cum Cajetano; adorationem, quæ Amano ab aliis dabatur, fieri solere in utrumque genu; ab Hæbreis vero hanc non dari nisi soli Deo, ut ex facto deducitur Salomonis 3. Reg. cap. 8. v. 54. quod in exemplum cessisse toti illi genti, credibile est. Hancque observantiam præ oculis habuisse religiosissimum Mardochæum, fit palam ex ejus verbis, qui hac de re accusatus respondit, se Judæum esse: quod est perinde ac si diceret, adorationem illam Judæum hominem non decere: hominem maxime inter suos gentiles tanti pretii, & opinionis. Ad secundum, quod ex Apocal. objicitur, Angelum non permisisse, ab Joanne se coli, ibidem ab eodem S. Thoma responsum est, non id permisisse ex reverentia humanitatis assumptæ a Verbo: quod idem ait Rupertus lib. 20. in Apocal. Anselmus, & Beda cap. 19., & Bonaventura in 3. dist. 9. art 1. qu. 5. Potuit etiam prohiberi ab Angelo ex quadam urbanitate (quæ etiam Angelis digna virtus est): ex reverentia item Sacerdotalis caracteris, quo Joannes erat insignitus: ex temporis importunitate, cum serperet adhuc religio idololatrica Angelorum, de qua dictum est in præc. prop. ac tandem quia consultius indicavit Angelus summam adorationem, & summissionem etiam externam (nam internam summam certe non tribuebat illi Joannes) summo Deo soli reservare, qua de re vide prop. 13. lib 6. cujus exemplum petit Suarius ex Synodo 6. cap. 14. in qua dicitur, non debere Episcopos ante genua Principum Secularium ad eos adorandos procumbere, quamvis cum omni modestia illos debeant honorare. De cætero S. Evangelistam optime nosse, cultum a se sancte spiritui Cœlesti exhiberi, patet ex eo, quod semel admonitus cap. 19., iterum idem contenderit cap. 22. Ad tertium ex Actor. 10. facilior est responsio, quæ ex S. Chrysostomo in homil. 23. in

Act.

Act. talis est: Cornelium recte fecisse, Petrum honorando, & adorando, & Petrum etiam modeste, & humiliter egisse, adorationem recusando. Ad verba ex Synodo sumpta, atque ex Ss. Hieronymo, Damasceno, Justino, & Augustino, replico, quod in limine adnotavi super hac voce *adorare*, & super illa *adoratio*: utramque, scilicet, a Patribus, ut plurimum, fuisse adoptatam ad cultum solius Dei significandum, sicut & vocem *Latria*. Et dico *ut plurimum*: nam a S. Justino audivimus eandem vocem cultui beatorum applicari. Et S. Augustinus serm. 25. de Sanctis: Beatissimum Petrum, inquit, piscatorem adorat multitudo gentium credentium: & lib. 20. de Civit. cap. 4. homines esse colendos, & honorandos; &, si multum eis addatur, etiam adorandos. De cœtero cum ex dictis constet, cultum pium, & religiosum eis a Patribus asseri; in voce hærere, & vitiligare .... puerile est. Hujusque indolis sunt argumenta adjuncta ex Calvino. Primum quidem, quod cultum ad religiosum Dei solius proprium, & civilem hominibus convenientem restringit, a limine elevatum est. Secundum, in quo Latria vertitur *Cultus*; atque hac amota, perinde esse, dicit, Sanctos colere, ac colere sine cultu, gerra videtur potius, quam argumentum in re ita gravi. Porro ex Ethimologia verborum *Latria*, & *Dulia*, quam dedimus, manifestum fit, utrumque *cultum* significare apud Ecclesiasticos Scriptores: hunc instar honorariæ servitutis, illum instar strictioris servitutis, & illorum propriæ, qui juris Domini sunt: quippe quum in suo fonte *Latria* vehemens tremor sit, qui ad solum Deum congruit. Unde Deuter. 6. dicitur: Deum tuum timebis: & Matth. 4. v. 10. Deum tuum adorabis. Et forte ipsum Dei nomen a Græco δέος (timor) derivatum fuit. Certe id non obscure innuit celebris Poeta, cum canit

Deus, & timor ille Deorum est.

Hinc patet, falsum esse, quod in replica adjungit Calvinus, *Dulevin* esse servire, *Latrevin* colere, quod minus est, quam servire, cum *Latrevin* etiam servire significet. Quod si non ita foret, tamen usus tenendus esset vocum usurpatarum a sacris majoribus; quos penes arbitrium fuit, & jus, & norma loquendi in rebus hisce. Unde Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. ait: Sanctos coli, at non latria. Quod autem nos Conservi simus Sanctorum Deo fruentium, utpote ad idem corpus pertinentes, respectu ad Deum ut supremum universorum Dominum, cui ut primo principio, & ultimo fini, & illi, & nos, & omnis creatura famulatur, non obstat, ne nos cum

An-

Angelis, ac Beatis comparati, eorum servi dici possimus, veneratione scilicet, & obsequio. Unde carmine 1. de S. Felice, sic eum adprecatur Paulinus,

O Pater, o Domine! indignis, licet, annue servis.

Et carmine 3.

. . . . . . ut cum sedula cura
Servitium nostrum longe tibi panderit ævo.

Neque vero S. Pater, ut erat sapientissimus, timuit, his versibus illud opponi ex verbis Christi, Deo soli servies, quod opponere non cessant hæretici. Nam sciebat optime, quod S. Augustinus etiam notavit qu. 61. in Genes. Quæritur, inquit, quomodo scriptum sit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: quum Abraam sic honoraverit populum quemdam gentium, (Genes. 23. v. 7.) ut etiam adoraret? Sed animadvertendum est, in eodem præcepto non dictum, Dominum Deum tuum *solum* adorabis; sicut dictum est, & illi soli servies: quod est græce *Latreusis*. Talis enim servitus non nisi Deo debetur. Unde damnantur Idololatræ, id est, ejusmodi servitutem exhibentes Idolis, quæ debetur Deo. Utinam Achatolici id vellent sapere, & intelligere! Nunc ad cultum B. Mariæ Virginis transeamus, quem isti rabide insectantur, & blasphemant, & quem impense Catholici, religioseque fovemus.

COROLLARIUM.

8. Nam si Sanctorum cultus nobis dulcis est, justisque adeo rationibus sustinetur; quibus non sustineatur Virginis Deiparæ veneratio, quæ, authore Chrysostomo, Cherubim est honoratior, & Seraphim incomparabiliter gloriosior? Virginis, cujus puritate, teste Anselmo, major sub Deo nequit intelligi; quæ prima trophæum virginitatis erexit; quæ Deum virgo concepit, peperit, educavit; quæque Filio consors quodammodo fuit ærumnarum, laborum, molestiarum ad extremum usque spiritum? At is cultus, & veneratio ab Ecclesia Dei a suis incunabulis impensus Virgini, & intra justos cancellos regulatus, extremis postmodum erroribus turbari cœpit Collyridianis (ita dictis, quod Collyridam panis Virgini in sacrificium offerrent) cultum divinum illi deferentibus, tanquam Deæ; & Anti-Marianis, omnem ei cultum negantibus, & honorem; quorum impietatem sequuti sunt post Waldenses, Usitas, Petrobrusianos, Lutherus, & Calvinus; eo-

rumque aſſeclæ hodie dum mordicus ſequuntur. Eccleſia Chriſti mediam ſemper viam tenens (quam a principio, Deo illam regente, inſtitit) hos, illoſque damnavit. Cultum Collyridianorum ſuppreſſit ut incongruum, & Deo injurioſum, cui ſoli ut Creatori, & omnium abſoluto Domino ſummus cultus, nempe divinus, & Latriæ debetur, cujus ſingularis nota Sacrificium eſt: Judicans, quod reapſe eſt, hunc deferre creaturæ etiam perfectiſſimæ, creaturæ tamen, ut eſt Beatiſſima Virgo, eſſe infinitum finito æquare, & utrumque ſane confundere; quod, nedum non religioſum, impium quidem eſt. Anti-Marianis vero cultum ab omni labe purum Virgini impenſum ob oculos poſuit, & hodiedum ponere non deſiſtit, ſed in caſſum: prius enim ab Hercule clavam, quam ab eis errorem hunc detrahas.

9. Duobus ſe iſti veluti vallis muniunt (ut omittam, quæ contra cultum Sanctorum generatim opponunt) contra Virginis Deiparæ cultum. Primo non eſſe ab origine, ſeu ab Apoſtolico tempore. Secundo eſſe excedentem, & Deo, ac Chriſto injurioſum. Sed primum antiquitatem illius probant Liturgiæ antiquiſſimæ SS. Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi. Tum modus loquendi Patrum, qui Mariam appellarunt *Deiparam:* inter quos Athanaſius orat. 3. contra Arianos. Illam Reginam omnium: honoratiorem Cherubim, ſanctiorem Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus ſuperius excellentibus glorioſiorem: ſpem Patrum, & gloriam Prophetarum vocat S. Ephrem, qui anno vivebat 370. in orat. de laudibus SS. Dei Matris. Illam Dignitatem terræ nominat Auguſtinus lib. 2. de Genes. contra Manichæos: Cœli, & terræ Mediatricem S. Epiphanius hæres. 79 Epiphanius, inquam, qui Collyridianos eidem impie ſacrificantes impugnat: qui eam ibi vult honore & intellectu, & ſenſu honoratam, velut corpora Sanctorum, & ſiquid aliud ad glorificationem dicat. Atque enumeratis variis Sanctis, Maria, inquit, adhuc eſt honoratior. Et concludit: ſit in honore Maria: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus adoretur. Nimirum, ut in principio adnotavimus, Adoratio, ſeu Latria Deo reſervetur; honor, & cultus Latriæ inferior, at cuivis alteri cultui Sanctorum ſuperior in Dei Genitricem impendatur. Sane Epiphanius novum quid ad Virginis honorem pertinens, non ſibi fingebat; ſed id replicabat, quod acceperat traditione. Sanctus quidem Irenæus multum illo antiquior lib. 5. cap. 19. Evam Mariæ comparans: ſicut illa, inquit, ſeducta eſt, ut effugeret Deum; ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo, uti Virginis Evæ Maria Virgo fieret advocata. Et quemadmodum genus humanum adſtrictum eſt morti per virginem, ſolvatur per virginem æqua lance. Idem lib. 3. cap. 33. illam nominat cauſam humanæ ſalutis. Quod Tertullianus confirmat lib. de Carne Chriſti cap. 17. Ut taceam S. Ignatii teſtimonium, ſumptum ex

Epi-

Epistola illustris Martyris ad Joan. Evang., quod ut *in Ignatio* diximus a Criticis non probetur: & testimonia Epiphanio posteriorum Patrum, quæ ubique occurrunt, & a Suarezio, Natali, & aliis diffuse proponuntur. His robur addunt non leve Festivitates ab Ecclesia institutæ in memoriam, & honorem Virginis. Cujusmodi sunt *Annuntrationis*, in qua ante sæcula tredecim, & eo amplius, conciones habuit Augustinus, Andreas Hierosolymitanus, & alii: constatque esse multo antiquiorem ex Athanasio serm. de Sanctis. Deipara, & ex Leone Papa Epist. 4 cap. 2. & ex Concilio Toletan. 12. cap. 2. a quibus significatur, festum hoc ab Apostolis fuisse institutum. Festivitas *Purificationis* Virginis, cujus antiquitas patet ex Gregorio Nysseno, Chrysostomo, Cyril. Alexandrino, & ex S. Leone, ubi supra; præceptoque speciali sancita fuit tempore Justiniani Imperatoris, ut ex Nicephoro lib. 17. histor., & ex Paulo Diacono lib. 10. rerum Roman. eruitur. Mitto cœteras sex in Ecclesia solenni ritu in honorem B. Virginis celebratas, institutasque diversis temporibus, prout pietas in Deiparam augebatur, & zelus in Anti-Marianos hæreticos, (qui novo quodam errore Matrem Dei, atque illius cultum impugnabant) novos honores ei tribuendos Catholicis inspirabat. Videatur de hac re devotissimus Mariæ æque, ac doctus Franciscus Suarez tom. 2. in 3. D. Thomæ p. disp. 22. Accedunt Templa & antiquissima, & celeberrima in ejusdem honorem consecrata, quorum tam frequens est mentio in historiis, tamque evidentia sunt facta cum majorum traditione conjuncta, ut supervacaneum sit in eis numerandis immorari. Ac tandem magna, & frequentia miracula in confirmationem patrata Mariani cultus, de quibus legendus est Canisius lib. 5. de B. Virgine.

10. Alterum, quod opponunt Heterodoxi cultui B. Mariæ Virginis, illum nempe esse heteroclytum, & Deo injurium, leviusculum quidem est; proponendum tamen ex Dallæo. Objicit iste Catholicis, quod. quum eis subitum quid, & inexpectatum occurrit, in verba hæc erumpunt *Jesus*, *Maria*! Deum cum creatura conjungentes: quod salutatione Angelica utuntur: quod in Missali quodam Parisiis edito anno 1634. invocetur *O felix puerpera*, *nostra pians scelera*, *jure Matris impera Redemptori*: quod Litanias, & Officium B. Virginis dicunt: Psalteriumque, quod S. Bonaventuræ adscribitur, in quo verba ab Hæbreo Vate dicta de Deo, crasso, (ut ipse dicit) pinguique artificio detorquentur ad Virginem: quod hanc Dominam, Cœli Reginam, Beatam nominant: Ejusque cultum *Hyperduliam* (vocem primoribus Patribus ignotam prorsus). Objicit Festivitates, Jejunia, Sabbati abstinentiam; signum Campani æris, quod illi salutandæ fit, & quid non? Sed homo exgrex ab vera Ecclesia, frustra

iis objiciendis laborat, dum rei malæ dare operam Catholicis hæc faciendo, non probat. At quomodo nec iste, nec qui talibus næniis delectantur Calvinistæ, ostendent, contra Dei verbum, & divinam legem a Christi fidelibus fieri, animum dilatando adspiratione *Jesu, Maria*! recitantes salutationem angelicam: Officium, & Litanias, quibus Mariæ advocatio imploratur, in ipsius honorem dicentes: festos dies ad commemoranda beneficia, quæ Deus aut ipsi, aut per eam nobis contulit, dedicantes &c.? Si vero nulla lege Dei preces eæ, & observantiæ prohibentur; inique isti contra nos obganniunt, quasi reos violatæ divinæ legis: ubi enim lex non est, nec prævaricatio. (inquit Ap. Paulus.) Porro constituta fide Mariani cultus (ut constitutam fuisse ostendimus, & acta Ephæsinæ Synodi præcipue declarant) quoad substantiam, modum illius multiplicem, & varium statuere, ac recipere laudabiliter potuit Ecclesia, diversosque ritus sacræ observantiæ erga Matrem Dei approbare, aut permittere, quos ad Christianam pietatem promovendam, & fovendam judicavit idoneos. Et tales sunt, quos Sectarius iste reprehendit.

11. Jam, ut ad singula descendamus, si cum reverentia proferre nomina eorum, quos colimus, & diligimus, bene instituti animi est; tale non erit nomina *Jesu*, & *Maria* cum veneratione proferre? *Jesu*, ad quod nomen flectitur omne genu: & *Mariæ*, quæ Filium Dei nobis peperit, aluit, custodivit? At eadem, dicunt, adoratio utrique exhibetur. Calumnia. Dominum Jesum adoramus; Mariam Deiparam Virginem honoramus, ut cum Epiphanio dictum est. Utimur salutatione Angelica. Sed quid alienum a vera pietate isti inveniunt, quod voces Angelicas, & eas, quas Elisabetha Sancto Spiritu repleta protulit, bonæ Matris salutandæ usurpemus? Prosa ex Missali Parisiis edito authoris ignoti est, vix in usu fuit, nec ab Ecclesia unquam probata. Certe in Scriptura dicitur, Deum obedisse voci hominis, id est, Josue. Hanc loquutionem nemo sapiens non antonomasticam intelligit. Neque etiam mens fuit Prosatori, ut in sensu proprio particula *Impera Redemptori* sumeretur. Quemadmodum non proprie intelligi volebat S. Petrus Damianus Orat. 44. illud ad Virginem: Accedis enim ante illud aureum reconciliationis humanæ altare, non solum rogans, sed imperans: Domina, non Ancilla. Neque item S. Germanus Patriarcha Constantinop. in Orat. de Dormitione Deiparæ. Neque enim fieri potest, ut non exaudiaris, quoniam tibi ad omnia, & per omnia, & in omnibus Deus, tanquam ve-

veræ, & immaculatæ Matri suæ obedit. Litaniæ, & Officium Virginis quid aliud præseferunt, nisi nos Mariam, ut potentissimam advocatam apud Deum invocare? in quo quid mali vident isti? Psalterium, quod sub S. Bonaventuræ nomine circumfertur, quid est aliud quam promptuarium adspirationum piarum, (quas *Jaculatorias* solent dicere) quibus ille, & pii viri subcisivis horis animum sancte recrearent. Versus Davidici non in suo sensu proprio ibi proferuntur. Verum profecto est: sed præter quatuor Scripturæ sensus litteralem, alegoricum, moralem, & anagogicum, quis nescit esse quintum, nempe accommodatium, qui non probandis dogmatibus usurpatur. Usurpatur vero in Concionibus, præsertim panegiricis: eo etiam utitur Ecclesia sæpe in precibus ad Sanctos directis: & quare in directis ad Reginam Sanctorum omnium non eodem utetur privatus quisque? Ad Virginem, cui non per partes, ut Sanctis, sed se totam dedit gratiæ plenitudo, ut ait S. Petrus Chrysologus serm. 143.? De cætero Psalterium Virginis in usu publico Ecclesiæ nec est, nec unquam fuit, nec ejus authoritate aut editum, aut solenniter probatum est. De Solennitatibus Virgini consecratis, jejunio, aut abstinentia Sabbataria, de signo æris campani, & aliis, quæ ad disciplinam pertinent, non est cur oleum perdamus, & operam, id replicantes, quod dictum est, & nostri Abecedarii pueri non ignorant. Idipsum dicendum esset de voce *Hyperdulia*, quam nobis objectant, quam applicitam cultui Virginis primorum sæculorum non norunt Patres. Sed quid hoc refert, si rem noverunt, cui vocem applicamus?

12. Noverunt autem, ut probatum est, & deinceps probo sic. Cui non per partes, ut Sanctis cæteris, sed plenitudo gratiæ data est, & ex Chrysologo diximus: cui nihil in terris est, quod in dignitate, virtuteque non cedat, ex Ambrosio lib. 2. de Virgin. cui gratiæ abyssus nomen datur, ex Damasceno Orat. 2. de B. Mariæ dormitione: & cui immensa gratia attribuitur, ex S. Epiphanio in Orat. de laudibus Virginis, (Epiphanio, inquam, qui ab Hæreticis nobis ut contrarius objicitur) Ei cultus convenit; non Latriæ (qui Dei solius est): ergo superior *Duliæ*, qui Sanctis datur, quibus per partes gratia attributa fuit. Talis autem cultus Hyperdulia est: ergo. Insuper: Cui Deus contulit dignitatem Matris, ob quam dignitatem a primis sæculis Maria appellari a Sanctis Deipara cœpta est, ut vidimus. Hinc magna fecit, qui potens est, &, quod respexisset humilitam ancillæ suæ, dicturæ erant ex tunc illam beatam omnes generationes: ergo & cultus jus ei dedit Omnipotens, & cultus quidem superioris omnibus illis,

quos

quos in Cœlo, & in terra sibi adscripsit, & præelegit. Omne enim nomen, & dignitas creaturæ huic inferior est: ergo ei cultum summum infra se voluit, & hic cultus Hyperdulia est. Unde S. Damascenus de Assumpt. Orat. 2. Decet Matrem, inquit, ea, quæ filii sunt, possidere, & ab omnibus rebus adorari. Atque ex his verbis magis hujus cultus titulus confirmatur. Nam B. Virgini, ex eo, quod Mater Dei est, jus quoddam, ac dominium competit in omnes creaturas; sed unicuique jure dominii debetur honor ab inferioribus: ergo. Major probatur primo ex Athanasio serm. de Deipara ajente: Quia ipse Rex est, & Dominus, Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina vere censetur. Quod explicat immediate, inquiens, *secundum sexum fœmineum:* quasi diceret, esse tale, quale in uxorem cadit, & Matrem Regis ex conjunctione cum illo: quas omnis populus idcirco tanquam *Dominas* veneratur. Secundo. Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. Vere enim, inquit, rerum omnium conditarum Domina effecta est, cum Creatoris Mater extitit. Tertio. Augustinus serm. 35. de Sanctis: Quid dicam pauper ingenio, quum de te, o Virgo, quidquid dixero, minor laus sit, quam dignitas tua meretur?... Si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris. Taceo Rupertum lib. 3. in Cantic. Anselmum de Excellentia Virg. cap. 8. Bernard. serm. 1. de Assumpt., & Petrum Damianum serm. 1. de Nativ. Mariæ. At non taceo Epiphanium, qui in Orat. de laudibus Virginis hanc vocat Thronum Cherubicum, Cœlum, Templum; & Mariam *Dominam* interpretatur, & Spem: Neque 7. Synodum, quæ act. 4. Gregorium citans, eam singulariter appellat *Omnium Christianorum Dominam*. Quæ quum ita sint, ex hisque singularis cultus Virgini debitus deducatur: nomen *Hyperdulia*, quod novum sibi videtur, supprimat, ut sibi placeat, Dallæus; modo substituat idem valens, nempe cultus summus infra illum, qui Deo O. M. debetur, & amicam illi dexteram porrigent Catholici Mariæ veneratores. Interim ineptias tales mittant illis opponere ex eodem grege sectarii.

PRO-

PROPOSITIO IX.

Imagines Jesu Christi, & Sanctorum pie coluntur.

1. ET primo nec Imagines, nec earum usum esse malum, contra antiquos, & recentes hæreticos Iconoclastas probo sic. Quod nihil habet mali, imo plurimum boni, malum non est; tales sunt Imagines, & earum usus: ergo. Primam minoris propositionis partem probo. Malum id eis proveniret aut intrinsece, & ex sua natura, aut ex prohibitione legis, aut ex scandalo, & periculo idolatrandi; at ex nullo ex his capitibus malum in imaginibus est. Non enim sunt malæ natura sua. Probo: quia nec ars pictoria, nec statuaria, quæ eis in ratione talium dant esse, malæ sunt, consequenterque nec earum usus: quum statuariæ prolusisse videatur Deus, quando creavit hominem, (Genes. 2. v. 7.) eamque, sciamus, inspiravisse Beseleel, & Ooliab, (Exod. 31.) ut duos Cherubim ficerent Propitiatorii; atque in utriusque artis objecto nulla se offert deformitas intrinseca. Secundo: non sunt malæ, quia lege aliqua prohibitæ aut novi, aut veteris testamenti. In novo enim nihil habemus aut scriptum, aut traditum, quod illas vetet: in veteri nulla etiam lex est, quæ omnis generis prohibeat imagines. Quod si esset, utpote lex non moralis, sed cæremonialis, vi obligandi decidisset. Non sunt denique malæ ex scandalo, aut periculo. Quod enim ex se non est malum, ex se malum non adducit: per accidens adducere potest: sed quid non potest? Luna, Sol, Astra, creaturæque plurimæ non ab homine, sed a Deo ipso formatæ, & ut bonæ laudatæ, stultis scandalum fuerunt, ab eisque ut totidem Dii adoratæ: quid mirum, si etiam hominum imagines? Sed in Ecclesia Catholica, in qua omnes ad pietatis, & cultus officia sunt optime instructi, id periculum non est. Et si alicubi sit ex ignorantia, aut pravorum inductione, Pastorum munus est & illam removere instructione, & istos religionis zelo. Igitur in imaginibus, & earum usu mali nihil est.

2. Imo est in illis plurimum boni, quod sic probo. Primo enim sunt bonæ ad instruendam plebem, & interdum efficaciores, quam verba: ut enim scripsit Poeta,

> Segnius irritant animos demissa per aures,
> Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Sunt etiam testimonia virtutis illustrium virorum, & incitamentum ad illorum æmulationem. Unde nulla non instructa natio, veluti natu-

tura dictante, hoc honoris signo usa est in testimonium excellentiæ, & virtutis summorum virorum. Quod observavit Aristoteles, & Plinius lib. 35. & in codice habetur Titulus de Statuis, & Imaginibus illustrium personarum. At his honor politicus præstatur ob virtutem aut bellicam, aut civilem prototyporum: æquum igitur est, ut eorum imagines, qui divinis virtutibus eminuerunt, honore pio afficiantur: & hic est cultus, qui Imaginibus Christi, Deiparæ, & Sanctorum debetur: qui quum objectum habeat non modo non malum, sed bonum, & ad bonum excitans, & pietatem; pium eum esse, & sanctum oportet; quod erat propositum.

3. His, & aliis rationibus excitati, qui a Christo positi sunt Patres, & Rectores Ecclesiæ, ut videre est apud Greg. Nyssen. Orat. de S. Theodoro, Chrysostomum hom. 33. in Joan. Gregorium Magn. Epist. 9., & alios, Imagines primis Christianis permiserunt, atque hi Templa picturis exornarunt penes Silvestrum, Damasum, Cœlestinum, Sixtum, Leonem, Joannem, & Pelagium, ut Adrianus I. refert in lib. pro Imaginibus a Synodo 7. citato. Et de Petri, & Pauli imaginibus testatur S. Augustinus lib. 1. de Concor. Evang. Atque has, & alias, dicit Gregorius lib. 2. Epist. 13., non sine ratione in venerabilibus locis antiquitatem admisisse. Admisisseque non ad ornatum, sed ad pium cultum, constat ex Basilio Epist. 36. ad Julianum Apost. qui illarum cultum Christianis exprobrabat, in qua hæc scribit: Caracteres Imaginum (Ss. Apostolorum, Prophetarum, Martyrum) honoro, & exosculor eximie: quum hæ traditæ sint a SS. Apopostolis, nec sint prohibitæ, imo in omnibus Ecclesiis nostris depictæ sint. Idem constat ex Chrysostomo, Gregoriis Nysseno, & Nazianzeno, & ex Theodoreto in hist. Simeonis Stylitæ. Ex Latinis Hieronym. in Ep. ad Eustoch. de Epitaphio Paulæ, Ambrosio in Ps. 118. Augustino tract. 47. in Joan. lib. 3. de Trinit. cap. 10., & ex aliis videndis apud Favent. in scoliis Irenei lib. I. Pamelium in scoliis Tertul. Bellarm. hic cap. 12. Natalem Alexand. &c.

4. Crevit cultus hic in dies ob beneficia, & miracula, quæ per Imagines experiebantur fideles a Deo facta: quorum locupletissimos habemus authores, Euseb. Cæsariensem lib. 7. hist. cap. 14. Theophilactum in cap. 9. Matth. Sozomen. lib. 5. hist. Evagrium lib. 4. cap. 26. Zonar. in vita Michaelis Balbi, Paulum Diaconum lib. 21. Rerum Roman. Et quid hos moror? Habemus ipsos osores Imaginum Centuriatores, qui Centur. 6., & sequentibus multa referunt, quæ quum ad cultum Imaginum stabiliendum sint facta, neque Deus miracula operetur in confirmationem erroris, frustra laborant isti, ut robur illis adimant pro cultu pio Imaginum confirmando. Sane hæc miracula, traditio Patrum, momentaque rationis apud Constantinopolitanos

Pa-

Patres 350. qui secundæ generali Synodo Nicænæ adfuerunt (inter quos Legati Summi Pontificis, ac tres Patriarchæ, Alexandriæ nempe, Anthiochiæ, & Hierosolymæ numerantur a Cedreno) tantum valuerunt, ut venerandas esse Imagines definierint. Idemque octava Synodus hanc subsequens roboraverit. De Tridentina dicetur postea, dum contrariorum argumenta refuto.

5. Primum est tale. In Scriptura damnatur omnino Imaginum usus: (Exod. 20., & Deut. 4., & 5.) ergo is usus pius esse non potest. Nec dicas, præceptum hoc inter cæremonalia esse referendum. Quod enim ibi dicitur: non facies omne sculptile, neque omnem similitudinem &c. ad primum Decalogi præceptum pertinet. (nisi ea velis, non esse decem, sed undecim, aut duodecim.) Quod ita intellexit Augustinus quæst. 71. in Exod., & Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. & est communis sententia. Addit Dallæus, id præceptum religiose tenuisse primos Christifideles: idque ex eo deducit, quod Pagani nostris crimini vertebant, nullas se aras habere, nulla Templa, nulla nota simulacra, ut Cæcilius vertit apud Minutium, & Celsus apud Origenem. Deducitque rursus ex eo, quod Judæi, quibus abominationi erant omnis generis Imagines, (ut ex factis constat ab Josepho narratis lib. 17. Antiquit. & 18., & lib. 2. de bello Jud. cap. 8.) nihil hac super re criminati sint christianos, uti fecit Judæus ille multa post sæcula, qui in Dialogo quodam, citato a septima Synodo act. 5., sic Christianum colloquutorem compellat: scandilizor in vos, qui Imagines adoratis.

6. Respondeo, his locis Scripturæ non prohiberi absolute omnes Imagines: constat enim, ut dictum est Exod. 25. præcepisse Deum collocari imagines Cherubim super arcam: & Numer. 21. fieri serpentem æneum. Prohibitæ igitur sunt imagines, id est, Idola, & Dii manibus fabricati, quibus cultus debitus Deo, eo relicto, deferretur. Unde Levit. 26. clarius dicitur: non facietis vobis Idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, neque insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum: ego enim sum Dominus Deus vester. Et cap. 18. dixerat Deus: Ego Dominus Deus vester: juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis. Et subdit cap. 19. Nolite converti ad Idola, nec Deos conflatiles facietis vobis. En substantia præcepti, ut nullus præterquam Deus colatur, & adoretur ut Deus. Quod vidit S. Augustinus loco nuper citato, vidit Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 89., & lib. de Exortat. ad Martyr. cap. 1. vidit Tertullianus lib. 2. contra Marcion., & Damascenus lib. 4. de Fide cap. 13. Ex quibus S. Thomas hic ita illa verba exponit: *Non habebis Deos alienos*, scilicet fide, id est, non credes esse Deos: neque adorabis eorum imagines, quasi Deos: non enim sunt Dii, qui ma-

manibus fiunt, inquit Paulus Act. cap. 19. Quam vero ab errore isto distemus Christiani, scimus nosmetipsi, docentibus Patribus, Conciliis, ac tandem Trident. sess. 25., Imagines Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim, habendas, & retinendas: eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in eis Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ: vel quod ab eis sit aliquid petendum: vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentilibus, qui in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant. Quod quantum ab Gentilium cultu distet, patet ex S. Augustino lib. 3. de Doct. Christ. cap. 6. ubi omnem idololatriam ad duo capita revocat: quod nempe hi vel simulacra manufacta ut Deos habebant, propter latentem divinitatem, quæ illis inerat, teste Varrone; vel si ut repræsentantia creaturas, eas divino honore donabant; sive hæ essent insensatæ, ut Sol, & Luna; sive intelligentes, & ratione utentes, sed ob vitia detestabiles, ut Jupiter, Juno, Venus &c. Atque his, & aliis divinitatem inhærere credidisse, ex facto constat Atheniensium, qui habebantur præ cæteris doctissimi; his enim Stilponem civitate expellentibus, quod Statuam Minervæ dixisset, Deum non esse; ille ne eam amitteret, ita se purgavit: Deum se dixisse non esse Minervam; illam vero Deam credere: quo audito, populo plaudente, restitit. Quæ vero Romanorum in re hac fuerit opinio, dat nasutus Horatius dicens lib. Satyr. 1. Satyr. 8.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber incertus scamnum, faceretne Priapum,
Maluit esse Deum: Deus inde ego.

Quibus ex factis deducit Basilius ipse, ab Idololatris inesse statuis divinitatem creditum fuisse. Quid? Nonne Paulo fuit blasphemiæ insimulatum (Actor. 19. 16.) quod dixerit, non esse Deos, qui manibus fiebant? Nonne hæc eadem fuisse dicitur insensatorum firma opinio? Sap. 15. 8.

7. Et hæc est ratio, (ut ad duo alia a Dallæo objecta respondeam) cur primis tribus, &, si velis, etiam quatuor Ecclesiæ sæculis rarissimæ inter Christianos fuerint Imagines (namque fuisse nonnullas restat probatum) & cur hæ cultu forse non fuerint honoratæ, saltem publico. Erant enim Christiani inter duas nationes extremis opinionibus imbutas, Judæorum, quibus Imago abominationi erat ex inversa traditione, & Gentilium, qui Deos in omni imagine, & sta-

tua sibi inveniebant. Prudentiæ igitur erat, & charitatis Pastorum filios suos in Christo ab earum veneratione removere, qua ne scandalum darent Gentibus, & irritamentum Hebræis contra Christianos, qua, ne parum in fide solidati, ad errorem paganorum declinarent. Quamvis de cætero scirent, nihil in hoc cultu invenire reprehensione dignum, utpote Evangelio minime contrario, & bonorum feraci, ubi periculum abesset idolatrandi, ut dictum est. Si autem cultus tunc aut non erat, aut certe cautissimus; non erat, quod ex hac parte a Judæis, & Gentilibus opponeretur Christianis. Triumphante vero Religione Christiana a sæculo 4., non statim omnia inducta sunt, quæ salva fide poterant, sed sensim, & quasi per gradus. Abstinentia a sanguine, & suffocato, quam fideles inter Judæos degentes instituerant, non illico, dispersis Judæis, abolita fuit, cessit paullatim. Ita SS. Imaginum cultus in Templa gradatim successit. Prius in privatis Ecclesiis aditum invenit, post universim in Ecclesia. Interea temporis alicubi receptum legimus ab Episcopis, ubi omne aberat periculum idololatrandi; alibi aut non admissum, aut post admissionem impeditum ob contrariam rationem, & contra impugnatores cultus subinde a Patribus negatum, in Imaginibus divinitatem inesse ullam: Christianisque auditoribus inculcatum, honore, non vero adoratione prosequendas Imagines. Quæ omnia eo dixi, ut paucis ab argumentis me expedirem, quæ nobis Sectarii objectant, desumpta ex Patribus Irenæo, Epiphanio, Augustino, Gregorio Papa, quorum tres primi contra Carpocratianos disserebant luto Gentilium, in colendis Imaginibus imbutis: Gregoriusque adorationem Latriæ vetabat, non honorariam, qua reverentiam, & amorem testamur in Sanctos. Et sane, quomodo eam vetuisse credendus est ille Pontifex, cui Ecclesia universalis debitrix est celebris libri Sacramentorum, qui ab ejus nomine *S. Gregorii* appellatur? Et a quo *Ordo Romanus*, vetustissimum quidem volumen, fere hausisse omnia videtur, teste Mabillonio in præf. Itinerar. Italici tom. 2. in quo inter alia habetur adoratio S. Crucis? Sed in hoc argumento plusculum immorati ad alia properemus.

8. Secundum argumentum novorum Iconoclastarum sumitur ex Canon. 36. Concilii Illiberitani, qui sic habet: placuit, picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur. Ex libris item Carolinis, atque ex Concilio Francofordiensi ad Moenum habito, ad illud vocante illorum librorum authore Carolo Magno, cuique interfuerunt Episcopi CCC. ex Gallia, Britania, Germania, Italia, & a quo & a libris Carolinis cultus Imaginum in 7. Synodo decretus, erroris damnatus est. Sed ex Canone Illiberitani Concilii id solum deducitur, quod modo notatum fuit: Patres illos

judicasse in provincia Boetica, nondum ab idololatris purgata, & libera, cultum Imaginum non expedire, quod in similibus circumstantiis (quas Deus avertat) sancte etiam nunc fieret a Præsulibus Boeticis. Nam ut docte scripsit Joannes Delphinus, catholicus quidem Theologus, a Dallæo argumentante citatus, lib. 3. de Ecclesia: Si aliquando, ut est humana insipientia, & temeritas, in populis obtingat, ut superstitio, & idololatria figat altius radices, quas porro difficillimum sit revellere, tunc possunt, ac debent Catholici Pastores Ecclesiæ curare diligenter, ut quibus in locis tantum periculum sit, tantaque abominatio, ad tempus Imagines, & simulacra omnia tollantur de medio, atque interim bene instruantur, & admoneantur simplices, ac rudissimi quique de cultu Dei, & Sanctorum. Sic enim Ezechias Serpentem æneum, quo populum abuti ad superstitionem videbat, pie, prudenterque subvertit, quem Moyses Dei mandato erexerat. Ad replicam ex libro Carolino desumptam, libro quidem eruditi Principis, sed a Christo non jussi pascere suas oves doctrina fidei, varias solutiones invenies apud celeberrimos Theologos Suarez, Vasquez, Bellarminum, Gottium, Natalem, & omnes quidem probabiles, quarum una est, libros, qui nunc sunt, nec scriptos a Carolo fuisse, nec adoptatos. Mihi vero (admissa opinione huic contraria, quam probe videtur stabilire Natal. Alexander) expeditior præ cæteris videtur solutio Mansii in Vindiciis contra Federicum Spanhemium dicentis: in his libris non improbari sacras Imagines, & earum venerationem, sed usum in circumstantiis illis vetari. Quæ solutio solida esse ostenditur primo ex dictis ibi lib. 3. cap. 14. ubi Author quoddam discrimen ponit inter cultum civilem exhibitum imaginibus Regum, & eum, qui Sanctorum exhibetur imaginibus: quod nempe in illo nullum sit periculum; in hoc vero esset, quod rudes adhuc, dicit, & nondum solidæ ad percipiendum solidum cibum mentes hominum fuerint de gentilitate conversæ. Tolle igitur hoc periculum, (ut reapse sublatum est) & salva sunt omnia. Id ipsum magis elucescit ex cap. 16. ejusdem libri, ubi, etsi a doctis viris, ait, vitari possit hoc, quod illi (rudes) in adorandis Imaginibus exercent, quod videlicet non qui sint, sed quid innuant, venerantur; indoctis tamen quibusque scandalum generant, qui nihil aliud in his præter id, quod vident, venerantur, & adorant. Insuper: Author ipse cap. ultimo fatetur, Crucis Imaginem religiosa veneratione pie, sancteque coli; eo quod lege ecclesiastica sancitum esset, ut cultus Cruci impendatur. Subditque, quid tale huic simile ab Ecclesia Catholica in toto terrarum orbe de Imaginibus sancitum est? En ergo cultum Crucis ab Authore librorum istorum admissum: & promptum animum ad Imagines Sanctorum colendas, quum decreto

to suo id Ecclesia approbaret. Errore autem facti implicabatur scriptor, Synodum Nicænam II. (quæ septima est) existimans non esse universalem, quum illius acta recentia Gallia aut non vidisset adhuc, aut certe e Græco exemplari non vidisset traducta. Eandem solutionem adaptat Mansius, &, ut ego puto non inepte, objectioni sumptæ ex Concil. Francofordiensi. Cum enim clarissimi Galliarum Episcopi Ado Lugdunensis, Genulfus Lingoniensis, Walframnus Metensis, Gavienus Turonensis, & alii ante non multos annos in Synodo Romana sub Stephano Papa III. habita ann. 796. Iconoclastas unanimi consensu damnassent; mutato deinde consilio, execravisse, quas consecrarant, sacras Imagines, credibile non est: maxime quum Carolus Magn., cujus nomen portabat Liber approbandus in Concilio, sententiæ esset, quam vidimus: semperque Adriano Papæ, qui huic, & Nicænæ Synodo suos Legatos miserat, permanserit conjunctissimus; cuique mortuo Rex ipse fecit Epitaphium, qui apud Platinam legitur, & sic infit:

Hic Pater Ecclesiæ Romæ decus, inclitus Author,
Adrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita Deus: pietas lex: gloria Chritus:
Pastor Apostolicus promptus ad omne bonum.

Et infra.

Post Patrem Carolus lacrimans hæc carmina scripsit.

Quod autem Patres hujus Concilii Gallicani in errore facti fuerint circa Synodum Nicænam II. Authores nobis sunt celebres Cardinales Baronius, Bellarminus, Perronius, & alii viri eruditi apud Natal. Alex. in hac Controv. quibus rationibus, vide ibi.

9. Tertium argumentum est Calvini. Cultus Imaginum, ubi est erroris periculum, submovendus est; id periculum nunc ipsum est, imo & error: ergo. Probat: quia sine errore non ad unam potius, quam ad aliam imaginem, v. g. Virginis, curreretur, cum omnes idem prototypon repræsentent: precaturi non ad illas accedere satagerent, nec ad illas peregrinarentur, quarum pulchriores forse domi habent. Deinde quo cultu eas sunt. donaturi, an Latriæ, an Duliæ, an Hyperduliæ? aut alio præter hos cultus novo? Imagines frequentari cum prælatione quadam, potest ex variis causis dependere: aut quod per unam plura miracula Deus O. M. operetur, quam per aliam, aut quod a Sancto aliquo viro effigiatæ, aut depictæ sint, ut in Imaginibus accidit, quæ a S. Luca depictæ creduntur, aut quod

una

una præ altera magis ad pietatem excitet. Atque ex eisdem rationibus & quæritur proximitas a colentibus, & fiunt peregrinationes: quæ quidem de cætero rariores sunt, quam quæ ad invisendas reliquias, & ad loca sancta fieri solent. In his autem omnibus, quum finis est bonus, ut esse diximus, quid mali est?

10. Jam quod ad cultum pertinet Imaginum proprium, dico cum Bellarmino: Cultum, qui per se, & proprie debetur Iconibus, esse cultum quemdam imperfectum, quique analogice, & reductive pertinet ad speciem ejus cultus, qui prototypo debetur. Non enim Imaginibus convenit *Latria*, ut expresse dicit Nicæna Synodus, etiam iis, quæ Christum repræsentant; sed cultus inferior, qui ad eam reducitur tanquam imperfectum ad perfectum. Et hoc sensu dici potuit a Beatis Thoma, & Bonaventura, cultu eodem imaginem coli, & exemplar. Neque Imaginibus Sanctorum *Dulia* convenit, nec B. Virginis *Hyperdulia* simpliciter, sed secundum quid, aut anologice, & reductive. Observandum tamen est ex P. Suario, quod licet inter sapientes dici possit, quemadmodum S. Thomas dicit, Imaginem Christi Latria adorari, & sic proportione sua Sanctorum, & Deiparæ Dulia, & Hyperdulia; at pro concione ad plebem cautissime oportere loqui, ut omnis erroris, & idololatriæ occasio tollatur: satisque esse, eam docere, imagines propter personas, quas referunt, haberi in veneratione, in ipsisque coli personas, omni alia suppressa subtiliore discussione.

11. Quæres, an sicut colere imagines, ita precari eas possimus? Id enim ab Ecclesia videmur doceri ante Crucem canente:

O Crux, ave spes unica,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

Respondeo ex Tridentino citato Sess. 25. honorem esse Imaginibus exhibendum, non vero ab illis quidquam petendum, neque fiduciam in eis esse ponendam. Petitio enim, & fiducia ex his actibus sunt, qui referuntur præcise ad personam intelligentem. In hac autem prosa Ecclesiastica, in qua fundi oratio ad Crucem videtur, precatio illa per tropum, & prosopopejam explicanda est, ut sensus sit, *O Crucifixe, ave* &c. In cultu vero non sic res se habet; patet enim is etiam ad rem, cui homo se submittit, & venerationem exhibet. Quod utrumque commode explicatur exemplo illius, qui adorat Pontificem, ab eoque gratiam petit. Petitio quippe ad personam dirigitur, adoratio vero circa vestem, aut calceos versatur Pontificis. Et

quod

quod de oratione dicimus, dictum etiam de sacrificio intellige. Qua super re vide Epiphan. hæres. 27., 29., & 79. Irenæum lib. 2. contr. hæres. cap. 24., & Augustinum hæres. 7.

12. Quæres secundo, an Dei, & Angelorum imagines fieri possint, & qui cultus illis sit exhibendus? Illis non modo hæretici, verum & Catholici scientia celebres negaverunt suffragium, Abulensis cap. 4. Deuteron. qu. 5. Durand. in 3. disp. 9. Ayala, Peresius, & alii, quibus Patres videntur favere hac ratione. Deum, nimirum, (idem dic de Angelis) non habere figuram, quippe incorporeum: a qua quidem imago erat sumenda. Et quidem, Patres recte censerunt, si de Imagine propria sermo sit: imo id fide certum tenendum est. At a Patribus figuras symbolicas & metaphoricas nec fuisse rejectas, nec rejici debere, ubi periculum non erat erroris, (quod illis temporibus plerumque non aberat) constat primo. Quia in his, sicut in aliis Imaginibus, mali nihil erat, submoto periculo; & boni plurimum esse poterat: quippe cum per has possit etiam Dei memoria excitari, fides accendi, pietas roborari: & lex, quæ illas vetabat Exod. 20. & Deuter. 4. & 5. populo lata esset ad Idololatriam summopere proclivi, ut loca Scripturæ indicant, quæ dedimus. De cætero Deum visibili specie Adamo apparuisse, constat ex Genes. 3. v. 8. Jacobo ex eodem 28. Moysi ex Exod. 23. Isaiæ ex ejus cap. 6. & Amosio ex ejus cap. 9. Et in Evangelio visus legitur Spiritus Sanctus sub forma Columbæ Matth. 3. De Angelis quid dicam? qui toties mortalibus sub eorum figura apparuisse, leguntur in Scripturis Genes. 18. & in lib. Tobiæ? Cum aliis Isaiæ 6. & Daniel. 9. cum candida Stola Matth. ult. Lucæ ult. e Joan. 20. At de Personis Trinitatis Patrem sub specie Senis habemus Daniel 7. exponente Augustino lib. 2. de Trinit. & ibid. Tres Personas repræsentatas in tribus illis, quos in forma humana vidit Abraham Genes. 18. & quorum unum adoravit.

13. Quod vero ad cultum earum Imaginum pertinet; quum hæ naturaliter non repræsentent prototypon, uti Sanctorum Imagines, præcedat necesse est publica auctoritas, quæ eas ad cultum adoptet: qua auctoritate veluti sigillatæ, admissæque in Ecclesiis, eis ille cultus exhibendus est, quem Imaginibus naturaliter significantibus deberi diximus. Quamvis enim repræsentatio harum Imaginum minus propria sit, supposita tamen acceptione, sufficientem repræsentationem habent, satisque expressam, ut in illis, & per illas fiat adoratio, quæ per se primo referatur ad prototypa, & concomitanter circa ipsas versetur. Quod plane quidem colligitur ex Synodo VII. quæ de Imaginibus Angelorum immaterialium, & Sanctorum non item, loquitur modo eodem. Ex Synodo item VI. & ex usu Ecclesiæ, qui ima-

imaginem Christi sub Agni specie in veneratione habet. Si opponis: hac ratione Hominem, imaginem illum quidem Dei, licet non propriam, sancte adorandum; & Agnum verum, & Solem, & alias Creaturas, a quibus metaphorice Christus repræsentatur, quod merito irridet S. Augustinus in Concion. 3. ad psal. 115. Si hæc, inquam, opponas, respondeo cum Divo Thoma hic art. 3. ad 3. Hominem Creaturam esse reverentia dignam per se ipsam, & ideo ei non esse dandam adorationem propriam Dei, licet sit Imago Dei: posset enim id esse erroris occasio, sistente in homine motu adorationis, in quantum est res quædam, & ad Deum non transeunte, cujus est Imago. Quod non potest contingere, ait, in Imagine sculpta, vel picta in materia sensibili. Deinde homo non est institutus ad Deum representandum, quod idem dictum sit de Agno vero, de Sole, & aliis, ut viderat citato loco S. Augustinus. Si opponas iterum: si, quod rem in memoriam revocant Imagines, & illam metaphorice repræsentant, cultu dignæ sunt, eodem donanda erunt Nomina sacra Dei, & Christi: Id libenter concedam, maxime de Nomine Jesu, cujus adorationem abusivam, & impropriam, non dico cum Dominico Soto lib. 1. de Justit. quæst. 4. & cum Corduba lib. 1. de ead. q. 5. sed veram & propriam cum Suarezio hic sect. 5. ratione scilicet illius, quem significat. Primo, quia cultus hic magis aptatur sententiæ Pauli ad Philip. 2. In Nomine Jesu omne genuflectatur, magis usui Ecclesiæ, magis communi sensui fidelium. Unde Irenæus lib. contra hæres. 36. Nomen, inquit, Jesu per universum orbem glorificatur in Ecclesia: illudque comparat cum Imagine. Idemque, ait S. Thomas Opusc. 60. art. 6. multa in honorem congerens hujus Hominis. Secundo, quia Liber Evangeliorum adorandus dicitur a VII. Synodo: quid autem in toto illo dignius Nomine Jesu? Quod sive legas, sive proferas, idem est, dicente Synodo VI. can. 3. Quæ in Syllabis sermo, hæc & Scriptura prædicat, & commendat. Tertio, quia, quum ratio hujus adorationis sit res significata, quod voce significatur, aut Scriptura, materiale est: maxime, quum utraque sit ad Religionem destinata. Unde efficitur, ut Nomini huic facta irreverentia, contra religionem facta censeatur.

14. Quæres tertio, an hæc Imaginum veneratio præcepto injungatur Christi-fidelibus? Resp. primo, nullo quidem naturali. Licet enim natura teneamur Deum, & Sanctos colere, certus modus externi cultus ab eadem non designatur. Non item præcepto divino. Hoc enim neque in Scripturis imponitur, neque ex traditione colligitur. Non denique præcepto Ecclesiæ affirmativo, quod singulos fideles adstringat: nullibi enim istud invenitur. Resp. secundo. Supposito Sacrarum Imaginum usu in Ecclesia recepto, quæ Templa, & Altaria

eis

eis ubique exornat, duplex circa earum cultum præceptum oriri, negativum alterum, alterum affirmativum. Illud omnem injuriam illarum, & irreverentiam vetans, qualis esset Templa, & Altaria Imaginibus nudare: vetansque id graviter, & sub mortali peccato, quum materia præcepti sit gravis, utpote ad religionem pertinens. Affirmativum versatur circa cultum earum debitum, hoc tamen non obligat nisi in certis circumstantiis, quales essent, si fidem confiteri oporteat per talem actum, si cum cæteris fidelibus hæc adoratio sit facienda, vel si sit circa Imaginem præstandus actus, qui reverentiam requirat. Resp. tertio. Esse item naturale, & divinum præceptum observandi circa Imaginum cultum modum convenientem, ac debitum; ab his abstinendo, quæ aut superstitionem redoleant, aut in Idololatriam inclinent. Hæc ex doctissimo Francisco Suarez. At de Cultu Imaginum satis.

PROPOSITIO X.

Reliquiarum Sanctarum Cultus pius est.

1. NOmine Reliquiarum non modo corpora Sanctorum sunt intelligenda; sed eorum etiam partes, vestes, scripta sua manu, & res quæcumque, quibus singulariter usi sunt. Easque dicimus, merito a fidelibus conservari, observari, ac reverenter tractari, & coli; remque esse & rationi convenientissimam, traditione ad nos derivatam, fide certam, atque signis & miraculis corroboratam. In hoc argumento eosdem habemus contradicentes Refractarios Ecclesiæ & Veteres, & Recentiores, quos contra cultum habuimus Sanctorum, eorumque Imagines venerationi exponendas. Contra istos vero stat pro nobis primo Definitio Generalium Conciliorum Nicæni II. & Tridentini. (ut omitam Romanum sub Felice I. Carthaginense V. Lateranense sub Innoc. IV. Moguntinum, & Bracarense) Nicænum enim in definitione fidei ita loquitur: Igitur qui ausi fuerint aliud sentire, aut docere, aut more impiorum Hæreticorum Ecclesiasticas Traditiones contaminare, aut quicquam de consecratis in Ecclesia abjicere... aut Reliquias Martyrum, quas sciverint esse germanas, aut contra istas vafre, & improbe aliquid cogitare; si fuerint Episcopi, aut Clerici, deponantur; si Monachi, aut Laici, communione priventur. Tridentinum, eodem Dei Spiritu motum, hæc habet Sess. 25. Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium Sancta Corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & Templum Spiritus S. ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus

præstantur: affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem, & honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque Eorum opis impetrandæ causa, Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & etiam nunc damnat Ecclesia. Hæc quidem Christifidelibus sufficerent, si cum eis esset negotium; sed Exgregibus ab Ecclesia definitiones has ex traditione, ac Scriptura derivari, ostendendum est usque ad sæculum qnartum; deinceps enim ita clare deducitur ex Sanctis PP. praxique omnium Ecclesiarum, ut Adversarii ipsi id de sequentibus sæculis non diffiteantur: prolixeque id demonstrant Suarez. in 3. part. Tom. 1. disp. 55. sect. 1. Bellarminus de Reliquiis Lib. 2 cap. 2. Gottius Tract. 14. de Statu Animæ dub. 4. Natalis Alex. Dissert. de Venerat. Reliq.

2. Ex Scriptura autem Veteris, & Novi Testamenti derivari Reliquiarum venerationem probo ex illo Ecclesiast. cap. 49 Ossa ipsius (Joseph, quæ transtulit Moyses de Ægypto Exod. 13.) visitata sunt, & post mortem prophetaverunt. Et Reg. 13. Quidam sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt Cadaver in sepulcro Elisæi. Quod quum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit supra pedes suos. Ad quod alludens dicit Ecclesiast. cap. 48. Mortuum corpus ejus prophetasse. Quid? Nonne etiam pallium Eliæ reversæ sunt aquæ Jordanis, quum, volente Elisæo pertransire, illis pallio tetigit' & huc, & illuc divisæ sunt? Et (Reg. cap 23.) nonne sunt ab Josia reservata ossa Sancti Prophetæ, cæterorum mortuorum ossibus in cineres, eo imperante, redactis? Et quod prædicebatur Isai. cap. 2. Gloriosum sepulcrum futurum esse Domini Jesu, a primis nonne temporibus tale fuit? Ex his autem omnibus, qui reliquias neget honore donatas, illarumque virtutem voluisse Deum ostendere, parum in Scripturis videre necesse est. In novo Testamento pro earum confirmatione habemus Mulierem Hemorrhoissam sanitati restitutam fimbria Salvatoris ab ea tacta cum eximia fide, cujus gratia a Christo ipso laudata fuit. Actuum cap. 19. Sudariis, & Semicinctiis Pauli sanatos languores, & nequam spiritus e corporibus profligatos, & ejusd. lib. cap. 5. Infirmos per plateas ejectos, & in grabatis positos, veniente Petro, liberatos omnes ab infirmitatibus suis, si saltem umbra illius quemquam illorum obumbrasset. Quod si tantum valuit umbra transeuntis, quanto magis credendum est, exuvias cum Christo nunc regnantis in Cœlo valere?

3. Jam derivari ex traditione primorum temporum cultum reliquiarum, quem Patres IV. sæculi, & cæteri foverint, usque ad nos, probo ex Epist. Encíclica Smirnensis Ecclesiæ de Martyrio S. Policarpi, qui sub Imperatoribus M. Aurelio, & Luc. Vero circa annum Chri-

Christi 167. passus est. Verum, inquit, invidus ille, atque æmulus & Justorum generi semper infestus nequissimus Dæmon cum insigne illius (Policarpi) martyrium, vitamque ab ineunte adolescentia sine ulla reprehensionis labe transatam intelligeret, atque idcirco immortalitatis corona ipsum esse redimitum, operam dedit, ne corpus illius a nostris auferretur; tametsi multi inter nos essent, qui id magnopere cupiebant, & sacro illius Cadaveri communicare. Quiddam autem suggesserunt Nicetæ Hærodis Patri, ut Proconsulem adiret, moneretque, ne Cadaver illius donaret; ne forte, ut ajebant, relicto Crucifixo, hunc deinceps Christiani colere inciperent. Et isti quidem hæc dicebant, suggerentibus, atque instantibus Judæis.... Porro Centurio, quum pertinaciam Judæorum animadverteret, Corpus in medio collocatum, ut moris est ipsis, concremavit. Atque ita nos demum ossa illius, gemmis pretiosissimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate, & gaudio celebrare tum in memoriam illorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros ejusmodi exemplo erudiendos, & confirmandos. Vides ex hoc illustri antiquitatis monumento, Reliquias Martyris ab initio veneratione honoraria donatas: quis enim cultus pius est, si diem festum celebrare in honorem Martyris ante ejus exuvias talis non est? Vides insuper, Reliquiarum cultum ab Infidelibus exprobratum Christianis; quod Hæretici tantopere desiderant; & Ecclesiam Smyrnensem ad locum earum, religionis causa, convenire spondentem. Cathedram item S. Jacobi Apost. veneratos esse fideles longe ante IV. sæculum invenimus quoque apud Eusebium lib. 7. Hist. Eccles. cap. 19. Sane, inquit ibi, & Jacobi illius Cathedram, qui primus Hierosolymorum Episcopus ab ipso Salvatore, & ab Apostolis est constitutus, & quem Fratrem Domini nominatum fuisse, divina testantur volumina, ad nostra usque tempora conservatam, fratres illius Ecclesiæ jam inde a majoribus magna prosequuntur reverentia: satis perspicue declarantes, qualiter tunc antiquioris, tum nostri temporis Christiani Viros Sanctos ob ipsorum erga Deum amorem, debito semper honore venerati sunt, & hactenus venerantur. Hæc de primis tribus sæculis monumentis tradita reperiuntur cultum confirmantia Reliquiarum Sanctarum. Nec si ea deficerent, aliter esset credendum, quam nunc credimus, a Traditione scilicet Apostolica descendere, ac ruborem omnem exuisse Sectarios oportet, qui Patres tot & Sanctissimos, & Doctissimos sæculi IV. huic cultui (Idololatrico, si superis placet) principium dedisse, nobis venditare præsumunt; quasi Christus Jesus Clavum Ecclesiæ, quam sanguine suo

 fun-

fundaverat, sub his Rectoribus & Magistris projecisset, quod dicere, extremæ temeritatis, & insipientiæ est.

4. Probo deinde, hunc Reliquiarum cultum Deo fuisse, esseque gratissimum ex signis & miraculis per eas, tanquam per divina organa effectis; quorum partem ex Scripturis modo dedimus; partem eruimus ex gravissimis Auctoribus, quales sunt S. Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 8. ubi narrat ostenta per reliquias S. Stephani, & aliorum patrata; & ejusdem Epistola 137. ubi eleganter disserit, cur Deus per unius Sancti Reliquias potius quam alterius miracula interdum operetur. S. Gregor. Turonensis lib. de Glor. Mart. cap. 31. ubi de Reliquiis agit S. Andreæ, eorumque miraculis, & de oleo, quod ex illis manabat: mitto veteres historias similium ostentorum plenas. Accedunt & Reliquiæ singulari Dei Providentia reservatæ, quales sunt S. Jacobi Apostoli in nostra Hispania, quæ non ab Incolis solum, sed ab universi Orbis fidelibus religionis causa Compostellam peregrinantibus quæruntur, & adorantur ex immemoriali traditione. In Gallia Corpora SS. Dionysii, Martini, Hilarii, & aliorum. Mediolani SS. Gervasii, & Protasii, Nazarii, & Celsi: & hic Bononiæ SS. Vitalis, & Agricolæ nunc usque devotissime coluntur. Quid? Quod varia SS. Corpora fidelibus longo tempore occulta, Deo tandem revelante, detecta sunt, ut ex Epist. Ambrosii ad Sororem constat, & ex ejusdem Serm. 91. atque ex Hieronymi lib. contra Vigilantium?

5. Denique ratione id probo. Corpora quippe Sanctorum fuerunt templa beatarum Animarum, nunc cum Christo gaudentium, atque in earum consortio fruitura etiam ipsa æterna Beatitate, & honore apud Angelos: quidni hoc gaudeant apud homines? Rursus: eas Reliquias conservare reverenter, signum est amoris erga Sanctos, & erga Deum, quorum sunt Amici; incitativumque ad eundem in illos conservandum, & fovendum. Iterum: majorem cum Sanctis habent conjunctionem, quam eorum Imagines, quas Sancti coli dictum est. Atque has rationes, & alias late promovet Synodus VII. Act. 4. & 7. S. Aug. lib. 1. de Civit. cap. 13. & Damascen. lib. 4. cap. 16.

6. Nunc Hagiomacos audiamus opponentes. Primo illud Luc. 11. vers. 47. a Christo exprobratum Pharisæis: Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum. Secundo. Tam longe abest a Doctrina Christi hæc monumentorum, v. g. Martyrum, observatio, ut ipse Pharisæos comparet sepulchris dealbatis, (Matth. 23.) quæ internis ossibus mortuorum sunt plena, atque adeo immunda. Tertio. Concilium Eliberitanum can. 34. vetare ad sepulcra Martyrum cereos accendere, quæ hodienum unum e signis est venerationis in illos. Quarto. Quia si Corpora Sanctorum cultu sunt digna, eodem erunt & terra,

& ver-

& vermes, in quæ convertuntur. Quintum est, Veteres Patres exprobavisse Paganis rerum mortuarum cultum, sepulcrorum, & mortuorum Religionem, Altarium, & Templorum consecrationem. Quod fecerunt Clemens Alex. in Protreptico adversus Gentes, Tertullianus lib. de Idololatria cap. 13. & Minutius Felix in Octav. His assuit Dallæus, primis Christianis fuisse penitus ignotum primo, ritum condendarum reliquiarum sub omni altari. Secundo, usum portandarum reliquiarum in Processionibus pro quacumque necessitate. Tertio, usum Thecarum cum Reliquiis, quas penes se tenent, & portant quoquovis. Quarto, usum & earum ab uno loco in alterum translationis, & Cereorum ante illas ardentium. Quinto tandem, eam potius curam fuisse bonorum illorum fidelium, Corpora Martyrum, & Sanctorum sepelire, ac terræ diligenter mandare. Hæc fere sunt, quæ nobis opponunt Achatolici, quibus

7. Respondeo primo argumento, attexendo textui Lucæ, quod consequitur: Patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini, quia eorum operibus consentitis. Ex quibus verbis deducitur, Christum Pharisæos reprehendisse, quod facto confirmarent, quod sibi plaudebant reprobare in majoribus suis. Persequebantur enim vivos Prophetas, & ipsum adeo Dominum Prophetarum: qnumque se ædificare sepulcra eorum gloriabantur; non ex religione, sed ex hypocrisi id facere præseferebant. Ita textum exponit Chrysostomus in eum locum, & Imperf. homil. 24. ita Hieronymus Matth. 23. ita Hilarius cap. 24. in Matth. ita Augustinus lib. 2. contra adverar. legis & Prophet. cap. 5. ita denique Ambrosius lib. 7. in Lucam; cujus hæc sunt verba: Ædificando sepulcra Prophetarum, Patrum suorum facta damnabant: æmulando autem paterna scelera, in se ipsos sententiam retorquebant. Non ergo ædificatio, sed æmulatio loco criminis æstimatur. Argumentum secundum nihil facit ad causam, quam isti suggillant, cum metaphora illa planum sit, uti Christum unice ad improbandam Pharisæorum hypocrisim. Tertium ex Concilio Eliberitano depromptum ex dictis superius facile solvi posset: ratio autem, quam adducit Concilium, (inquietandos scilicet non esse Sanctorum Spiritus) explicatione opus habet. Fuerunt enim, qui per Sanctorum Spiritus, non mortuorum animas, sed vivorum Fidelium intellexerunt; quod hi inquietarentur, aut paterentur scandalum ob cæremoniam, quæ aut in errorem inducere poterat simpliciores; (animas nimirum Martyrum inde juvari) aut quod videretur quid commune habere cum ritibus Gentilium, qui ad Sepulcra cereos accendebant, ut ex Suetonio colligitur in Tiberio. Quæ expositio non inconveniens videtur; sed clarior & expeditior hæc Docti Suarezii, qui *Sanctorum Spiritus*, mortuorum animas interpretatur:

in-

inquietudinemque, quandam eorundem displicentiam; quod aut in levamen earum, si in Purgatorio erant, aut in honorem, si in Cœlo, superstitiosum quid a Christianis fieret. Quo in sensu dixit S. Ambrosius lib. 2. Epist. 8. loquens de quadam defuncta, non esse mæsticandam lachrymis, sed orationibus juvandam. Aut forte in eo sensu dictum fuit, quo I. Reg. cap. 28. dixit Samuelis Anima: quare inquietasti me? quo etiam Ethnici dicebant, inquietari Spiritus incantationibus, aut solicitari, ut loquitur Plinius lib. 28. cap. 2. Hasque superstitiones apud Gentiles viguisse id temporis in Bætica, proclive est credere, ut dictum est. Erat igitur removendum scandalum, aut scandali periculum ab illis Patribus, quod nunc nullibi est, sed incitamentum potius devotionis, & spei gloriæ corporum futuræ, ut late probat Hieronymus in Epist. ad Ripar. & lib. advers. Vigilantium. Quartum argumentum parum exhibet negotii. Reliquias enim colimus, dum in statu, ut ita dicam, Reliquiarum sunt, conservanturque sub tali forma, accidentibus, figura: quum vero hæc amittunt variis transmutationibus, & in eum reducuntur statum, ut nulla, aut fere nulla sit earum certitudo, adoratione decidunt; præsertim quum quamdam indecentiam præseferunt, a qua cultus religiosus maxime abhorret. Ad 5. dico, rationem habendam scopi SS. Patrum in illis Paganorum exprobationibus, ab eo, quod habebant Christiani in cultu reliquiarum, & Altarium, ac Templorum super Martyrum sepulcra, toto Cœlo diversi. Audiatur S. Aug. lib. ult. de Civit. cap. 10. Nos, inquit, Martyribus nostris non Templa, sicut Diis; sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, ubi sacrificemus Martyribus; sed uni Deo & Martyrum, & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum ejus confessione vixerunt, suo loco, & ordine nominantur; non tamen a Sacerdote, qui sacrificat, invocantur: quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum autem sacrificium Corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Idem habet serm. 101. de Divers. & lib. 20. cont. Faust. cap. 21. Sancte igitur a Patribus exprobratur Gentilibus, quod homines adorarent ut Numina, & ritu solemni consecrarent Idola, animasque mortuorum crederent circa sepulcra aberrare. Ubi vero fuit unquam tale apud Christianos, qui Heroas suos tanquam Dei amicos, quique in Cœlo regnant cum Christo, dumtaxat honore prosequuntur?

8. In cæteris, quæ assuit Dallæus, patet, hominem aut ex ignorantia, aut ex sublesta fide Dogma cum disciplina confundere. Quis enim non videt, aliud esse in honorandis Reliquiis Sanctorum nihil occurrere pietatis dissonum; & alterum, illas non fuisse a principio ho-

honoratas thecis, altarium superstructione, ac Processionum pompa celebri? Alterum, Reliquias pie ac religiose esse tractandas, tanquam amicorum Dei exuvias; alterum, sic, aut sic tractandas in his, aut illis circumstantiis? Hic enim valet Jurisconsultorum regula: Distingue tempora, & concordabis jura. Ac pro ratione temporis observantias quasdam permitti, induci, tolli, aut variari posse, Catholicis omnibus Theologis notum est: quemadmodum etiam est notum, rerum statum in exordio Ecclesiæ ea non admisisse, quæ nunc, variatis circumstantiis, cum laude exsequimur in honorem Dei, & Sanctorum. Deinde, quod tunc conderentur corpora Martyrum in sepulcris, nihil eorum venerationi detrahebat: cum constet, ad ea confluxisse Christianos religionis causa, eorum patrocinio imploraturos, & testimonium redditum fidei illorum sanguine, celebraturos; ad tale pro fide sacrificium præstandum se eorum exemplo, & recordatione accingentes. Sic Hieron. cont. Vigilant. Ambros. in Epist. ad Soror. Aug. serm. citato de Divers. Paulinus in Epigram. ad Severum misso, & Chrisost. Homil. 26. in 2. Epist. ad Corint.

9. His vero non quiescunt adhuc Heterodoxi, & altum vociferantur abusus, qui in Reliquiarum cultum irrepunt, eisdem in duobus aut etiam pluribus Ecclesiis honoratis corporibus, quasi Martyr plura habuerit, & his similes. Sed facile istis respondetur. Nobis cum Hæreticis non esse quæstionem de singularum Reliquiarum veritate, sed tantum de illarum cultu: cui nec superstitio aut rudium hominum, aut mulierculanum simplicium, nec deceptio vel inculpata, vel quæstuosa aliquorum quidquam detrahit. Tales enim corruptelas semper detestata est Ecclesia, studuitque corrigere, ut præstitit Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. 62. & Trident. Sess. 25. Neque minor a primis sæculis in vendicandis Sanctorum Reliquiis ardor in Pastoribus, & Ecclesiæ Ministris viguit. Constat enim ex Optato, (lib. 1. advers. Parmenianum) Lucillam Matronam a Cæciliano Archidiacono fuisse correptam, quod ante Spiritualem cibum & potum, os, nescio cujus Martyris, libare dicebatur: præponens Calici salutari os, nescio cujus hominis mortui, & si Martyris, sed *nondum vindicati*. Et a S. Martino Turonensi (Vitæ ejus capite 8.) larvam detractam falso Martyri, cujus Reliquiis cultus a longo tempore exhibebatur. Et inquisitione facta, Deoque, quem ardenter oraverat, inspirante, latronem ibi, non Christi Martyrem, invenisse.

10. Sed omissis Heterodoxis, cum nostris conferamus. Si enim Reliquiæ incertæ aliquando sunt, ut ex dictis constat esse, scire oportet, an conditionate, an absolute adorandæ sint? Et ratio dubitandi fulcitur hoc simili. Nam quum per modum revelationis Christi species cuiquam ostenditur; non absolute, sed sub conditione adoranda

est,

est, ne fortasse pro Christo Sathanam adoret transfiguratum in Angelum lucis. Huic dubio cum distinctione respondet Suarez. Aut enim sermo est de publico, & solemni cultu, aut de privato, & ex devotione particulari. Huic major certitudo non requiritur, quam aliarum virtutum actibus exercendis. Quumque adest prudens & sufficiens ratio pro Reliquiarum veritate, non debent sub conditione honorari: quia tunc nullum est erroris periculum. Si vero sermo est de cultu solemni, & publico, necesse est primo, ut constet de Sanctitate Personæ per judicium Ecclesiæ universalis, aut traditionem, aut Pontificis Canonizationem: (de qua mox) atque item, ut Reliquiæ publica auctoritate cultui proponantur. Tunc, licet non sit omnium æqua certitudo, absolute & absque explicita conditione possunt adorari: tum, quia in rebus humanis non est cur major requiratur certitudo; & periculum erroris non est, quum in ratione formali adorandi id esse non possit, in qua continetur, virtute, ratio errorem excludens: tum, quia si materialiter erretur, nulla erit culpa, quum bona fide, & prudenti modo procedatur: nec error sit in substantia rei adoratæ, sed in aliqua conditione, verbi gratia, quod corpus totum credatur esse, ubi est pars tantum: vel quod existimetur hujus Sancti, ex. g. Joannis, quum non sit nisi cognominis: vel quod litteræ initiales tantum inventæ fuerint supra sepulcrum insculptæ, quæ eædem initiales sunt alicujus sancti celeberrimi: unde, ut ego quidem puto, natus est error, quo creditur Caput S. Isidori Hispalensis, & ut tale venerationi exhibetur hic Bononiæ ad S. Stephani; quod sane Caput S. Doctoris non est, quum ex certis monumentis pateat, esse, quod ad S. Isidori Legione colitur in Hispania. Ad simile ex revelatione sumptum dico, veritatem personæ difficilius a solo, cui in visu ostenditur, posse discerni; moraliterque loquendo, rem esse valde incertam. Atque ex hoc, ut patet, exemplum deficit. Si tamen bona fide procedatur, idque præstetur ad discernendum, quod prudentis est, simpliciter adorans, nihil male admittet, neque culpæ reus erit, cultum exhibens Sathanæ, quem Christum esse sibi persuasit.

11. Pro coronide pauca de Vivifica Cruce dicamus, non jam ut Christi Domini Imago est, (de qua præced. prop. cursim) sed de ea, ut est Reliquia, sub qua utraque ratione illam considerat D. Thomas 3. p. q. 25. art. 4. in Corp. Primo modo, inquiens, consueverunt homines venerari Regis Imaginem; secundo modo ejus vestimentum. Utrumque autem venerantur eadem veneratione, qua venerantur & Regem. Ea vero, ut Reliquia est, ex contactu ad membra Christi, ut ait, & ex hoc, quod ejus Sanguine fuit perfusa, adoratur quoque eadem adoratione cum Christo, scilicet Latriæ: idemque sentiendum

de

de Spinis, Clavis, Lancea propter eandem rationem: modo tamen exposito, ubi de Imaginibus fuit dissertum. Atque hæc positio de fide est, & a nostris majoribus derivata: constat ex Origene Homil. 8. in Josue, eam probante ex Colossen. 1. ad Hæbreos 7. ad Philipp. 2. & ex Joann. 3. & 12. ex Hieron. I. Tom. Epist. 17. ad Marcellum, & Apolog. 3. cont. Ruffin. Epist. 13. ad Paulin. Ex Cyrillo Hierosolim. Cathec. 10. & 13. & Epist. ad Constant. Imp. Ex Greg. in Epist. 126. ad Recared. Hisp. Regem, cui mittit particulam Crucis ligneæ auro inclusam. Ex Chrysost. in Homil. quod Christus est Deus Tom. 5. ubi tanta, inquit, veneratione lignum illud habetur, ut qui parum ex illo habere possunt, auro includant, & cervicibus imponant. Eisque totus mundus repletus dicitur a Cyrillo (in citat. Cathec.) ob Crucis devotionem. Ut videant Crucis Osores, nihil esse, quod hac re super de Catholicis nunc blaterent. Ac de Cruce vide sis diffusius tractantes Petavium, Bellarminum, Bozium, Gretzerum, & alios.

12. Nec est silentio prætermittendum Signum Crucis, quod formatur in fronte, & super quascumque res digito exprimitur. De quo intelligunt Oecumenius, & Beda illud Apocal. 7. Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quousque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et de quo sic loquitur Tertul. lib. de Corona Militis: Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quandocumque nos conversatio excercet, frontem Crucis signaculo terimus. Si quæras, cur usus Crucis tam fuerit frequens inter Christianos? Accipe ex Bellarmino: primo quia terret & fugat Dæmones, secundo quia morbos pellit, & mala qualiacumque: tertio quia santificat ea, quibus imprimitur. Atque id primum ex Dæmonis apprehensione. Recordatur etenim, ubicumque id signum videt, Cruce se victum, spoliatum, ligatum, enervatum. Secundo ex opere operantis ad eum modum, quo vim habet Oratio. Est enim Signum Crucis quædam meritorum Christi invocatio eo signo veluti expressa. Tertio ex instituto Dei, & ex opere operato, ut videtur, quum & Judæi & Pagani Crucem efformantes, intentione faciendi quod faciunt Christiani, sæpissime fugaverint Dæmones, ut ex Nazianzeno constat Orat. prima in Julian. & ex Greg. lib. 3. Dialog. cap. 7. Unde Aug. lib. 83. qu. 79. exemplo id explicat rebellium Civium, qui Militibus cedunt, sive Incolæ ii sint, sive extranei, ubi explicatum vident Vexillum Imperatoris. Atque omnia hæc suo modo, nunc magis, nunc minus, con-

concurrunt, ut ægros signantes, & super eos manus imponentes, hi bene habeant, & si mortiferum quid biberint, non eis noceant. Item, ut Cruce benedicentes aquam, oleum, ramos, candelas &c. agros etiam, domos, & homines, Ecclesiæ preces super singula proferentes, nec non ex devotione particulari, effectus videamus, Deo cooperante, mirabiles. Unde apparet, quam inepte Centuriatores ritum hunc superstitionis calumnientur, utpote quod caracteribus affigat virtutem, Magorum more. Imo tam distat a magia, ut signo Crucis omnis magia solvatur, quod sapienter observavit S. Athanasius lib. de Incarnatione Domini inquiens: Signo Crucis omnia magica compescuntur. Veniat igitur qui istorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigiis Dæmonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis magiæ utatur signo Crucis ab ipsis deriso, Nomenque Christi invocet: & videbit, quomodo ejus rei metu Dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ, & veneficia jaceant. Unde ergo hæc caracterum discrepantia? Nempe illi nihil valentes naturaliter operari, signa tantum sunt fæderis inter Dæmones & Magos. Signum autem Crucis, non a se item habet, ut operetur mirabilia, sed ab Omnipotente Deo, tanquam institutum divinitus. Et hæc de Cruce, & de Sanctorum Reliquiis.

PROPOSITIO XI.

Expedit Sanctos Canonizari & quidem a Romano Pontifice.

1. NEmpe expedit, eos, qui in osculo Domini mortui sunt, sive violenta morte pro fide sublatos, sive charitatis & virtutum Evangelicarum gloria ad extremum usque spiritum Christo militantes, publico judicio ab Ecclesia de eorum fide & meritis lato, & de Beatitudine obtenta, honoribus hic cumulari illorum propriis, qui cum Deo feliciter regnant. Is enim Canonizationi Sanctorum subest intellectus apud Bellarminum, & graviores Theologos. idque est primæ partis propositæ subjectum: quod contra Rodulphum Hospinianum in Tractatu de. Orig. &c. cap. 6. Joannem Albertum Fabricium in Bibliograph. antiqu. cap. 8. & Protestantes, ac modernos Deistas primo loco probandum est. Primo enim quod Deo in veteri Populo placuit, in Populoque Christiano a principio gratum fore monstravit in sacris litteris, id Ecclesiæ suæ conveniens est; sed Deus in veteri instrumento Sanctorum Album conservari in Synagoga voluit, ut videre est apud Eccl. cap. 44. atque in novo confirma-

mari id ipsum & a Paulo ad Hæb. II. Viros eosdem quos commendat Ecclesiasticus, fide claros commendante, & a S. Stephano perinde faciente Actor. 7. & a Luca Actorum Scriptore divino, in Canone Sanctorum ponente eundem Stephanum, Jacobum Majorem, Petrum item, Paulum, Barnabam, Silam & alios: Sanctorum ergo Canonizatio expedit in Ecclesia Jesu Christi. Deinde Sanctos tenemur honorare, ut dictum est, quum quod Scriptura sic jubeat Eccl. cap. 44. citato dicente: Sapientiam eorum (nimirum Henoc, Noe, Abraham, &c.) narrent Populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia: tum quod eorum virtus, quam ut umbra corpus, sequitur honos, id mereatur: sitque perutile nobis eos facere amicos, ac benevolos observantia, & honore ad bona per illos obtinenda a Supremo omnium datore. Quæ omnia præstari jure non possunt, nisi qui sint veri Sancti nobis certo constet. Rursus: Quantum valeat exemplum bonorum ad vitæ cursum in finem, quæ Beatitudo est, dirigendum, experimento constat, & docet Apostolus Hæbr. 13. Mementote, inquiens, præpositorum vestrorum, qui loquuti sunt vobis Verbum, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem: quomodo autem imitabimur secure, quos in particulari nescimus, an recta fide & caritate militaverint Christo? Id vero Canonizatione certum fit. Ulterius: Nihil connaturalius est, quam membra ejusdem corporis invicem compati, & congaudere; Ecclesia militans, & Triumphans unum Corpus facit in Christo: igitur & Beatos extra teli jactum possitos, nostri compati-Militantium, nosque eorum beatitate gaudere, & Deo pro illa gratias agere, promptum est, ac connaturale: neque vero id sine judicio certo ab Ecclesia lato præstari certo potest. Tandem: Si veteri Ecclesiæ hoc ex ordinatione Divina sanctum fuit, quando Cœlorum portæ erant clausæ, atque illi omnes sancti (Hæb. 11. v. 36.) licet testimonio fidei probati, non accipiebant repromissionem; nunc Sanctos, quibus a Deo melius provisum est, (ibi) convenientius honorari Canonizatione dicendum est: præsertim quum si ea publico judicio non fieret, incommoda orirentur non levia, de quibus mox.

2. Si dicas, ex Canonizationibus saltem frequentibus, quales esse in Ecclesia Romana solent, inconvenientia quoque derivari, quæ viderunt Carthusiani, & Cistercienses, dum vetuerunt, ut dicitur apud Lambertinum lib. 1. de Canonizatione SS. ne novæ suorum Romæ sollicitarentur: id nihil est: non enim eadem ratio est universalis Ecclesiæ, ac Familiæ unius Religiosæ. Quælibet enim suam regulam præfixam habet, modumque vivendi: habet Majorum exempla illustria in Albo sacro Scriptorum; habet Præsides observantiæ Zelatores, Socios virtutibus prælucentes, laudationem Dei loquitur os viro-

rum illorum, mentem Orationi, & studio litterarum continuo deditam habent, manusque labori honesto, eosque secesos intra claustra a periculis removent, & colloquiis mundanis, quæ mentem, bonosque mores corrumpunt. (1. ad Corint. 15.) At universali Ecclesiæ, quæ instar retis est ex omni piscium genere congregantis, & in qua varii sunt status, leges civiles variæ, rationesque vivendi: expedit, non intermitti longo tempore Canonizationes, quum ad laudem Dei Omnipotentis, & gloriam Sanguinis Jesu Christi, qui lavit nos a peccatis nostris, (Apoc. 1. v. 5.) & quo signantur prædilecti ante mundi constitutionem ad gloriam cum illo singularem: tum ad erigendos animos debilium, quum vident ex suo & munere, & professione homines hic contemptui habitos, ad summum decus elevari cum principibus populi sui: mansionesque adeo esse pro omnibus in domo Patris æterni: Atque etiam ad fidem corroborandam, & fiduciam eorum, qui malis oppressi, novos Canonizatos precantes, eis liberantur, Deo sic plerumque faciente in gloriam servorum suorum. Accedunt ingentes sumptus pro Canonizationibus necessarii, (de quibus postea) quæ pro Familiis singulis Religiosis graves sunt admodum, si multi inscribendi sunt in Sacris dypticis; at pro tota Ecclesia, cui decernendi sunt Sancti ex variis regnis & populis, non perinde graves. Superest igitur, Canonizationes Sanctorum in Dei Ecclesia utiles esse.

3. Nunc videndum est, plurimum expedire illas a Summo Pontifice fieri. Sed prius status varios oportet ante oculos ponere, quos habuerunt hæ Sanctitatis declarationes ad cultum. *Declarationes* dico, non Canonizationes. Hæc enim vox non ante sæculum XII. in Ecclesia usurpari cæpta est. Ea usus est inter primos Uldaricus Episcopus Constantiensis in Epistola ad Calixtum II. pro Canonizatione Conradi Episcopi, & aliquanto post Alexander III. in Bulla Canonizationis Eduardi Angliæ Regis an. 1161., & post annos 11. in Bulla, quæ pro Canonizatione S. Thomæ Cantuar. Archiepiscopi ab eodem data fuit. Voxque ista a *κανων* græco, ut multæ aliæ, quibus utitur latina Ecclesia, habent origenem. Tria autem tempora in Canonizationibus distingui debet. Primum ab Ecclesiæ exordio ad sæculum decimum secundum, a sæculo decimo usque ad Alexandrum hujus nominis III. Pontificem. Ultimum ab Alexandro usque ad nos. Primo tempore hac facultate utebantur singuli Episcopi pro suis Civitatibus, vel Diœcesibus, accedente consensu populi; ac successu temporis, quum minus violentæ erant persecutiones, deliberante Concilio Provinciæ cum suo Primate, ad quem ab Episcopo loci Martirii acta Martyris mittebantur. Paceque Ecclesiæ Christi dedita, non jam consensus Populi, sed Principis cultum publicum Martyris, aut Con-

Confessoris debebat præcedere. A sæculo X. auctoritas Summi Pontificis petita fuit: ita vero illa in talibus causis exinde intervenit, ut Episcopi morem suum pristinum tenere pergerent. Denique ab Alex. III. decreto (Tit. 45. de Reliq. & venerat. SS. cap. Audiamus) ne liceret, aliquem pro Sancto absque auctoritate Ecclesiæ Romanæ venerari; consuetudo, maxime rationalis (ut cum Papebroquio loquar in Dissert. 20. Conat. Critic. Histor.) inolevit, ut nulla postmodum celebris *declaratio* Sanctitatis facta sit, præterquam a Pontifice Romano: Canonizationibus exin reservatis, putat Mabillonius in præfat. sæculi V. Benedic. tanquam una ex causis majoribus: & talis, ut consuetudine vim legis præbente, a Theologis censetur, & a canonum Studiosis.

4. Porro primi publica veneratione fidelium distincti fuerunt Martyres. Horum cultu stabiliendo, quoniam rationi testimonia Priscorum omnia in unum colligere magnæ molis esset; unum S. Cypriani sit satis, qui Epist. 97. ad Clerum suum scripta, ab eo petit, ut in notandis, & ad se mandandis Martyrum singulorum actis, ac certis diebus mortis sint solliciti; quo commemorationes, inquit, eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Confessoribus vero sententia multorum est, non ante quartum sæculum tribui cultum cæpisse. Mihi vero non videtur res adeo comperta. Nam Cyprian. lib. de Zelo, & livore, non de eo cultu tanquam tunc incipiente loquitur, cum ibi dicit: habet & pax coronas suas &c. Et Hieron. in vita S. Hilarionis refert, S. Antonium (mortum sæc. 4.) jussisse, in ignoto loco sibi sepulturam parari: ne Pergamius, qui in illis locis ditissimus erat, Martyrium (hoc est ædiculam super tumulum suum, uti fiebat cum corporibus Martyrum) fabricaret. Sozom. etiam scribit lib. 3. cap. 13. tumulum in Insula Cypro Hilarioni erectum, in quo cultum ei præstabant Incolæ: idque apud Palæstinos in more semper fuisse erga Viros pios, & Sanctos, quorum memorat quatuor. Et Socrat. lib. 8. cap. 10. sepulcrum simile refert erectum in Ægypto S. Hilammoni eximiæ virtutis Monacho. Dum is honor in Oriente Confessoribus tribuebatur; Occidens cultum publicum exhibebat SS. Martino Turon. Hilario, aliisque spectatæ Sanctitatis Viris.

5. Sed hic cultus, qui plerumque intra Ecclesiarum fines, ubi diem obierant Sancti, continebatur, potius *Beatificatorum*, quam Canonizatorum proprius fuit, dum non fiebat universalis, & communis toti Ecclesiæ. Talem vero fieri nunquam solitum fuisse sine consensu aut tacito, aut expresso Papæ, mihi certum est ex his rationibus. Nam ante sæculum decimum (de quo mox) nulli Sanctorum obtigit cul-

cultus universalis, nisi aut consuetudine; consuetudo autem nisi ex consensu saltem tacito Principis vim non habet, ut docet D. Thomas 1. 2. qu. 97. art. 3. Papa vero Princeps, & Caput est Universæ Ecclesiæ. Aut a Synodis pro re hac congregatis: quæ, quum frequentes Romæ essent jussu Pontificis; rem tanti ponderis non prætermisisse credendum est, Universalique cultui in illis aut applausum, aut contradictum a Patribus. Sed, ut observant Continuatores Bollandi in Propylæo disert. 20., ejusmodi Synodorum acta vix scribebantur: & ut in his sola voce multa approbabantur, sic etiam approbabatur populorum circa Sanctos religio. Quid? Nonne recursus ad Romanam Sedem a Sæculo 10. id ipsum probant? Mitto (ut de 2. statu Canonizationum loquar) nunc disputare, an a Leone III., an a Joanne XV. Pontifice prima solemnis Canonizatio facta sit. Quidquid enim sit, an S. Suidbertus, ut vult Bellarminus; an S. Uldaricus Episcopus Augustanus, ut asserit Mabillonius ad sæculum V. Bened. n. 99., omnium primus sacrum hunc honorem habuerit; sane hic aut per Rixfridum, aut per Luitorfium Episcopum sollicitatus fuit ex Sede Romana. Atque hoc exemplum ita fuit acceptum universis Ecclesiæ Episcopis, ut recursum ad Pontificem pro talibus causis omnes deinceps in religionem verterint, quemadmodum loquitur idem Mabillonius; adeo ut Udalricus Constantiensis Episcopus scribens ad Callixtum II. super S. Conradi Canonizatione an 1120., dicat, se interpellare Apostolicam Sedem pro Conradi Gloria, *ut moris est Ecclesiarum*, Canonizanda. Quod quidem mihi persuadet, bene & prudenter a Bellarmino dictum esse, ante Carolum M. fuisse fortasse alias similes Canonizationes, quamvis de illis non constet. Enim vero Bollandus in præfat. generali ad vitas Sanctorum §. 2. dicit, Epistolas ad Papam solitas fuisse mitti a principio hac super re: Et Ruinartius, a Papa cæteris nota fieri Martyria, quæ Romæ accidebant: quod data Epistola Martirii S. Ignatii confirmat. Sciendum tamen est, etiam ab sæculo X., quamvis Romam recurrerent Episcopi pro sollicitanda declaratione publica Sanctitatis Servorum Dei; eos tamen, inquirendo processisse, ut prius, de illorum meritis & miraculis.

6. At, quum ea agendi ratione inconvenientia non penitus vitarentur, quæ ante appellatum Papam ad solemnes elevationes ubique emergebant, fœdumque quoddam factum, Alexandro III. Ecclesiam gubernante, accidisset, ab eo lata est lex, quam vidimus, & contra quam nescimus, ab Episcopo aliquo, Archiepiscopo, aut Primate reclamatum usque ad hanc diem. Unde plane deducitur, omnes Ecclesiarum Rectores in ea semper fuisse sententia, Summorum Pontificum

cum esse Sanctos Canonizare, & id ab illis fieri expedire: quæ secunda pars est meæ propositionis, quam factis hactenus probatum, sic via ac rationibus penitioribus confirmo.

7. Canonizatio enim, ut dictum est, summo, ac publico judicio de fide, meritis, & beatitudine certo obtenta a Sanctis, de quibus agitur, lato continetur, ut illis in universali Ecclesia honor tribuatur, & cultus; sed id congrue fieri non potest, nisi ab eo, cujus decretis tota Ecclesia tenetur obedire, qui Pontifex est vices in ea Christi gerens: ab ea igitur conveniens est, fieri Caonizationes Sanctorum. Rursus: Sicut unus est Deus, unus Christus, una Fides, una Religio, ita omnes, qui de Ecclesia sunt, in uno Deo, uno Christo, una fide, & religione una debent convenire; id autem fieri nequit, nisi omnes ad Unum, uti centrum hujus Unitatis, colliment. Quod vero est hujus Unitatis centrum ex Christi ordinatione, nisi Petrus, & Petri Successores Romani Pontifices? Christus enim, (ait Cyprianus lib. de unit. Ecclesiæ) ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Primatus Petro datur &c. Unitas vero non minus requiritur in credendis, quam in agendis requiratur. Sicut ergo unitas in credendis ad unum refertur Papam, a quo sustineatur illæsa; ita cultus unitas, in Sanctis Ecclesiæ proponendis, quos honoret, & colat, ad Eundem pertinere oportet. Aliter enim periculum schismatis vitari non posset, his pro Sancto, Antonium v. g. habentibus, & aliis aut non talem, aut reprobum æstimantibus: quod alienum prorsus est ab intentione Christi, stabilientis Ecclesiam. Propterea enim (ait S. Hieronymus lib. 1. adversus Jovinian.) inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.

8. Contra oppones primo. Si Pontificum esset Canonizare, aut certe expedientius, ab initio Ecclesiæ eorum tantummodo fuisset, Episcopis, Primatibusque seclusis; sed non ita fuit, hodieque dum colimus Sanctos, ab illis Vindicatos, & Venerationi exhibitos. Secundo. Unitati Ecclesiæ, cui sustinendæ & vindicandæ Papa præpositus a Christo Domino est, error conferre non potest; sed judicium circa privatam personam, quale est Canonizationis, errori subest, sicut opiniones, quibus innititur. Ut enim cap. A nobis 28. de Sent. Excom. ait Innocent. III. Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: Judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli. Deinde in tali judicio deciditur, hominem in charitate & vixisse, & decessisse. Et, si nunc, nemo scit, se esse justificatum, quamvis nihil sibi conscius sit, ut de se dicebat Apostolus 1. ad Corint. 4. v. 4.

&, ut

& ut Ecclesiastes cap. 9. v. 1. nescit homo, utrum amore, aut odio dignus sit: qua ratione nobis persuadeamus, aut a Pontifice, aut a Cardinalibus ad consultationem adhibitis, de re hac haberi certitudinem? Tertio. Si judicium a Pontifice datum super Sanctitate hominis & ejus cultu unitati confert; ad fidem pertinebit, eritque de fide, talem esse Sanctum, quod certum non est apud omnes, nec facile defendi valet: Et, si fidei non est, quomodo Papa procedit de hac re definiendo?

9. Hæc difficiliora sunt argumenta, quæ contra secundam propositionis partem opponontur, quibus siggillatim respondeo. Primo quidem. Bifariam posse aliquem declarari Sanctum: aut quasi privatim, ita ut in una Diœcesi, aut provincia Sanctus habeatur; aut universim, ut in tota Ecclesia pro Sancto honoretur. Illud tota retro antiquitate fecerunt Præsides Ecclesiarum, ea observata ratione, quam innuimus. At cultum illorum Sanctorum quum Græcorum, tum Latinorum ubilibet frequentari, vel denuo incipere; aut Pontificis fuit tacite assentientis consuetudini, ut cum S. Thoma dictum est; aut omnino cæpit ab ejusdem approbatione post diligens examen virtutum, ac miraculorum Canonizandi. Quæ duo ut necessaria ad definitionem cultus declaravit Gregorius IX. in Bulla Canoniz. S. Antonii Patavini: quippe quum nec merita, inquit, sine miraculis, nec miracula sine meritis plane sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium Sanctitatis. Utraque vero rite probari, ut homo venerandus sine hæsitatione proponatur Ecclesiæ, plusquam humanum est, lumenque exigit quoddam a luminum Patre descendens, quo præstari secure queat. Id, quod ex ipsis Historiis Ecclesiasticis constat, in quibus habemus; quanta solertia Episcopi per ministros ad hoc statutos agerent, ut nihil eos lateret de Martyribus & *Designatis*, & *Consummatis*, quod ad Synodum referrent, a qua *Vindicati* declarabantur, & cultus illis destinabatur. Hoc tamen non impediebat, ne non semel scelerati pro Sanctis colerentur a populis, eisque Martyria erigerentur, ut constat ex factis Cæciliani Archidiaconi contra Lucillam; S. Martini Turonensis, quæ dedimus prop. præc. Cyrilli cum Ammonio seditioso, apud Socrat. lib. 7. cap. 8., & ex cautionibus Mensurii Cartaginensis Antistitis laudati a S. Augustino, ac tandem ex cultu homini dato in ebrietate defuncto; quod factum ab Alexandro III. extorsit Decretum, quod nunc usque, nullo contra Episcopo reclamante, in Ecclesia viget. Quo silentio convinci deberent veterum consuetudinum admiratores, & novarum reprehensores, hoc sicut & cætera jure & merito fieri in Ecclesia Dei eodem nunc, quo primis sæculis spiritu recta & confortata. Neque vero a nobis improbantur antiqua, quum nova amplectimur ab Ecclesia ordinata; va-

ria-

riata vero pro rerum & temporum exigentia. Salubre enim esse credimus; (ut cum Hugone a S. Vict. loquar lib. 2. de Sacram. fidei part. 11. cap. 12.) quidquid Spiritu Dei dictante, ab illa fuerit institutum, & dignum reverentia indicatum. Etsi enim aliis temporibus aliquando non ita fuisse, & nunc aliter esse, quam fuit, demonstretur, non tamen cogitare debemus, quasi levitate aliqua factum sit, ut nunc aliter teneatur, & aliter institutum sit, quam fuit; sed quod tunc oportebat, & ita salubre fuit, ut sic teneretur, & sic juberetur. Nunc autem alia esse tempora, & aliud esse congruum, sive necessarium saluti humanæ.

10. Respondeo argumento secundo, concessa propos. majori, minorem negando, quæ nec decisione sumpta a cap. A nobis 28. de sententia Excom. sustinetur, neque momentis ex Apostolo & ex Ecclesiaste mutuatis. Profecto in his, quæ ad particularia facta pertinent, (ait D. Thomas quodlib. 9. art. 16.) ut cum agitur de possessionibus & criminibus, vel de hujusmodi, possibile est, judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes. At in negotio Canonizationum, (quod dicit non sine opinione hominum, & testimonio procedere) addit ad 2. Divina Providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur. Et id quidem addit apposite. Quum enim assistentia Spiritus Sancti ei, ne erret, & ut omnem veritatem secure edoceat, promissa sit: quis credat, ea destitui Papam, quum Fides profitenda est? Cultus autem, quo Sanctum dignamur, quem Deo frui in gloria Pontifex Canonizans declarat, quædam fidei professio est. Atque adeo de hac re, sicut (sua quidem proportione) de fidei veritate dubitare non licet. Ego enim, inquit Bernardus epist. 174. ad Canonic. Lugdun. de colendis festis in honorem Sanctorum, quæ accepi ab Ecclesia, securus teneo, & trado. Et S. August. epist. 118. ad Januar. Quidquid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. Et quare? Nisi quia ut in credendis, ita & in agendis Columna es veritatis. Sane in discernendis genuinis Libris Sacræ Scripturæ ab apocryphis, ac falsis, non sine hominum testimoniis processit Ecclesia: & tamen de eorum auctoritate, qui ab ea canonici decreti sunt, dubitare, piaculum est. Vere etenim dixit Augustinus lib. contra epist. fundament. cap. 5. Ego Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret auctoritas. Quid quod nullus Sanctus declaratur sine miraculis, quæ a Deo impossibile est, ut fiant in falsi confirmationem, ut 2. 2. docet S. Thomas. Mitto inconvenientia, quæ ex fallibilitate Papæ in Sanctorum Canonizationibus orientur. Nemo enim certus esse potest de Gloria alicujus in particulari; atque adeo nec Augustini, nec Chrysostomi, nec Ambrosii, ne-

neque celebriorum Virorum, quorum gesta illustria, non ex Revelatione Divina habemus, neque habuit Ecclesia, sed ex hominum fide & attestatione. Atque ex his sponte descendit responsio ad alterum, quod ex Apostolo, & Ecclesiaste sumitur. Nemo enim privata cognitione securus omnino esse potest de sua, aut alius caritate, sine speciali revelatione: Ecclesia autem Dei, & ejus Caput Rom. Pontifex, quibus promissus fuit indeficiens Spiritus Divini afflatus, quum de caritate, & quidem heroica, alicujus decidit, securus esse omnino potest, & debet propter rationes modo dictas. Unde de hac veritate persuasus Sanctus Thomas sic ait quodlib. 9. art. 16. ad quintum: Pontifex, cujus est Canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicujus per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipue per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei. Hinc fit, ut qui a Papa Sancti declarantur, non sint ex numero eorum, de quibus dicitur Augustinus pronuntiasse: (non enim in omnibus ejus operibus tale quid reperitur:) multorum Corpora honorari in terris, quorum animæ torquentur in gehenna. Id enim credibile est de Corporibus Heroum Ethnicorum: eorum etiam, quos Donatistæ tunc temporis colebant: ac tandem aliquorum, quos ex falsa opinione honoraverunt Christiani, de quibus jam dictum est. At de eorum Corporibus, quos Pontifex Canonizasset, ac recepisset Ecclesia, nec Augustinus dixit, nec potuisset dicere, nisi sibi ipsi contradicendo.

11. Ultimo argumento respondeo. Hunc Divorum catalogo adscriptum a Pontifice, frui gloria cœlesti, non esse immediate de fide: solum enim est tale, quod a Deo testificatum est Verbo, vel scripto, vel tradito: quippe quum prima veritas revelans sit formalis ratio fidei; atque nec in Scripturis, nec in traditione contineatur, hunc, S. Bernardum v. g., Dei fruitione beari. Ille vero Divini Spiritus afflatus, quem diximus, nec est nova revelatio, nec propositio, aut explicatio jam factæ revelationis. Qua ratione usus est D. Thomas 2. 2. qu. 1. art. 7. ut assereret, quod quantum ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum per temporum successionem: quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicite. Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum, quia quædam explicite credita sunt a posterioribus, quæ a prioribus non cognoscebantur explicite. Bernardum vero Deo frui, in verbo Dei non habetur explicite, nec in fide Patrum, neque in articulorum præcedentium fide continetur. Unde idem S. Thomas hanc quæstionem dilucidans quodlib. 9. art. 16. postquam docuit: tria actionum genera a Pontifice præstari: unum quoad Ecclesiam docendam de necessariis: alterum quoad deliberandum de

fa-

factis in particulari, v. g. de poſſeſſionibus, vel criminibus: primum immediate ad fidem pertinens; alterum nullo modo: tertium ponit medium inter utrumque, eſtque hoc Canonizatio SS. & hic honor, inquit, quem Sanctis tribuimus, quædam eſt fidei proteſtatio. Et vere quidem, quum in eo præcipiendo Spiritus Sancti afflatus intercedat, cujus eſt Eccleſiam docere omnem veritatem: Sed *quædam*, dicit, *proteſtatio fidei*; non abſoluta, & ſine reſtrictione, qualis debetur articulis, & in eis contentis veritatibus. Quod vero Papa in hoc actu definiendo procedat, ut additur in argumento, non aliud ſignificat, quam Papam, qui in Canonizationibus, ut Judex agit, via judiciaria juxta allegata, & probata ſententiam profert, in qua ferenda ſpeciali regitur inſtinctu Spirit. S. Cujus judicium definitivum, qui in quæſtionem vocaret, non modo iſte temerarius eſſet, & ſcandaloſus, (ut ait Canus Locor. l. 5. cap. 5. prope finem) ſed impius, ſed blaſphemus, ſed ab hæreſi non multum remotus; ut cum Banezio in 2. 2. dub. 7. vult Gotius Cardinalis Tract. 14. quæſt. 7. de cultu SS. Et de argumentis tantum, quorum ex reſponſionibus cætera, quæ opponi poſſunt, non difficile elevantur.

12. Quæres, qui honores Sanctos poſt Canonizationem conſequantur? Et quod ſit hujus a Beatificatione diſcrimen? Honores Sanctis debiti, qui cum Deo regnare ſolemniter in Canonizatione declarantur, ſeptem omnino ſunt. Primus: in Albo Sanctorum eos ſcribi, ut ſcilicet, quemadmodum cæteri, qui ibi ſcripti ſunt, publice, & in tota Eccleſia colantur, & honorentur. Secundus: invocari eoſdem in publicis Eccleſiæ precibus. Tertius: erigi & altaria poſſe & Templa Deo O. M. in illorum memoriam. Quartus: Deo offerri Sacrificium quum Euchariſticum, tum laudum (quale officium eſt, ſeu Horæ Canonicæ) in illorum honorem. Quintus: deſignari, & celebrari dies feſtos eorum nomini poſſe. Sextus: Eorum item Imagines quodam ſplendore circumdatas depingi, velut in ſignum eorum gloriæ. Septimus tandem: Eorum Reliquias techis pretioſis includi, & ſervari. Jam Beatificatio aliquot ex his honores tribuit Beatificatis; ſed non tot, & ita univerſales. Conceditur enim illis primo a Summo Pontifice cultus, ſed ad Ordinem aliquem Religioſum, aut Provinciam limitatus. Neque enim in ea, ut in Canonizatione, definit ad honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, & auctoritate ejuſdem Dei Omnipotentis Patris, Filii, & Siritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli. N. eſſe Sanctum; neque præcipit, uti in illa, ut talis ab univerſa habeatur Eccleſia. Deinde Beatificatio non eſt ultimum judicium de Sanctitate ſervi Dei: Canonizatio eſt. Ad illam ſufficit relatio facta Pontifici a Cardinalibus Sac. Rit. Congregationis de vita, & miraculis Beatificandi poſt diligentem inquiſitionem: ut

his mature consideratis, sine solemnitate ulla declaret ex gratia, illum pro quo postulatur, Beatum esse, & posse de eo Missam celebrari, & officium dici in tali aut Ordine, aut Provincia. At in Canonizationibus, omnibus, quæ sunt dicta, præmissis, procedit de Cardinalium omnium Consilio in Consistorio, habitis etiam Prælatorum votis, præsenteque Clero, & Populo, quibus coram declarat, N. N. Sanctos esse, & ut tales in universa Ecclesia esse honorandos. Alias differentias inveniet Studiosus in cæremonialibus, & in canonistarum libris: nobis eæ satis.

COROLLARIUM

13. Ex his deduces facile, quam sordide, & imperite Romanam sedem calumnientur illius Osores, quum Sanctorum Canonizationes dicunt *Quæstosum inventum Romanorum Pontificum*. Demonstratum est enim, jam ab exordio Ecclesiæ morem hunc viguisse: crescenteque Fidelium numero, & potentia, ut pompa & solemnitas in Cælitibus honorandis augebatur, ita & periculum, ne non *rite vindicati* (ut tunc illi dicebantur, quorum vitæ acta, mortisque ratio a legitimis Judicibus perspecta essent, & æterna memoria digna inventa) pro Sanctis colerentur, crevisse. Conjecturæ item positæ sunt non leves a primis temporibus, omnia super re hac decreta ad Romanum Pontifiem fuisse perlata: neque Sancti ullius cultum factum in tota Ecclesia universalem, nisi aut decernente, aut non reclamante & contradicente Pontifice: & quomodo a sæculo X., aut prius ab ipsis Episcopis, & Primatibus Papæ auctoritas interpellata fuit, Alexandroque III. decernente, ne fierent Elevationes, nisi ab Ecclesia definirentur, nihil deinceps in hoc negotio sibi assumpserint præter solicitudinem referendi ad Papam de virtutibus Servorum Dei, ab eoque cultum eorum publicum postulandi. Causæ vero tantæ molis, & indaginis, & quæ, ut a toto Orbe Christiano Collectæ, multæ & difficiles ex distantia, moribus, linguis diversarum gentium esse debebant, non tenuem nnmerum hominum peritorum, & ministrorum eis adlaborantium exigebant, a quibus & digesta omnia forent, & summo studio perspecta, & indagata, prius quam Pontificis tribunali sistantur, qui ut Judex juxta allegata, & probata ultimo judicio eas est decisurus. Nunc ego ab osoribus istis Pontificis scire velim, qua nota dignos habeant Principes, ac Reges, qui pro decernendo ex justitia tribui cuique suum, tribunalia instituunt, suaque pro singulorum solertia, & labore, honoraria accipi, atque etiam repeti ab eorum Ministris & probant, & laudant? Et quidem justitiam administrari subjectis, necessitatis est, Canonizationes vero fieri hujus, aut illius Viri Justi non item; neque regna & populi, ut eas petant a Summo Præside

sol-

sollicitantur: habent item Sanctorum & veterum, & novorum cuneos, quibus cum pietati, & religioni in Cœlites satisfaciant: nec summi impendii rem a se peti ignorant, quum Incolam suum petunt solemniter declarari Cœli Incolam, & Domesticum Dei. Petunt tamen, & petunt, quum, Deo sic permittente, impietas odio armata in Ecclesiam & ejus Pastorem universalem, & ratiunculis ex phisyca promptis, omnia superstitioni, & imbecillitati tribuit: & miracula, aut ridet, aut non nisi naturæ effectus esse contendit. Ex qua causa sensim effectum est, ut Sacra Curia novis in dies Ministris augeretur, non his quidem gratis laboraturis: quibus sumptu adaucto, pro pompa Canonizationi in Ecclesia, ubi cultus novi Sancti a Papa præcipitur, congruente, hunc non levis momenti esse oportet. Sed quid in his omnibus reperitur, quod Summum Ecclesiæ Rectorem non deceat; imo quod proprium non sit solliciti, & integerrimi Judicis, Summique Administri unice diligentis decorem Domus Dei? Abeant igitur isti, & Quæstuosi inventi Reges, si audent, incusent, qui Tribunalia pro justitia administranda instituerunt; aut R. Pontificem hoc nomine taxare, & crimen avaritiæ turpe, quo timeo, ne ipsi fœde inficiantur, venerando Capiti impigere desinant.

14. Atque his opus *Theologicarum Institutionum*, quod, Deo aspice cœpi, adjutore tandem absolvi: in quo quæ mihi tria proposueram, Dogmata fidei potissimum confirmare: Theologiæ Scholasticæ dignitatem, & decus a conviciis, & reprehensionibus vindicare; faciliusque, & amabilius, ut ita dicam, illius studium Candidatis reddere, qua potui diligentia & contentione præstare studui. Primum meum propositum id a me exigebat, ut contra adversarios, quam acutos, & eruditos, tam in suis erroribus pertinaces, non modo via & ratione accurate argumenta premerem, sed ut ea haurirem a limpidissimis fontibus, a Sacra Scriptura, a decretis Conciliorum & Summorum Pontificum, & a Patrum Scriptis. Fontes vero hi, argumentis theologicis roborandis potissimi, a calumniis primum fuerunt vindicandi: idque præstiti pro virium tenuitate Lib. II. ubi Sacrorum Librorum authenticitatem asserui. Lib. XI., in quo jura exposui a Christo Domino data Successoribus Petri, & legitimis Conciliis: In III. Prolegomeno Patres viritim, singulorumque Scripta ex celebriorum Criticorum judicio recensui, atque probata, & vera ab spuriis, ac dubiis separavi: res, ut videtur, non exiguæ utilitatis, & ponderis. Hac enim accurata operum recensione præmuniuntur recens initiati Theologiæ, habentque præ manibus provectiores, quo se comparent contra argumenta, quæ ex Sanctorum Libris dicuntur desumpta; qui tamen aut Sanctorum PP. non sunt, aut certe Hæreticorum malitia conspurcati, quod post Gelasium (15. dist. decret. C. Sancta Romana) plures eru-

eruditissimi homines ostenderunt. Nec committendum erat, ut post sannas ab Achatolicis intemperanter profusas contra primores Ecclesiæ vindices, quod in eis confutandis, locis aliquibus uterentur aut Patrum, aut Sacrorum Historicorum, veris, & legitimis eo usque creditis, illegitimis tamen; de his non admonerentur studiosi, ne in eundem lapidem impingerent. Neque vero de his solum, quæ Patribus adsuta sunt; sed de his etiam, in quibus inculpandi tunc quidem errores Patribus exciderunt. Sancti enim erant, illuminati erant, doctissimi erant, sed homines: & felicitatem non errandi Deus solum Sacris Voluminibus inesse voluit, quemadmodum Augustinus (1. de Trinit.) gravissime, & verissime tradidit. Videatur de hac re Canus de loc. Theol. lib. 7. a cap. 3.

15. Secundus mihi scopus propositus vindicandi dignitatem Theologiæ Scholasticæ, quam a tribus, & amplius sæculiss malus genius profligere omnino vellet, id a me exigebat, & ut reprehensorum obloquutiones non penitus contemnerem, & ut eam sartam tectamque, quod in me foret, in sua majestate adspiciendam exhiberem, non jam adlaborandis apologiis, quæ multæ a Viris Sapientissimis scriptæ sunt, sed opera navanda, ut nævos in scribendis rebus theologicis declinarem, qui ab aliis dicuntur admissi: utque eos non ex Theologia ipsa, sed ex pluribus ejus Tractatoribus venire docerem. Primum stylo politiori, quam ut solet a pluribus; eruditione varia, quum res postulat; liberiore interdum oratione, interdum aculeata, dialetica, & pressa præstandum fuit. Ea enim plerumque desiderari in Scholasticis Theologis non Hæretici modo, sed & Catholici delicatioris fastidii conqueruntur, quos inter non numero Scitulos, qui ad linguarum studium nesciunt Juventutem adhortari, nisi prius Scholasticos Theologos maledictis figant. Id etiam mihi præscripsi, ut stabiliendis fidei veritatibus, confutandisque Hæreticorum erroribus, copiosius me in scribendo profunderem, in eis vero quæstionibus, quæ in utramque partem disceptantur inter Catholicos, non ita copiose, nisi de his disputandum esset, quæ aut prætermittuntur, aut levi calamo attinguntur a Theologis, quales illæ sunt de Azymo, & fermentato; de Baptismo in nomine Christi, & aliæ id genus. Jam nævi, qui Sacræ Theologiæ perperam adscribuntur, quum a vitio Tractatorum veniant, elevandi fuerunt, quoad fieri a me posset, ab scientia illa, cujus est (Authore Augustino Lib. 1. de Trinit. cap. 1.) docere, quemadmodum fides Catholica & piis opituletur, & adversus impios defendatur. Itaque quæstiones data opera prætermisi, quæ non paucæ a multis aut curiositatis, aut inutilitatis notantur; & quæ indifferentes sunt, ita discussi, non quasi ex adito pronuntiarem, sed ut mea, sic & opposita proponendo, ut legens eas, quæ magis sibi ar-

ri-

videant, possit eligere. Ut enim ego ab studio partium sum alienissimus, ita cupio esse lectores meos, fugereque hanc pestem, qua nescio, an sit alia scientiarum progressui infestior. Ad hæc, ut Summos Viros in Theologia memoro, & laudo S. Thomam, & Bonaventuram, Alensem, Canum, Suarium, Bellarminum, Petavium, & alios; ita (rem quidem invidiæ plenam, sed vindicandæ Theologiæ Scholasticæ, & Juventuti studiosæ illuminandæ oppido necessariam) Scriptores minus probatos, & graves, & quos aut a concinnitate in scribendo, aut a Divina, & Ecclesiastica eruditione, aut a Patrum doctrina minus paratos, aut in ejus selectu non ita industrios inveni, nominatim recensui, non animo quidem suggillandi viros probos, atque etiam sapientes, sed admonendi Candidatos Theologiæ, quorum in lectione librorum minori tædio, & majore utilitate ponere tempus, si velint, possint. Utque intelligant Theologiæ Censores, Scholæ Theologos oculos etiam eruditos habere, æraque a lupinis distinguere: quod ostendit in aureo suo opere Melchior Canus, (Lib. 8. & 12.) minime religioni habens ipsum Petrum Lombardum, sententiarum Magistrum appellatum, peccasse dicere perturbatione ordinis ac rationis in suo opere, cæteroqui sapiente & erudito; sed in quo præter *distinctionum* vocabula, in quas Libri illi divisi sunt, nihil distinctum fere invenias.

16. Quibus rebus (nisi inepte a me præstitis) in tertio proposito nonnihil profuisse posse, mihi videor, amabiliorem reddendi Theologiam, facilioremque ad eam aditum & convictum: quemadmodum, si a gravi & pulcherrima Matrona tollas crepundia, quæ ea non tam ornant, quam onerant, illamque instruas eo, quæ ejus decet gravitatem, ornatu; atque ab Gynæceo removeas, qui aut ex illius familia non sunt, aut certe non ex eorum numero, qui suo sunt servitio, atque honori selecti, & vocati. An vero, & quomodo id præstiterim, alii videant. Ego quidem, si in re tantæ molis, ac difficultatis multum mihi arrogem, stultus sim & excors; si dicam, non multum studuisse, ut assequar, mendax. Huc enim omnigena, quæ a juventute colui diligenter studia, tanquam ad signum direxi, judicans cum Augustino, (lib. 2. de Doct. Christ. c. 4.) sicut vasa aurea, & argentea, cæteramque Ægyptorum suppellectilem, etsi mutuatam, jure quasi suo Deo, & sibi Populus Israeliticus vindicavit; vindicari eodem jure a Christiano homine Gentilium, & Profanorum divitias ad Christi, & Ecclesiæ honorem & decus & posse, & debere. Tamen, ut verum fatear, opus tanta deliberatione arreptum non multum affuit, quin sæpe ad finem fere pertingens flammis absumerem, sententia illa, quæ adeo terrebat Origenem, menti proposita: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Neque id me commovebat solum, sed judicii Sapientium cogitatio, si secundas

das meas curas mors prævéniat, quam ex salutis affectione non longe esse, sentio. Quod si maturius accidat, id moneo charissimos amicos meos, quod S. Augustinus (Lib. 3. Trinit.) suos: Vos autem, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam Scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis: non bonam causam suscipitis: facile in ea, me judice, superamini. Quoniam non mihi placet, quum a Carissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profecto enim non me, sed pro me alium sub nomine meo diligitis. Enimvero, quam legem e S. Hieronymo mihi præfixi, (Epist. 152.) Antiquos nimirum legere, probare singula, retinere quod bonum est, & a fide Catholicæ Ecclesiæ non recedere: his annis octodecim, ex quo laborem hunc cæpi, continuo habui præ oculis, sed ante omnia, ne a fide, ab statutis, ab observantiis Catholicæ Ecclesiæ vel latum unguem discederem. Hanc enim, quam Dei benignitate & gratia Matrem in sacro lavacro habui, talem semper & amavi, & colui, & suspexi: ei me, meaque omnia & devovi, & devoveo: & si quid in hoc meo opere ab illius fide & Decretis alienum deprehendatur, ex nunc horreo, & detestor, decretaque exosculor, quibus mea errata, quantumvis imprudenti elapsa, damnentur.

O. A. M. D. G.

INDEX

PROPOSITIONUM LIBRI XVII.

PROP. I. PRimi Ecclesiæ præcepti antiquitas, sanctitasque adstruitur. *pag.* 3
PROP. II. Dominicæ diei observatio antiquissima est, & catholica. 6
PROP. III. Pascha Sanctissimum, & antiquissimum festum Christianorum, & quæ ad illud sequuntur, elucidantur. 13
PROP. IV. Festorum immobilium institutio, & sanctitas. 23
PROP. V. Ecclesiastici Jejunii indoles, sanctitasque adstruitur. 38
PROP. VI. Quadragesimale Jejunium antiquissimum est, & Catholicum. 47
PROP. VII. De jejunio quatuor temporum, & festorum vigiliis. 58
PROP. VIII. Tertii Ecclesiæ præcepti æquitas, & sanctitas adstruitur. 64
PROP. IX. Primitiarum, & oblationum jus, & ritus. 74
PROP. X. Præceptum annuæ Confessionis pium est, atque utile. 85
PROP. XI. Quæ ad præceptum annuæ Communionis attinent, exponuntur. 89

INDEX

PROPOSITIONUM LIBRI XVIII.

PROP. I. SUnt certa quædam loca, sive animarum post mortem receptacula. *pag.* 94
PROP. II. Esse Purgatorium, in quo expiantur animæ justorum, quibus post mortem eluendum aliquid superest, Catholica veritas est. 102
PROP. III. Parvuli sine Baptismo decedentes æternæ mortis pœna mulctantur. 115
PROP. IV. Dæmones, & Damnati apud inferos sempiterna pœna cruciabuntur. 125
PROP. V. Angeli, ac animæ ab omni labe puræ, viso facie ad faciem Deo, & nunc sunt bea-

beatæ, & erunt in æternum. 147
PROP. VI. Corpora Sanctorum a resurrectione gloriæ dotibus splendescent. 163
PROP. VII. Sanctorum invocatio pia est. 172
PROP. VIII. Sanctorum cultus pius, & sanctus est. 182
PROP. IX. Imagines Jesu Christi, & Sanctorum pie coluntur. 195
PROP. X. Reliquiarum Sanctarum cultus pius est. 205
PROP. XI. Expedit Sanctos Canonizari, & quidem a Romano Pontifice. 214

IN-

INDEX GENERALIS

QUÆSTIONUM, ET RERUM NOTABILIUM,

QUÆ IN XVIII. LIBRIS HUJUS OPERIS CONTINENTUR.

Littera T. Tomum, L. Librum, p. propositionem, n. paragraphum indicat.

A

ABortus procuratio peccatum est ad homicidium accedens; tripliciterque accidere potest. Tom. 3. Lib. 6. prop. 19. n. 13.

Abraham quomodo licite habuerit plures uxores? T. 2. L. 2. p. 3. n. 10. Nec mentitus est, cum Saram sororem dixit. Ibid. Quomodo autem a peccato excusetur, cum eam periculo adulterii exposuerit? Ib.

Abrogatio legis quid sit? T. 4. L. 8. p. 15. n. 2.

Absolvendi potestas solis Presbyteris concessa est. T. 6. L. 16. p. 4. n. 1.

Absolutio fieri potest per verba deprecativa. Et quidem Græca Ecclesia usque ad præsentem diem semper forma deprecativa usa est. Ib. n. 3. Latina Ecclesia antiquitus deprecativam, & indicativam promiscue adhibebat. n. 3. & 4. Nunc etiam, quamvis sola forma indicativa essentialis, & sufficiens habeatur, tamen in praxi utraque adhibetur. n. 4. Christus nullam determinavit formam Sacramenti Pœnitentiæ. n. 5. Forma indicativa, qua Latina Ecclesia utitur ab sæculo XIII. optima, & congruentissima est, & solummodo necessaria. n. 6. Ecclesia non novam formam induxit, nec quicquam proprie in praxi immutavit; sed solum explicuit, quod in antiqua continebatur, declaravitque, quid in ea forma esset de essentia Sacramenti, quid ad decentiam pertineret. n. 7. Occasio hujus declarationis, & praxis exponitur. n. 8. Argumenta probantia, deprecativam formam aptiorem, & congruentiorem esse, enodantur. n. 9. Per absolutionem Sacerdos vere remittit peccata. n. 10. & 11. Per absolutionem Sacramentalem remittuntur peccata etiam ante completam pœnitentiam. n. 12. Ad Sacramenti substantiam, & integritatem nihil refert, an absolutio ante completam Pœnitentiam, an post ejus exequutionem conferatur. n. 15. In conferenda Sa-

cramentamentali absolutione ante, aut post expletam pœnitentiam indifferens fuit usus Ecclesiæ antiquæ. Ib. Idem est hodiernæ Ecclesiæ. n. 16. Congruentius tamen est, ut actio pœnitentiæ vindicativæ fiat post absolutionem. Ib. Secundum diversas temporum, & Personarum circumstantias aliquando statim audita confessione, aliquando post expletam pœnitentiam absolutio Sacramentalis impertiri solet. n. 17. Absolutionis Sacramentalis, & Canonicæ distinctio, ritusque eas conferendi publicis pœnitentibus exponitur. n. 14. Absolutio Canonica quando, quibus, & a quo concedebatur? Ib. Praxis hodiernæ Ecclesiæ in conferenda absolutione publicis pœnitentibus. n. 17.

Abstinentia inter partes temperantiæ subjectivas prima est virtus, quæ ciborum appetitum secundum rationem moderatur. T. 3. L. 6. p. 30. n. 5. Abstinentiam ab aliquibus cibis ex Dei præscripto semper fuisse observandum, ex scripturis liquet. n. 8. A prima Ecclesiæ institutione usque ad nostra tempora abstinentia aliqua a cibis aliquibus, quibusdam saltem anni diebus fuit servata. n. 9. Vid. Jejunium, Carnes. Abstinentia ab aliquibus cibis, immo a quocumque jucundo, ac delectabili esse potest præcepti Ecclesiastici materia. n. 12. Abstinentia a carnibus, ovis &c., quam de ratione præcepti Ecclesiastici esse tuemur, magnæ utilitatis, & meriti est apud Deum. n, 13.

Abstractio Prophetica, & ejus effectus explicantur. Ib. L. 7. p. 24. n. 12.

Acceptio Populi vim, ac robur legi non tribuit. T. 4. L. 8. p. 1. n. 6.

Acceptio personæ quid sit? T. 3. L. 6. p. 19. n. 2. Acceptio Personarum gravius peccatum est in spiritualium, quam in temporalium dispensatione. n. 3. In honoris exhibitione acceptioni Personarum locus esse potest. n. 4. Per ipsam vero judicium corrumpitur. n. 5. Distributivæ justitiæ opponitur acceptio Personarum. n. 2.

Accidia definitur. Ib. L. 7. p. 21. n. 4. Accidia vitium est. Ib. Accidiæ filiæ recensentur. n. 5.

Accusatio requiritur ad judicii rationem T. 3. L. 6. p. 20. n. 7. Quandoque accusationem supplet infamia, vel facti evidentia publica. Ib. In accusatione attenditur ad punitionem criminis. Ib Accusatio multiplici ex capite fit injusta. Ib. Accusatio in quo differat a denuntiatione? Ib.

Achaz quot habuerit annos, cum genuit Ezechiam? T. 2. L. 2. p. 7. n. 9.

Acta Apostolorum Canonica sunt. T. 4. L. 10. p. 6. n. 1. Plurima alia Acta circumferuntur, quæ nec vetusta, nec authentica sunt. n. 2. Diluuntur, quæ contra ve-

veritatem Actorum Apost. objici solent. n. 9. ad 14.

Actus purus. Vid. Deus. Actus liberi in Deo per quid constituantur? T. 2. L. 1. p. 13. n. 6. ad 8.

Actus rectus importat entitatem actus, & rectitudinem; & hæc a quo proveniat? T. 3. L. 6. p. 4. n. 22. Actus omnis deliberatus in individuo aut bonus est, aut malus, quamvis ex objecto, & specie plures indifferentes sint. n. 26. Actus mere interni directe, & per se præcipi a lege pure humana non possunt. T. 4. L. 8. p. 12. n. 4. Actus externus non est meritorius, nec meritum auget nisi indirecte. T. 3. L. 7. p. 8. n. 23.

Adamus hominum primus a Deo creatus est. Ib. L. 6. p. 1. Convincitur ex ipsa Genesis historia cap. 1. n. 1., & 2. Suadetur ex aliis Scripturarum, & Patrum locis. n. 3. Argumenta opposita solvuntur. n. 4. ad 10. Adamus, quamvis per vires naturæ non haberet potentiam non moriendi, præstabatur tamen ei per naturalem virtutem ligni vitæ. Ib. p. 3. n. 13. Adamus ante lapsum habuit fidem. Ib. L. 7. p. 9. n. 1. Adamus peccavit. T. 4. L. 9. p. 6. & peccavit peccato mortali. n. 1. Adamo fuit impositum præceptum, & hoc ipsi fuit revelatum. n. 2. Nec soli Adamo fuit impositum, sed etiam Evæ, & ejus posteris, ad quos notitia per Adamum omnium caput derivaretur. Ib. Dæmon veri, & animati serpentis ore Evæ fuit loquutus. n. 4. & 5. Modus tentationis explicatur. n. 6. Primum Adami peccatum fuit superbia. n. 7. & 8. Aliorum opiniones referuntur, & eorum rationibus satisfit. n. 8. ad 12.

Adamus ita fuit a Deo conditus, & rectus institutus, ut si innocens perseverasset, eamdem originalem justitiam in posteros propagaret, qui ex ipso, tanquam ex activo principio, seminaliter nascerentur. T. 4. L. 9. p. 9. n. 2. Adamus, si innocens perseverasset, non futurus fuisset causa physica, & effectiva justitiæ originalis in animabus posterorum suorum. Ib. Nec futurus fuisset causa meritoria justitiæ in posteros transfundendæ. Ibid. Futurus fuisset causa occasionalis, & moralis. n. 3. Adamus peccando, non est peccati originalis causa physica, aut meritoria, sed solum occasionalis, & moralis. n. 2., & 3. Adamus, si ante primum peccatum Abelem genuisset, & Abel alium filium, hi justi conciperentur, & nascerentur. n. 4. Si vero antequam Abel filium gigneret, Adamus peccasset, Abelis filius cum originalis justitiæ privatione conciperetur. Ibid. Adamus, quamvis de vetito fructu non vesceretur, si tamen aliud quodcumque peccatum commisisset, justitiam originalem amisis-

sis-

sisset, & hæc amissio in posteris subsequuta fuisset. Ib. Vid. Peccatum Originale.

Adjuratio quid sit? T. 4. L. 8. p. 6. n. 1. Alia est deprecativa, alia præceptiva. Ib. Adjuratione aliter utimur ad homines, & aliter ad Deum. Ib. Homo sibimet potest obligationem imponere per adjurationem, non autem aliis, nisi subditis. Ib. Adjuratio ut sit licita, exiguntur justitia, veritas, & judicium. n. 2. Dæmones neque deprecative, neque præceptive adjurari a nobis possunt. n. 3. Adjuratione, quæ est per imperium, ad quosdam effectus uti licet, ad quosdam non. Ib. Quomodo de creaturis rationis expertibus adjurare possimus? n. 4.

Adjutorium *quod*, & adjutorium *quo* a S. Augustino asserta explicantur cum D. Thoma. T. 3. L. 7. p. 5. n. 12. ad 16.

Adoratio. Vid. Cultus.

Adulatio quid sit? T. 3. L. 6. p. 26. n. 1. Adulatio habere potest rationem peccati læthalis vel ratione materiæ, vel finis, vel ex occasione. Ib.

Adulator quando teneatur ad restitutionem. T. 4. L. 8. p. 10. n. 7.

Adulterium quale dirimat matrimonium? T. 6. L. 16. p. 13. n. 20.

Advena quis sit, & quibus legibus teneatur? T. 4. L. 8. p. 13. n. 1.

Advocatus in culpa erit, si miserabilium personarum, ad quarum defensionem tenetur, patrocinio non suscipiat; si injustam causam defendat, aut justam injuste. T. 3. L. 6. p. 20. n. 13., & 14. Advocatus alteram tantum partem defendens, licite potest ab ea pretium accipere. n. 15.

Ægyptiacæ, seu Copticæ Versionis notitia. T. 2. L. 3. p. 2. n. 4.

Æqualitas diverse consideratur in justitia commutativa, ac in vindicativa. T. 6. L. 16. p. 6. n. 5. Æqualitas amicitiæ quomodo restituatur? Ib. & p. 7. n. 2. In recompensatione æqualitatis justitiæ vindicativæ attenditur arbitrium Judicis. n. 3. Æqualitas in satisfactione ad Deum non est secundum æquivalentiam, sed secundum ipsius acceptationem. Ib.

Æquinoctium vernum quid sit? T. 7. L. 17. p. 3. n. 3. Pascha Christianum non potest ante æquinoctium vernum celebrari. n. 4.

Æra judaica utitur author libri primi Machabæorum, & author secundi Alexandrina. T. 2. L. 2. p. 27. n. 9.

Æternitas quid sit? Ib. L. 1. p. 2. n. 4. Toti Dei æternitati semper est præsens quidquid in quacumque temporis differentia existit. n. 8. ad 10.

Æthiopicæ versionis notitia. T. 2. L. 3. p. 2. n. 5.

Affectatio quid sit? Opponiturque per excessum modestiæ. T. 3. L. 6. p. 34. n. 10.

Af-

Affectiones Christi in quo a nostris differant? T. 4. L. 10. p. 12. n. 5.

Affinitas, an matrimonium dirimat, & qualis? T. 6. L. 16. p. 13. n. 26.

Agilitas Corporum SS. post resurrectionem explicatur. T. 7. L. 18. p. 6. n. 5.

Alleluja vox est hebraica habens vim interjectionis. T. 5. L. 12. p. 9. n. 12.

Altare est in Christi Ecclesia. T. 6. L. 14. p. 1. n. 3. Altarium erectio, & eorum antiquitas probatur ex PP. contra Lutherum, Ib. p. 2. n. 9. Altaris consecratio sancta, & antiqua est. Ib. p. 8. n. 4. ejusque ornamenta necessaria recensentur. n. 5.

Aman non fuit de stirpe Agag, qui regnavit in Amalech. T. 2. L. 2. p. 21. n. 7.

Amasias annis viginti septem regnavit. Ib. p. 7. n. 8.

Ambitio est inordinatus honoris appetitus. T. 3. L. 6. p. 29. n. 5. Tripliciter contingit, hunc appetitum inordinatum esse. Ib. Ambitio est vitium oppositum per excessum Magnanimitati. Ib.

Amentium Baptismus. Vid. Baptismus. Utrum eisdem concedenda sit communio. Vid. Eucharistia.

Amoris Dei actus an sit distinctus a detestatione peccati? T. 6. L. 16. p. 2. n. 6.

Amortizata bona quæ dicantur? T. 5. L. 12. p. 12. n. 42. Vid. Manus mortuæ.

Anachoretæ a quo sic appellentur? Ib. p. 19. n. 7.

Angariæ quales sint? T. 4. L. 8. p. 9. n. 21.

Angelos existere, fide certum est. T. 3. L. 5. p. 6. n. 1. Probabilibus rationibus suaderi potest, n. 2. ad 6. non demonstrari. n. 6. Angeli sunt quædam substantiæ ratione præditæ homine nobiliores. n. 1. Sunt item intellectivæ, & spirituales. n. 4. & 5. Non ante mundum corporeum, sed cum eo creati sunt. Ib. p. 7. Eos tamen ante mundum corporeum creatos, fere omnes antiqui Græci PP. tenuerunt, n. 3. & ex Latinis nonnulli. n. 4. Angeli omnino incorporei, & immateriales sunt. Ib. p. 8. Nomine Filii Dei Genes. c. 6. non Angeli, sed filii Seth designantur. n. 9. ad 12. Multi Patres cum Græci, cum Latini asserunt, Angelos esse corporeos. n. 15., & 16. Præsens autem quæstio ad fidem non pertinet. n. 19. Quænam compositio in substantiis spiritualibus admittenda sit? n. 24. Angeli immortales sunt, & incorruptibiles. Ib. p. 9. Angeli ejus sunt naturæ, & conditionis, ut mori, aut corrumpi non possint; ita ut semel creati, attento naturali rerum ordine, deficere ab existendo non possint. n. 2.

Angeli omnes inter se specie differunt. T. 3. L. 5. p. 10. An D. Thomas doceat, plures Angelos ejusdem speciei de potentia

tia

tia Dei absoluta esse posse, disputant Interpretes: opinionem negativam veriorem existimo. n. 8. De Angelorum numero varia est SS. PP. sententia. n. 9. In re autem, de qua nihil Ecclesiæ divinitus est traditum, solum affirmare possumus, Angelos in quadam multitudine esse, maximam omnem materialem excedentes. n. 10.

Angeli proprie in loco non sunt. T. 3. L. 5. p. 11. n. 1. Adsunt tamen certis, ac determinatis locis. n. 3. Angelus fit loco præsens per applicationem suæ virtutis ad actualem operationem in loco. n. 5. Argumenta diluuntur. n. 6. ad 11. Angelus simul in pluribus locis esse non potest. n. 12. Angelo cuivis non est determinatum spatium, sive sphæra activitatis, ultra quam operari non possit. Ib. Plures Angeli simul in eodem loco esse non possunt. n. 13. An autem de potentia Dei absoluta esse possint, inter se non conveniunt Authores. Ib. Angelo, sicut æquivoce convenit esse in loco, ita æquivoce convenit moveri secundum locum. n. 14. Angelus de loco in locum transire potest, sive transeundo per medium, sive non. n. 15. Angelus non potest loca mutare nisi in tempore. n. 16.

Angeli non cognoscunt per species a rebus sensibilibus acceptas. T. 3. L. 5. p. 12. Dionysius in lib. de Div. Nom. cap. 7. loquitur de modo naturali Angelicæ cognitionis. n. 6. & 7. Angelus non cognoscit naturaria extra se per suammet essentiam. Ib. p. 13. Angelus per suammet essentiam tamquam per speciem se ipsum cognoscit. n. 1. In Angelis non est intellectus agentis, & possibilis distinctio. n. 12. Locorum distantia Angelicam cognitionem non impedit. n. 15. Cognitioni Angelicæ non admiscetur tempus. n. 16. Angelica mens ad rerum naturalium cognitionem, quarum species habet inditas, non est quandoque in actu, quandoque in potentia. n. 17. Angeli, quo nobiliores, per pauciores, & universaliores species intelligunt. Ib. p. 14. n. 1., & 2. Angeli, quo superiores sunt, plura simul intelligere possunt. n. 3. In eis non est discursiva cognitio. n. 4. Angelus non intelligit componendo, aut dividendo. n. 5. Ejus intellectioni falsitas subesse non potest. Angeli autem mali decipi possunt quantum ad ea, quæ supernaturalia sunt. n. 6. Angeli materialia quævis in individuo cognoscunt. Ib. p. 15. Angeli singularia non cognoscunt per abstractionem specierum ab ipsis singularibus. n. 3. Nec in causis universalibus. Ib. Nec item per accomodationem, seu applicationem specierum universalium, quas inditas habent. Ib. Cognoscunt vero per formas innatas res materiales in sua singu-

gularitate, & universalitate, quatenus sunt similes formis a-ctivis in mente divina existentibus. n. 4. Angeli per species inditas non cognoscunt mysteria gratiæ. Ib. p. 16. n. 1. Cognoscere autem ea possunt per beatam Visionem, vel per extraordinariam revelationem. Ib. Angeli non cognoscunt internas animi cogitationes; n. 1. ad 4. nec futura contingentia libera. n. 5. Argumenta solvuntur. n. 7. ad 13. Angelus neque bonus, neque malus illabitur menti humanæ, ut in ipso hominis corde sit, & intrinsecus operetur. n. 4.

Angelis est voluntas. T. 3. L. 5. p. 17. n. 1. & quidem libera, qua Deum ut naturæ authorem, & se ipsos cum naturali, tum electivo amore prosequuntur; n. 2. & 3. & plus Deum, quam seipsos. n. 3. Angeli voluntas post perfectam electionem est immutabilis. Ib. p. 19. Angelis insunt habitus quidam, seu qualitates. n. 3. & 5. Hæ qualitates non sunt idem cum eorum substantiis. Ibid. Habitus illi, sicuti in nobis, esse possunt aut gratuiti, & supernaturales, aut naturales; possuntque etiam esse aut congeniti, aut acquisiti. n. 5. In Angelis quivis actus, dummodo perfectus sit, habitum producit. Ib. Verba Basilii, & Nazianzeni asserentia, Angelos difficile potuisse in malum transmoveri, non sunt intelligenda de Angelis post consumatam gratiam. n. 7. ad 9.

Angeli alloquuntur sese. T. 3. L. 5. p. 20. Recensentur, & refelluntur diversæ Theologorum sententiæ de modo, quo Angeli inter se loquuntur. n. 2. ad 4. Loquutio Angelica consistit in simplici, ac puro actu voluntatis, quo cogitationem suam Angelus ad alium refert, ac dirigit. n. 5. ad 8. Angeli non solum superiores inferioribus, sed etiam inferiores superioribus loquuntur. n. 9. Angelicæ colloquutioni locorum distantia nihil obstat. n. 10. Angelus potest alteri ita loqui, ut quod uni dicitur, alii non intelligant. n. 11. Angeli inferiores a superioribus illuminantur, superiores ab inferioribus non item. n. 12. ad 14. Angeli mali non illuminantur ab Sanctis Angelis. n. 14.

Angeli ex Patrum sententia in Hierarchias, Ordines, & Gradus distributi sunt. T. 3. L. 5. p. 21. n. 1. ad 9. Distinctio Hierarchiarum, & Ordinum est in Angelis ab ipsa natura. n. 10. ad 16. Non ex omnibus Ordinibus Angeli ad exterius ministerium, sed solum ex postremis quinque mittuntur. n. 17. ad 20. Angeli hominibus universis ad custodiam deputantur. Ib. p. 22. n. 1. ad 3. Provinciis, Regnisque Angeli Tutelares destinati sunt. n. 4. ad 5. Itemque toti Ecclesiæ, Ecclesiisque, seu Congregationibus singulis; n. 6. at-

atque etiam hominibus singulis Custodes Angeli adsunt. n. 7. ad 10. Quamvis plures Patrum solis fidelibus Custodes Angelos attribuant, non ita loquuntur, ut reliquos homines Angelorum custodia destitutos velint. n. 8. & 9. Veteres Ethnici, nonnullique sacri Doctores, a quibus alii, præsertim Ascetici, cunctis hominibus malum quoque Angelum assignant. n. 11., & 12. Corporalia omnia per Angelos reguntur. n. 12. Ex infimo ordine Spirituum, quos Angelos vocamus, hominibus singulis, & inferioribus speciebus Custodes dantur. n. 13. Hominibus autem dantur non a tempore conceptionis, sed a tempore nativitatis. Ib. Peccatores Angelorum custodia, & protectione non destituuntur. n. 14., & 15. Angeli non mærent, nec dolent de eorum perditione, quos custodiunt. n. 16., & 17. Angelus seu bonus, seu malus immediate, ac directe humanam voluntatem flectere, ac immutare pro libitu non potest. Ib. p. 23. n. 2. ad 4. Neque mentem, aut intellectivam potentiam. n. 5. Mediate vero, ac indirecte & mentem, & voluntatem immutare potest. n. 6.

Angeli omnes in Gratia creati sunt; T. 3. L. 5. p. 24. n. 1. ad 4. sed non in perfecta beatitudine. n. 5. ad 7. Angeli nulla voluntaria dispositione Gratiam acceperunt. n. 9. ad 12. Angelica substantia statim facta se ipsam cognovit, quod fuit cognitionis Vespertinæ, deinde hanc cognitionem retulit ad laudem Verbi, in quo facta est ei cognitio Matutina. n. 12. Angelis dona supernaturaralia collata fuerunt secundum capacitatem naturalem. n. 13., & 14. Angeli ante confirmationem fidem habuerunt. Ib. L. 7. p. 9. n. 1.

Angeli non nisi ex meritis beatitudinem obtinere potuerunt, T. 3. L. 5. p. 25. n. 1. & hanc mereri non potuerunt nisi per actus supernaturales. n. 2. Angelus per actum unicum supernaturalem beatitudinem meruit. n. 3. & 4. Angelus non potuit in primo suæ creationis instanti beatitudinem mereri. n. 5. ad 7.

Angelus peccare potuit; T. 3. L. 5. p. 18. peccare autem venialiter non potuit. T. 4. L. 9. p. 4. n. 2. Angelus non potuit primum peccare nisi superbiæ peccato. T. 3. L. 5. p. 26. n. 1. Angeli quidam reipsa peccarunt, & hæc assertio sola fide constat; ratione autem demonstrari non potest. n. 2., & 3. In cujus autem rei appetitione Angelus peccaverit, non satis constat. n. 4. ad 6. Angelus in primo suæ creationis instanti peccare non potuit. n. 7. Via malorum Angelorum totidem, ac bonorum instantibus circumscribitur. Ib.

Angeli, viso Deo facie ad faciem, nunc sunt beati, & in æternum erunt. T. 7. L. 18. p. 5. Angeli in-

invocari possunt. Ib. p. 7. n. 12.
Angelorum cultus. Vid. SS. cultus.
Anima hominis non est corpus, T. 3. L. 6. p. 2. n. 1. ad 3. nec materiale quidquam, sive anima non est composita ex forma, & materia, nec ab hac in existendo, & operando dependet. n. 4. ad 6. Impugnatur sententia Platonis. n. 7. ad 11. Tres vitæ gradus in eodem homine non possunt a diversis animabus, aut formis provenire. n. 10., & 11. Impugnatur sententia Avverroes. n. 12., & 13. Refellitur opinio nonullorum Peripateticorum. n. 14., & 15. Recensentur, & impugnantur opiniones Roussoi, Lokii, & Volterii de marerialitate animæ. n. 16., & 17.
Anima hominis est immortalis. T. 3. L. 6. p. 3. Anima a corpore separata intelligit per species prius abstractas, & in anima conservatas, si quas abstraxerit, aut per species a Deo infusas. n. 8. Anima perfectius intelligit, ac distinctius res cognoscit per species abstractas, quam per infusas. n. 9. Anima perfectius est in corpore, quam extra corpus. n. 10. ad 12. Deus animam ita creavit, ut posset esse corpori semper conjuncta. n. 12. Animæ humanæ non fuerunt omnes simul ab initio mundi creatæ. n. 16., & 17. Anima hominis non cum semine traducitur. n. 18. Anima intellectiva non potest nisi per creationem produci. n. 19. Anima intellectiva a solo Deo potest immediate produci. n. 20.
Animæ ab receptaculis sibi finaliter deputatis commigrare non possunt, nisi ad tempus ex Dei voluntate, & permissione. T. 7. L. 18. p. 1. n. 1. ad 3. Animæ in Purgatorio detentæ purgantur, & non puniuntur. T. 4. L. 9. p. 3. n. 3. Animæ humanæ ab omni labe puræ, viso Deo facie ad faciem, nunc sunt beatæ, & in æternum erunt. T. 7. L. 18. p. 5. Earum dotes exponuntur. n. 20.
Annata quid sit? T. 5. L. 12. p. 11. n. 27. Quis fuit Rom. Pontifex, qui annatarum usum beneficiis Ecclesiasticis imposuit? Ib. Annatæ non sunt sacris Canonibus contrariæ. n. 28. Objectionibus fit satis. n. 29. ad 32.
Annæ. B. V. Mariæ Matris festum recentis ævi est. T. 7. L. 17. p. 4. n. 17.
Antichriseos quid sit? T. 3. L. 6. p. 22. n. 15.
Antiochi duo pro concordia Authorum utriusque libri Machabæorum. T. 2. L. 2. p. 17. n. 9. ad 11.
Antiphonæ nomen cui voci detur? T. 5. L. 12. p. 9. n. 16. Antiphonæ usus est in Ecclesia antiquissimus. Ib.
Apparatui externo secundum rationis ordinem triplex est finis. T. 3. L. 6. p. 34. n. 17. In exterioribus rebus, quibus homo utitur, non est aliquod vitium: at potest esse inordinatio affectus ex parte utentis; & hæc inordina-

natio contingere potest tripliciter secundum excessum. n. 18.
Apocalypsis Liber Canonicus est. T. 4. L. 10. p. 7. n. 4. Quæ contra hunc Librum Hæretici congerunt, nullius momenti sunt. n. 8.
Apostoli immediate a Christo jurisdictionem acceperunt. T. 5. L. 11. p. 15. n. 21. Apostolorum uxores erant mulieres illæ, quas ipsi secum circumducebant. Ib. L. 12. p. 17. n. 6. ad 8. Apostoli Chrismate communiter usi fuerunt in exhibitione Sacramenti Confirmationis. T. 6. L. 15. p. 5. n. 21. Apostolorum festa quibus diebus occurrant? T. 7. L. 17. p. 4. n. 13.
Apostolicæ Ecclesiæ nomine quid significetur? T. 5. L. 11. p. 6. n. 1.
Apparitiones sensibiles Divinarum Personarum factæ Patribus veteris testamenti missiones proprie non fuerunt. T. 5. L. 13. p. 6. n. 12.
Appellatio quid sit? Ib. L. 11. p. 15. n. 16. Fieri debet intra tempus a jure præfinitum. T. 3. L. 6. p. 20. n. 9.
Appetibile non est causa movens Divinam voluntatem in iis, quæ Deus extra se vult. T. 2. L. 1. p. 12. n. 9.
Aqua misceri debet vino in Sacrificio Missæ. T. 6. L. 14. p. 6. n. 11. De hujusmodi mixtionis significatione, quantitate, & necessitate agitur. Ibid. ad 18. An aqua convertatur in sanguinem Christi, & quomodo? n. 19. ad 23. Aquæ congruentia ad Baptismi materiam traditur. Ib. L. 15. p. 4. n. 13. Aspersio aquæ, & benedictio. Ib. L. 14. p. 8. n. 53.
Aræ, aut Altaria ex antiqua Apostolorum institutione erigebantur. Ib. n. 4.
Arabicæ versionis brevis notitia traditur. T. 2. L. 3. p. 2. n. 6.
Arbor vitæ per naturalem virtutem homini moriendi impotentiam præstabat. T. 3. L. 6. p. 3. n. 13. ad 15.
Arbor scientiæ non metaphorica, sed naturalis fuit. T. 4. L. 9. p. 6. n. 3. Ea sic nominatur non ex naturali virtute, sed ex effectu. Ib. Ærumnæ, quæ post Adami esum sunt consequutæ, non ex cibo, sed ex peccato venerunt. n. 1.
Arca Testamenti: quid in ea continebatur? T. 2. L. 2. p. 7. n. 14.
Archi-Episcopi qui appellentur? horumque jura recensentur. T. 5. L. 12. p. 13. n. 17.
Archi-presbyterorum jura numerantur. Ib. n. 27.
Argentaria, id est, omnis argentea, aut aurea supellex ad Principem pertinet. T. 4. L. 8. p. 9. n. 21.
Armandia, id est, armamentaria quid sint? eaque Principi debentur. Ib.
Armenicæ Versionis notitia. T. 2. L. 3. p. 2. n. 8.
Ars quid sit? T. 3. L. 6. p. 5. n. 7.
Artaxerxes, ad quem Besalamus, & reliqui Judæorum adversarii

scripserunt, est Cambyses Cyri filius. T. 2. L. 2. p. 9. n. 4. Artaxerxes, cujus jussu Esdras Hierosolymas rediit, quisnam sit? n. 6. Artaxerxes Longimanus esse creditur, qui Hierosolymæ restaurandæ facultatem Nehemiæ concessit. Ib.

Asa abstulit excelsa Idolorum peregrinis cultibus consecrata; Deo vero consecrata non abstulit, in quo nullius criminis reus fuit. T. 2. L. 2. p. 7. n. 4. Baasa cœpit ædificare Rama anno 36. regni Asa, id est, anno 36. regni Juda. n. 3.

Ascenssionis celebritas ab ipso Apostolorum tempore inducta est. T. 7. L. 17. p. 3. n. 10.

Ascetæ Religiosi dicebantur, qui procul ab hominum conspectu vitam agebant. T. 5. L. 12. p. 19. n. 7.

Asperitas opponitur per defectum eutropeliæ. T. 3. L. 6. p. 34. n. 12.

Assuerus, ad quem accusatio facta est adversus Judæos, fuit Cambyses Cyri filius. T. 2. L. 2. p. 9. n. 3. Assuerus Estheris maritus fuit Darius Medus, Ciaxares dictus. Ibid. p. 21. n. 9. ad 16.

Assumptionis B. M. V. festum quo tempore cœperit dubiæ quæstionis est. T. 7. L. 17. p. 4. n. 5.

Astutia quid sit? T. 3. L. 6. p. 8. n. 8. & 9.

Athanasiani Symboli quis sit author a multis disputatum est. T. 5. L. 12. p 9. n. 6.

Attentio triplex est. T. 3. L. 6. p. 12. n. 9. Oratio, si non est attenta, nulla est. Ibid.

Attritio quid sit? T. 6. L. 16. p. 2. n. 7. Attritio sufficit intra Sacramentum ad impii justificationem. n. 10. Attritio, ex solo metu pœnarum a Deo imminentium concepta, bona, & laudabilis est. Ib. Argumenta Lutheri solvuntur. n. 13. ad 15. Attritio extra Sacramentum non potest per sese hominem perducere ad justificationem; intra Sacramentum tamen hominem ad justificationem disponit. n. 16., & 17. Attritio qualem Dei amorem includat? n. 18.

Audacia, quæ consistit in invadendo id, quod est homini contrarium, si moderatione caret, est passio vitiosa fortitudini opposita. T. 3. L. 6. p. 29. n. 2., & 3.

Auditus fit sine immutatione naturali organi, & cum minima immutatione sensibilis. Ib. p. 5. n. 3.

Avaritia est immoderatus amor habendi. Immoderatio hæc ex duplici capite oritur. Ib. p. 26. n. 3. Estque peccatum quandoque mortale, quandoque veniale. n. 5. Plures quasi species avaritiæ numerantur. n. 6.

Aureola Beatis conferenda quid sit? T. 7. L. 18. p. 6. n. 10.

B

Balsamum. Vid. Confirmatio.

Baptismus est Sacramentum. T. 6. L. 15.

L. 15. p. 4. n. 1. Quando fuerit institutus? n. 2. ad 4. Dicitur Sacramentum regenerationis. n. 5. Per Baptismum non solum peccatum Originale, sed omnia etiam personalia remittuntur. n. 6. Baptismus absolvit ab omni reatu pœnæ. n. 7. Accedentes ad Baptismum non tenentur ad externam, quæ fit Sacerdoti, confessionem. n. 8. Peccatoribus baptizatis imponenda non sunt opera satisfactoria. n. 9. Baptismus non solum confert gratiam, sed etiam virtutes, & dona. n. 10. Iterari, aut repeti non debet. n. 11.

Baptismi materia remota a Christo instituta est aqua naturalis; n. 13. proxima vero ablutio ipsa, seu lavacrum per aquam. n. 14. Non est necessaria immersio, multoque minus trina. n. 14., & 15. Antiquus trinæ hujus immersionis usus. n. 15., & 16. Quando cessavit? n. 64. Baptismi forma, necessitasque invocandi in ea Trinitatis Personas, & exprimendi personam Ministri baptizantis demonstrantur. n. 17. Argumenta contraria solvuntur. n. 18. ad 27. Apostoli ex speciali Christi revelatione in primitiva Ecclesia in nomine solius Jesu Baptisma sæpe conferebant, & illud Baptisme validum erat. n. 18. ad 21. Specialis illa revelatio Christi non fuit facta Apostolis post Ascensionem, nec post Resurrectionem, sed statim ab initio prædicationis suæ. n. 22. Hæc Baptismi formula data fuit per quamdam æconomiam, habito respectu ad conditionem, ac dispositionem Judaici Populi. n. 23. Necessaria est in Ministro intentio baptizandi, quæque debet per signum sensibile manifestari. n. 24. ad 27. Græci aliquando usi sunt in Baptismo forma Latinorum. n. 27. De forma, qua in præsenti utuntur. Ib. Nemo potest seipsum baptizare. n. 28. Quis sit Minister Baptismi? Ib. De subjecto Baptismi. n. 29. De necessitate illum suscipiendi re, aut voto. n. 29. ad 37. De Baptismo flaminis. n. 31. De Baptismo sanguinis. n. 32. Baptismus sanguinis non confert primam gratiam, & remissionem omnis pœnæ ex opere operato. Ib. ad 37. Infantibus, atque periclitantibus nondum perfecte natis Baptismus saluberrime confertur. n. 38. ad 40. Infantes baptizati, cum adoleverint, ad vitam christianam sine nova ratificatione cogendi sunt. n. 39. Baptismus quare Cathecumenis differatur? Ib. Non possunt baptizari infantes, nondum de materno utero egressi. n. 41. Saluberrime baptizantur furiosi, amentes, aut fatui a nativitate, quamvis nunquam lucidum rationis intervallum ullum habuerint. n. 42. Quid agendum cum eis, qui post nativitatem in hujusmodi amentiam inciderunt? Ib. Non potest valide baptizari adultus sui com-

compos nisi de propriæ voluntatis consensu. n. 43. Infantes licite baptizantur, cum adest unius saltem parentis, aut eorum, quorum curæ subsunt, voluntas, & consensus. n. 44. Hic vero consensus non requiritur ad baptizandos infidelium filios amentes, aut furiosos, qui quidem baptizari possunt, cum absque scandalo fieri possit. n. 45. Baptismus nullam actualem dispositionem requirit in parvulis. n. 47. Quænam autem requirantur in adultis ad Baptismum validum, & licitum? n. 48. De Baptismi valide, sed infructuose suscepti reviviscentia. n. 48. ad 50. Duodecim ritus, & cæremoniæ præcedunt Baptismum; earumque sanctitas, & antiquitas ostenduntur. n. 51. ad 62. Quinque earum Baptismum comitantur; n. 63. ad 68., & quatuor subsequuntur. n. 69., & 70.

Barnabas Ap. non prædicavit Romæ tempore Tiberii. T. 5. L. 11. p. 14. n. 4.

Baruc Liber Canonicus est. T. 2. L. 2. p. 25.

Beatus alius alio perfectius Deum videt. Ib. L. 1. p. 18. n. 22., & 23. Beati omnia, quæ vident, simul vident. n. 24. Beati non omnia cognoscunt necessario ex vi visionis beatificæ; n. 25., quæ vero videant, quæ non? n. 25. ad 29. Beati sacrificiis adjuvari non indigent. T. 6. L. 14. p. 5. n. 37. Pro eis tamen sacrificium offerre licet, quatenus Latreuticum, & Eucharisticum est. n. 48. Cur in Missa commemorentur, & celebrentur? n. 49., & 50. Beati possunt impetrare, non vero pro aliis satisfacere. Ib. L. 16. p. 6. n. 10.

Beatitudo creaturæ rationalis in nullo corporis bono constitui potest. T. 3. L. 7. p. 1. n. 2. Beatitudo in Dei cognitione, & dilectione consistit. n. 3. Cognitio, qua anima a corpore separata Deum naturaliter cognoscit, non sufficit ad ejus summam beatitudinem. n. 5. Homo in hac vita per cognitionem, quam de Deo per fidem habet, non potest ad beatitudinem pervenire. n. 7. Homo in statu integritatis, in quo fuit a Deo conditus, non fuit creatus ad solam naturalem beatitudinem. n. 8., & 9. Visio, comprehensio, sive possessio Dei, ac fruitio in beatitudinis operatione indivisim concurrunt. n. 10. Fundamentum totum beatitudinis est visio, & ultimum complementum gaudium. Ibid. Beatitudo est status bonorum omnium aggregatione perfectus, unde perpetuitas, & perpetuitatis cognitio infallibilis est de ratione beatitudinis. n. 11. Beatitudo objectiva hominis est Deus; formalis vero est operatio mentis gloriæ lumine elevatæ. n. 12. & T. 7. L. 18. p. 5. Consortium corporis non est necessarium ad beatitudinem. T. 3. L. 7. p. 1. n. 13. Plures ex an-

antiquis PP. in ea fuere sententia, animas nempe Sanctorum a corporibus separatas ad beatitudinem non perventuras usque ad extremum judicii diem, cum corpora resurgent.. Ib.

Beatitudinum nomen, indoles, & præmia exponuntur. T. 3. L. 7. p. 19. D. Augustinus ordine inverso explicat correspondentiam beatitudinum ad dona Spiritus Sancti. n. 4.

Bellum quid sit? Ib. p. 23. n. 1. Bellum aliquod est justum, sive aliquando etiam Christianis est licitum. Ibid. Quidam dividunt bellum in offensivum, & defensivum; proprie tamen nullum est justum bellum nisi defensivum. n. 3. Bellum dividitur in privatum, & publicum. Ib. Provinciarum Præfecti possunt propulsare, non autem inferre bellum, nisi ex consuetudine, aut generali mandato belli incidendi gaudeant facultate Principis, penes quem est authoritas. Ib. Ut bellum in foro externo sit justum duo requiruntur. n. 4. Ad tres reduci possunt justi belli causæ. Ib. In foro interno non sufficit, ut bellum in foro externo sit justum. n. 5. Justa causa subest, non solum cum Princeps, aut ejus subditi læsi sunt; sed etiam cum fœderati, amici, vicini, & generatim quicumque homines, quibus duo populi, aut Reges in quodvis bellum nullo causæ discrimine mutuam sibi opem promittunt. Ib. Peccant gravissime, qui sine ullo causæ discrimine conducti militant. n. 6. Causas, quibus ostenditur bellum justum esse, claras, evidentes, & conspicuas omnibus esse oportet. n. 7. An subditi causas belli investigare teneantur? n. 8. Quibus pugnare liceat? n. 9. Traduntur tres regulæ ad dignoscendum, quæ in hostes liceant, quæ autem non. n. 10. Neque mendacium, neque infidelitas in hostem licent. Ib. Objectionibus Grotii fit satis. n. 11. ad 15. An liceat adversus hostem veneficiis uti? n. 16. An liceat percussoribus immissis hostem extra prælium interficere? n. 17. Licet jure belli omnes nocentes occidere, eo item indirecte innocentes, quando a nocentibus secerni non possunt. n. 18. Cujus fiant res in bello captæ? Ib.

Benedictiones in Officio non dat per semetipsum Sacerdos. T. 5. L. 12. p. 9. n. 19. Quare a lectoribus petantur, & cur Domne, & non Domine dicatur? Ib.

Beneficentia est actus charitatis, non tamen est ad omnes, ad quos charitas. T. 3. L. 7. p. 14. n. 2. Ordo beneficentiæ sequitur ordinem dilectionis. Ib.

Beneficiarius suos facit fructus beneficii. T. 5. L. 12. p. 11. n. 15., & 16. Objectionibus occurritur. n. 17. ad 24. Vid. Clericus.

Beneficiorum quorumdam collationem alioquim ad Ordinarios pertinentem jure potest Rom. Pon-

Pontifex sibi reservare. Ib. n. 35.

Blasphemia dupliciter contingere potest; & quidem si in corde tantum sistat, est cordis blasphemia; si exterius aliquomodo prodeat, est oris blasphemia, & hæc definiri potest: convitium in Deum. T. 3. L. 6. p. 23. n. 11. Divus Thomas non videtur agnovisse distinctionem blasphemiæ a recentioribus Theologis receptam, nimirum in blasphemiam cum hæresi conjunctam, & in blasphemiam non hæreticam. n. 12. In foro tamen externo ad pœnam imponendam, blasphemiæ aliæ hæreticales, aliæ non hæreticales dicuntur. n. 13. A Divo Thoma recensetur blasphemia tanquam vitium oppositum fidei confessioni, & non fidei ipsi. n. 14.

Bonitas magis, aut minus participare potest; non autem unitas. T. 3. L. 5. p. 1. n. 9.

Bona naufragantium ad quem pertineant? T. 4. L. 8. p. 9. n. 21. Bona vacantia qualia sint? Ib. Ad Principem pertinent. Ib.

Bona Ecclesiastica sunt in multiplici differentia. T. 5. L. 12. p. 12. n. 19. Bona sacra in triplici ordine sunt. n. 21. Bonis Ecclesiasticis immunitas a tributis, vectigabilibus, & oneribus concessa est. n. 19., & 20. Si bona Ecclesiastica tanta sint, ut vix sufficiant ad fabricæ cultum, & Ministrorum honestum victum, ex jure divino ab omni secularium Principum jurisdictione exempta sunt. n. 21. Si vero tanta sint, ut ultra decentem domus Dei apparatum, & Ministrorum honestam sustentationem quicquam supersit, hujusmodi bona non sunt jure divino a tributis exempta. n. 22. ad 24. Reliqua Clericorum bona sive patrimonia sint, sive quasi patrimonia, aut mixta, non jure divino, sed tantum concessione Principum, & privilegio immunitate gaudent. n. 25. Objectionibus circa datas doctrinas occurritur. n. 26. ad 51.

Bonum naturæ tripliciter accipitur. T. 4. L. 9. p. 5. n. 1.

Breve quid sit? Ib. p. 13. n. 32. Munia Congregationis Brevium recensentur. Ib.

Breviario Romano utitur in Occidente Clerus sæcularis. T. 5. L. 12. p. 7. n. 11. Regulares, ut plurimum, suo quique proprio ritu divinas laudes personant. Ib.

Brutorum animæ non sunt spirituales. T. 3. L. 6. p. 2. n. 21. ad 24. Recensentur, & impugnantur diversæ de brutorum animabus opiniones. n. 18. ad 20. Licet hominibus occidere bruta animalia. Ib. p. 19. n. 12.

Bulla quid sit? T. 5. L. 12. p. 13. n. 32.

C

Cæremoniæ Missæ, & reliquorum Sacramentorum. Vide in singulis, Cæremonias, qui-

bus Sacramenta conficiuntur, Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi. T. 6. L. 15. p. 3. n. 1. ad 4. Sola Eccleſia habet facultatem mutandi ritus antiquos, & cæremonias. n. 3. ad 5. & L. 16. p. 4. n. 17.

Cæremonialia præcepta ſunt, quæ ad Religionem, ſive Dei cultum ſpectant. T. 4. L. 8. p. 4. n. 1.

Cancellaria conſtat perſonis ad conficiendas, ſcribendas, & expediendas litteras Apoſtolicas deſtinatis. T. 5. L. 12. p. 13. n. 32.

Canonici Regulares fuerunt, & Cœnobitæ. Ib. p. 7. n. 13. Quando deſierunt eſſe Regulares? Ib. Canonici olim vitam communem vivebant. Ib. p. 13. n. 34. Canonicorum munus præcipuum quodnam ſit? Ib. Eſt inter Canonicos dignitatum inæqualitas, & hæc in duplici differentia. n. 35. In quibus non ſolum conſilium, ſed etiam conſenſus eorum requiratur? Ib.

Canones pœnitentiales unde oriantur? T. 6. L. 16. p. 7. n. 1. & quinam ſint? Ib. In ſolemni pœnitentia omnia exacte ad normam Canonum perficienda erant; in privata autem Confeſſoris prudentiæ relinquebatur. Ib. Notitia de variis Canonum pœnitentialium Libellis. Ib.

Canonum Collectiones, ſive Compillationes recenſentur, & de ſingulis brevis notitia datur. T. 5. L. 11. p. 9. n. 6. ad 29.

Canonizatio Sanctorum expediens eſt, & quidem a Rom. Pontifice. T. 7. L. 18. p. 11. Calumniæ contra Romanam Sedem ex Canonizatione Sanctorum diſſipantur. Ib. n. 13. Canonizatio SS. an fide tenenda ſit? n. 10., & 11. Per Canonizationem quoſdam honores Sancti conſequuntur. n. 12. Cultus univerſalis probabiliter nunquam fuit conceſſus, niſi ex conſenſu Rom. Pontificis. n. 5., & 6. Initium hujus vocis *Canonizatio*. n. 3. Canonizationis differentia a Beatificatione. n. 12. Diverſitas in Canonizatione propter temporum varietatem. n. 3. ad 5.

Canticum Canticorum divinæ authoritatis eſt: Author Salomon. T. 2. L. 2. p. 14.

Canticum habetur in Horis præter Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam. T. 5. L. 12. p. 9. n. 24.

Canticum Te Deum authoritatem eximiam accepit ab antiquiſſimo in Eccleſia uſu n. 25. De ejus authore non conſtat. n. 24.

Cantu Deum laudare ad religionem ſpectat. T. 3. L. 6. p. 16. Cantus mollis, effæminatus, theatralis procul ab Eccleſia eſſe debet. n. 2.

Capitula, olim capitella, quid ſint? T. 5. L. 12. p. 9. n. 27. Capitula diverſa ſunt a lectionibus. Ib.

Captivitatis annorum ſupputatio. T. 2. L. 2. p. 8. n. 5.

Captus bello juſto, & in ſervitutem redactus an licite fugere poſſit? T. 4. L. 8. p. 9. n. 12.

Caracter Sacramentalis quid ſit? T. 6.

T. 6. L. 15. p. 1. n. 47. Caracter amitti non potest. n. 48. Caracteris subjectum non est substantia animæ, sed ejus potentiæ. n. 50. Caracter Sacramentalis est Caracter Christi. n. 51. Caracter, an sit causa reviviscentiæ Baptismi infructuose suscepti, cum removetur obex? Ib. p. 4. n. 50.

Cardinalis nomen unde sit acceptum? T. 5. L. 12. p. 13. n. 28. Cardinalis dicebatur Episcopus, aut Presbyter cuicumque Ecclesiæ addictus. Ib. Cardinalis nominis antiquitas ostenditur. n. 29. Cardinalium Diaconorum institutio antiquissima est. n. 30. Cardinalium munia. n. 31. Quomodo dicantur Cardinales Episcopis digniores? n. 33. Cardinales in Conciliis, an jus suffragii habeant. Ib. L. 11. p. 16. n. 14.

Carnium esus introductus videtur esse post Diluvium; ante Diluvium vero nulla Dei lege positiva fuit prohibitus. T. 3. L. 6. p. 30. n. 6. Imo non contemnendis conjecturis affirmari potest, antediluvianos ad sui nutrimentum animalibus usos fuisse. n. 7. Quamvis circa esum carnium nihil antediluvianis Patribus Deus præscripserit, tamen aliquem ciborum delectum ex Dei præscripto semper fuisse observandum ex Scripturis liquet. n. 8. Carnis abstinentia præcipitur ab Ecclesia in diebus jejunii; hujusque prohibitionis rationes assignantur. T. 7. L. 17. p. 5. n. 7. & 8.

Castitas modum præscribit delectationibus, quæ oriuntur ex appetitu, & usu necessariorum ad conservationem speciei. T. 3. L. 6. p. 30. n. 15.

Casus, qui in contractibus intervenire potest, est eventus fortuitus, qui humana providentia caveri, aut prævideri non potest. T. 4. L. 8. p. 10. n. 4.

Cathecumeni saltem voto Christiani sunt, atque adeo in Ecclesia. T. 5. L. 11. p. 1. n. 1. Cur Cathecumenis Baptismus differtur? T. 6. L. 15. p. 4. n. 39. Cathecumenorum gradus recensentur. n. 51. An pro Cathecumenis vivis orari possit in Missa? Ib. L. 14. p. 5. n. 35., & an pro mortuis? n. 40., & 43.

Causa prima quid sit? T. 2. L. 1. p. 1. n. 1. Causa univoca quid? & hæc dicitur, continere effectum formaliter. Ib. p. 4. n. 3. Causa æquivoca quid sit? & hæc dicitur, continere effectum eminenter? Ib. Causa physica qualis dicatur? T. 6. L. 15. p. 1. n. 41. Causa tripliciter cognoscitur per effectum. T. 3. L. 7. p. 1. n. 5.

Cautio quid sit? Ibid. L. 6. p. 7. n. 2.

Chaldaicæ paraphrasis nomine quid intelligatur? T. 2. L. 3. p. 2. n. 1.

Charitas non est ipse Spiritus Sanctus, sed quidam habitus supernaturalis. T. 3. L. 7. p. 13. n. 2. Charitas est supernaturalis quædam inter Deum, & homi-

nem amicitia. n. 3. Per charitatem infusam homo elevari debuit ad Deum diligendum. Ib. p. 13. Charitas non infunditur cum proportione ad capacitatem naturalem hominum. n. 5. & hæc in nobis esse non potest nisi ex infusione divina. n. 4. Est omnium virtutum forma. n. 6. Sola voluntas est Charitatis subjectum. n. 7. Charitas viatoris semper augeri potest. Ib. Charitatis augmentum intelligendum est ad modum aliorum habituum. n. 8. Charitas per quemlibet actum peccati, etiam ipsi non directe oppositum, amittitur. n. 9. Charitatis objectum tum materiale, tum formale exponitur; ubi de iis, quos propter Deum amare tenemur. n. 10. Ordo in Charitate servandus. n. 11., & 12. Charitatis effectus interni, & externi explicantur. Ib. p. 14. Charitas ex se gratior est Deo, quam omnia opera laboriosa; & si sit viva, æquivalet omni operi satisfactorio, ac remittit omnem reatum pœnæ temporalem. T. 6. L. 16. p. 7. n. 2.

Chorepiscopi qui essent? T. 5. L. 12. p. 13. n. 22., & 23.

Christiana Religio omnium prima, & antiquissima est. T. 4. L. 10. p. 21. Deum habet authorem. Ib. p. 22. n. 1. ad 14. Objectiones Hæreticorum diluuntur. n. 15. ad 20.

Christus, sive Messias in lege promissus jam venit. Ib. p. 1. Vid. Messias. Christi Divinitas asseritur. Ib. p. 10. n. 1. ad 7. Argumenta opposita solvuntur. n. 8. ad 13. In Christo quadruplex fuit scientia. n. 13. Christus veram carnem, verumque corpus habuit. Ib. p. 11. n. 1., & 2. Refellitur error Valentini. n. 3. Refellitur error Appollinaris. n. 4. Christi Corpus vere fuit doloribus, passioni, & corruptioni obnoxium. n. 5. Christus corporales defectus assumpsit, non contraxit. Ib. Christus non habuit eos defectus, qui pugnant cum plenitudine scientiæ, & gratiæ; nec item eos, qui non totam humanam speciem consequuntur. Ib. Christus habuit faciem decoram, honestatis plenam, amabilem, atque ad majestatem, dignitatem, authoritatem omnem compositam. n. 7. ad 10. Christus habuit sensitivam, & rationalem animam. Ib. p. 12. Christi anima non fuit creata ab initio ante omnem corpoream creaturam. n. 4. In Christi anima fuerunt passiones, sive affectiones sensitivi appetitus. n. 5. In tribus affectiones animæ Christi a nostris erant dissimiles. Ib. In Christi anima fuit verus dolor, seu passio corporalis. n. 6. Idem, quod de dolore, de tristitia, timore, & ira dicendum est. n. 8. Notatur obscurus Hilarii locus super Christi doloribus. n. 7.

Christus non unam, sed duas naturas distinctas, & impermixtas habuit. T. 4. L. 10. p. 13. n. 1. Fal-

1. Falsitas Eutychiani erroris convincitur primo ex Scripturis; n. 2. secundo philosophicis rationibus. n. 3. ad 7. Discutitur celebre effatum Cyrilli Alexandrini in Ep. ad Success. n. 8. Quamquam satis constet de mente Cyrilli, tamen quod ad usum ejus loquutionis pertinet, vitanda est. n. 9. Christum tribus naturis constare non dici potest. n. 10. Objectionibus Eutychianorum respondetur. Ib. p. 14. n. 13. & 14. In Christo non duplex est, sed una Verbi persona. Ib. n. 1. & 2. Nestorianorum objectionibus occurritur. n. 17. & 18. In Christo non una est, sed duplex voluntas. Ib. p. 15. Diluuntur Monothelitarum argumenta. n. 7. ad 9. In Christo præter voluntatem divinam, non solum fuit appetitus rationalis, qui dicitur voluntas, sed etiam appetitus sensitivus, qui dicitur sensualitas. n. 3. Objectionibus fit satis. n. 10 In Christo fuit liberum arbitrium. n. 4. Solvuntur argumenta. n. 11. & 12. Christo impositum fuit præceptum de morte subeunda. n. 12. In Christo diversæ sunt operationes, divina scilicet, & humana. n. 5. & 6. Objectiones diluuntur. n. 13. ad 15. In Christo duæ sunt nativitates, non autem duæ filiationes. Ib. p. 16. n. 7. Filiatio, qua suppositum Christus refertur ad Matrem, non potest esse realis relatio, sed solum secundum rationem. Ib.

Christus habuit in anima gratiam sanctificantem, sive habitum gratiæ supernaturalis. T. 4. L. 10. p. 18. n. 2. Gratia Spiritus Sancti est ejusdem rationis in Christo, & in nobis. Ib. Christus habuit omnes virtutes, quæ nec peccatum supponunt, nec imperfectionem includunt. n. 3. Id ipsum de donis Spiritus Sancti dicendum est. n. 4. & 5. Objectionibus occurritur. n. 6. ad 8. Christus ut homo est Filius Dei naturalis, & nullo modo dici potest adoptivus. n. 7. Plenitudo gratiæ est propria Christi. n. 9. Christi gratia est infinita. n. 10. Augeri non potuit. n. 11. Christus nec peccavit, nec pecare potuit. n. 12. In Christo non fuit fomes peccati n. 13.

Christus per suas operationes & sibi, & nobis meruit. T. 4. L. 10. p. 19. n. 1. & 2. Christus est caput corporis Ecclesiæ. n. 3. Ecclesiæ nomine hic quid intelligatur? n. 4. Christus est caput hominum non solum quantum ad animam, sed etiam quantum ad corpus. Ib. Christus est etiam caput Angelorum; non tamen dici potest Salvator, aut Redemptor Angelorum. n. 5. Mediator est Dei, & hominum homo Christus Jesus. n. 6. Munus mediatoris exercuit per operationes humanas patiendi, moriendi &c. n. 7. Christus & pro se, & pro nobis Patrem oravit, atque orat. n. 8. Christus Sacerdos est,

&

& Pontifex. n. 9. In quo differat Sacerdotium Christi ab omnibus aliis? Ib. Nec solum Sacerdos, sed etiam hostia, & victima. Ib. Christus pro nobis plene satisfecit. n. 10., & 11. Christi satisfactio an fuerit de condigno ob intrinsecum valorem ipsorummet operum, an solum ob extrinsecam Dei acceptationem? n. 12. Utrum Deus potuerit non acceptare Christi passionem, & opera tanquam pretium, & satisfactionem pro peccatis hominum? Ib. Utrum Christi satisfactio fuerit actus strictæ justitiæ? Ib. Christus ut caput, & Redemptor hominum habuit potestatem jurisdictionis ad ferendas leges, quibus homines obligaret. n. 13. Christus etiam ut homo supremum quoddam, & excellentissimum rerum omnium dominium habuit. n. 14. Christus habuit potestatem authoritatis, & excellentiæ, & hæ potestates explicantur. T. 6. L. 15. p. 1. n. 14.

Christus quo tempore Pascha celebraverit? Vid. Pascha.

Christus in quo pane consecraverit? Vid. Panis.

Christus cur Piscis in Scripturis dicatur? T. 6. L. 15. p. 1. n. 33.

Christus est author Sacramentorum. Vid. Sacramentum.

Cibi, & potus genus nullum est jure naturæ homini prohibitum, nisi quatenus valetudini perniciosum. T. 3. L. 6. p. 30. n. 5.

Circumcisionis institutio, finis, & effectus exponuntur. T. 6. L. 15. p. 2. n. 7. Utrum circumcisio gratiam conferret ex opere operato? n. 10.

Circumcisionis Domini festum. T. 7. L. 17. p. 4. n. 4.

Circuminsessio quid sit? T. 5. L. 13. p. 7. n. 25., & 28. Circuminsessio datur in Divinis Personis, sive Personæ Divinæ sibi invicem insunt secundum essentiam, n. 26. secundum rationem, n. 27. & secundum originem. n. 28.

Circumspectio quid sit? T. 3. L. 6. p. 7. n. 2.

Circumstantiæ adjunctæ augent peccatum. T. 4. L. 9. p. 2. n. 4.

Clandestinitas ex Tridentino matrimonium dirimit. T. 6. L. 16. p. 13. n. 28.

Claritas corporum SS. post resurrectionem explicatur. T. 7. L. 18. p. 6. n. 4. an in toto corpore se insinuet? n. 8. An sit ejusdem speciei cum luce hac nostra? n. 9.

Claves promissæ Matth. c. 16., promissæ sunt Simoni filio Jonæ. T. 5. L. 11. p. 12. n. 3. Per claves jurisdictio intelligitur, & potestas gubernativa. n. 4. Claves Ecclesiæ dicuntur potestates cognoscendi de culpa, & absolvendi, vel damnandi. T. 6. L. 16. p. 4. n. 12.

Clementia præscribit modum motibus iræ in vindictam tendentibus. T. 3. L. 6. p. 32. n. 1. Quomodo a Seneca definiatur? n. 3. In quo conveniat, & in quo a mansuetudine differat? Ib.

Clerici in sacris ordinibus constituti ad continentiam tenentur. T. 5. L. 12. p. 16. Probatur ex Conciliis. n. 1. Ex Rom. Pontificum decretis. n. 2. Ante Siricium Ecclesiastica disciplina hoc habebat, ut Clerici majoribus ordinibus constituti uxorem aut non habuissent, aut non haberent, aut ab ea, quam haberent, separarentur. n. 3. Quo jure Clerici in sacris ordinibus constituti ad continentiam teneantur? n. 5. & 6. Exponitur per quos gradus ad præsentem continentiæ disciplinam cum in Latina, tum in Græca Ecclesia perventum sit. n. 7. ad 19. Ante Concilium Trullanum nulla videtur communi lege prohibitum, aut consuetudine ab omnibus recepta, quæ vigorem legis haberet, ut Episcopi a propriis uxoribus abstinerent. n. 11. Argumenta contra præstabilitas doctrinas solvuntur. n. 12. ad 19. Nicænæ Synodi Canon tertius continentiam ab uxoribus ante sacros ordines ductis, majoribus Clericis non præcipit. n. 14. ad 19. Tam in Græca, quam in Latina Ecclesia vir, nisi sciente, & consentiente uxore, in sacris ordinibus ordinari non potest. n. 20. Consensus uxoris requiritur, etiam si fuerit per divortium legitimum a marito separata. Ib. In sacris constituti ad continentiam tenentur, non solum vi præcepti Ecclesiastici, sed etia vi voti explicìti, aut implicìti. Ib. Votum Ecclesiasticæ continentiæ potest ab Ecclesia relaxari. Ib.

Clericis a Populo alimenta debentur jure humano. T. 5. L. 12. p. 11. n. 1., divino, n. 2., Canonico, n. 3., & Civili. n. 4. Laicorum querelis satisfit. n. 7. ad 9. Clericus ex bonis Ecclesiæ ditescere non potest. n. 14. Solvuntur argumenta. n. 15. Quare Clericus de Ecclesiæ bonis testamentum facere non possit? n. 19. Quare eis pluralitas beneficiorum sit prohibita? n. 20. Clericus patrimonium habens, Ecclesiasticos redditus habere, ac retinere potest. n. 21. Clerici magis quam Laici tenentur ad subveniendum pauperibus ex iis, quæ sibi supersunt, necessariis sumptibus detractis. n. 24., & 25. Clerici Beneficiarii tenentur sub læthali subvenire pauperibus, vel in alios pios, & publicos usus convertere omnes redditus Ecclesiæ, quibus ad suam congruam sustentationem non indigent. n. 25. Hæc obligatio non oritur ex præcepto Ecclesiæ, nec ex sola misericordia, & charitate; sed ex natura ipsa bonorum Ecclesiasticorum descendit; adeoque est obligatio ex justitia. Ib. Difficultates oppositæ enodantur. n. 26., & 27. Clerici olim certæ Ecclesiæ servitio addicebantur. Ib. p. 7. n. 8. Clerici an publicæ, & solenni pœnitentiæ olim subjecti fuerint? T. 6. L. 16. p. 5. n. 18. Clerici ab sæculari jurisdictione exem--

xempti sunt. Vid. Ecclesiasticus.

Coactio, vis, aut violentia Matrimonium dirimit. Ib. p. 13. n. 21.

Cœnobitæ qui dicebantur? T. 5. L. 12. p. 19. n. 6.

Cogere non est idem ac obligare. T. 4. L. 8. p. 1. n. 5.

Cognatio carnalis Matrimonium dirimit. T. 6. L. 16. p. 13. n. 14. Lineæ consanguinitatis explicantur. Ib. Tres regulæ in supputandis pro unaquaque linea gradibus proponuntur. n. 15. ad 17. Cognatio spiritualis, & civilis. n. 18.

Collectæ nomen non unam apud antiquos habet significationem. T. 5. L. 12. p. 9. n. 28. Collectæ in Missa, & in Officio sunt breves Orationes. Ib.

Comitum dignitas a tempore Theodosii junioris in pretio erat. T. 4. L. 8. p. 13. n. 6. Comitis nomen ex sui institutione non potestatis, sed ministerii fuit. Ib. Friderici Imperatoris ætate jam Comitatus, & Comitis nomen potestatis erat. Ib. Multi Comites sunt sine ulla jurisdictione. Ibid.

Commissoriæ legis pactum quodnam vocetur? T. 3. L. 6. p. 22. n. 21. Post legem commissam non est in potestate emptoris pretium solvere, vel contractum rescindere. Ib. Commissoria lex in pignoribus locum non habet, etiam si pignus quantitatem debiti non superet. n. 23.

Comixtio hostiæ cum calice non est de ratione sacrificii. T. 6. L. 14. p. 4. n. 5.

Communio Sanctorum est participatio fructuum spiritualium, qui ex Sanctorum precibus, afflictionibus, & quibusvis gratis Deo operibus in totum corpus Ecclesiæ derivantur ab omnium communi capite, & fonte Christo Jesu. Ib. L. 16. p. 6. n. 4. Hæc Communio ostenditur. Ib. Quomodo hujusmodi communione adjuvemur ad satisfactionem pro pœna temporali peccatis debita? Vide Suffragium.

Communionis annuæ præceptum ex Concilii Lateran. decreto extat. T. 7. L. 17. p. 11. n. 1. Canon Concilii, & præceptum intelligitur de fidelibus dum sunt rationis compotes, seu cum ad annos discretionis pervenerint. Ib. Dupliciter dicitur aliquem non habere usum rationis. Ib. An danda sit communio saltem in articulo mortis iis, qui propter infirmitatem usum rationis amiserunt? Ib. Exponitur antiquus usus infantibus communionem dandi. Ib. An quis possit quotidie communionem accipere? Ubi de antiqua Ecclesiæ praxi agitur; n. 2. & de communione in duplici specie. n. 3. In Canone Lateran. men proprii Sacerdotis strictius accipitur, cum de Paschali communione agitur, quam cum de Confessione. n. 4.

Communitas perfecta qualis sit? T. 4. L. 8. p. 1. n. 5.

Commutatio quid sit? T. 3. L. 6. p. 15.

p. 15. n. 22. Commutatio voti in quæ, quibus de causis? & secundum has a quo commutari potest. Ib. Commutationum species plures sunt. Ib. p. 19. n. 6., & 7.

Comœdorum officium secundum se illicitum non est. Ib. p. 32. n. 6.

Completorium quibus constet? T. 5. L. 12. p. 8. n. 16. An tardius, quam aliæ Canonicæ Horæ institutum fuerit? Ib.

Compositio physica triplex est. T. 2. L. 1. p. 3. n. 1.

Conceptionis Deiparæ festi pietas, & objectum ostenditur. T. 7. L. 17. p. 4. n. 9.

Concertatio singularis quid sit? & in quo a rixa differat? T. 3. L. 7. p. 22. n. 7. Singularia certamina, quæ in bello fiunt, sunt in duplici differentia. n. 8.

Concilium Ecclesiasticum est Cœtus Pastorum sub legitimo, & immediato Capite convenientium ad Ecclesiastica negotia tractanda. T. 5. L. 11. p. 16. n. 5. Convocatio Concilii ad eum spectat, qui super congregandos polleat authoritate. n. 1. Conciliorum Generalium indictio ad Roman. Pontificem pertinet. Ib. Recensentur rationes, ob quas ad Synodi convocationem Imperatorum consensum Pontifices exquisierint. Ib. Omnes, & soli Episcopi ad Concilium Generale convocandi sunt, ut legitime congregatum illud dicatur. n. 2. Roman. Pontifex per se, aut per Legatos suos Œcumenico Concilio præesse debet. n. 3., & 4. Quodlibet Concilium particulare in controversiis fidei, & morum definiendis errare potest. n. 6. Concilium Œcumenicum legitimum in materia fidei, & morum est infallibile. n. 7. Quando Concilium Œcumenicum, cui Rom. Pontifex per Legatos præest, errare possit? n. 8. Roman. Pontificis consensus omnino necessarius est ad omnimodam Œcumenici Concilii firmitatem. n. 9. In quibus casibus Cœtus Episcoporum possit Papam deponere, & novum eligere? n. 10. Cœtus Episcoporum sine Papa in casu hæresis, schismatis, aut sedis longo tempore vacantis quamnam habeat immediate a Deo authoritatem? n. 11. Concilium Œcumenicum a quo habeat authoritatem? an, nimirum, a Summo Pontif., an immediate a Deo? Ib. Utrum Concilium sit supra Papam? n. 12. Argumentum desumptum ex Concilio Constantiense diluitur. Ib. Sex numerantur a Theologis causæ generales, ob quas Œcumenicum Concilium congregandum sit. n. 13. Quæ contra authoritatem, utilitatem, & inerrantiam Concilii opponuntur. n. 16., diluuntur. n. 17. Quod ex Concilio Ariminensi adducitur, neque cum Rom. Pontificis, neque cum Concilii authoritate pugnare ostenditur. n. 18. Conci-

cilii Constantinop. III. acta in multis corrupta sunt. n. 20. Difficultas ex VI. Synodo elucidatur. Ib. & n. 21.

Concupiscentia, sive sensualitas neque ipsa per sese peccatum est, neque in ea sola citra rationis deliberationem peccatum mortale esse potest ullum. T. 4. L. 9. p. 1. n. 7. Concupiscentia quomodo augeat peccatum? Ib. p. 2. n. 3.

Concupiscibilis potentia quid sit? T. 3. L. 6. p. 5. n. 9.

Condemnatoria sententia in quo a declaratoria differat? T. 4. L. 8. p. 12. n. 7.

Confessio habetur in Completorio, & in Prima, quando officium est feriale, simplex, aut semiduplex. T. 5. L. 12. p. 9. n. 29.

Confessio peccatorum ad eorum remissionem omnino est necessaria. T. 6. L. 16. p. 3. n. 1. Antiquitas Confessionis auricularis, & privatæ Presbyteris factæ probatur primo ex testimoniis Patrum omnium sæculorum. n. 2. ad 5. Secundo: ex factorum exemplis antiquorum: ubi de historia Nectarii agitur. n. 6. ad 10. Tertio: ex ipsismet Hæreticorum testimoniis. n. 11. Peccata omnia, etiam occultissima, confitenda sunt; & qui scienter aliqua retinent, aut tacent, nullorum peccatorum veniam consequuntur. n. 12. Circumstantiæ mutantes speciem necessario confiteri, & explicari debent. n. 13. An explicari etiam debeant circumstantiæ intra eandem speciem notabiliter aggravantes? n. 14. Confessio inter absentes perfici non potest. n. 15. Utrum Personam complicem manifestare liceat? n. 16. Confessio peccatorum est actus virtutis. T. 7. L. 17. p. 10. n. 1. Confessio annua peccatorum pia est, atque utilis, & sub Ecclesiæ præcepto. Ib. Decretum Concilii Lateranensis est verum, & strictum præceptum. Ib. Peccata venialia non sunt materia necessaria præcepti annuæ Confessionis, ea tamen laudabiliter, & pie confitentur. Ib. Confessionis materia huic præcepto subjecta sunt omnia, & sola peccata mortalia post baptismum commissa. Ib. Quo tempore huic præcepto satisfieri debeat? Ib. Huic præcepto non fit satis per confessionem voluntarie nullam, aut sacrilegam. n. 2. Nomine *proprii Sacerdotis* in Concilii decreto quis intelligitur? Ib. Qui dies intelligantur nomine *temporis Paschalis*? Ib.

Confessor an possit obligare pœnitentem ad exequendam pœnitentiam ante absolutionem? T. 6. L. 16. p. 4. n. 16.

Confirmationis Sacramentum quid sit? ejusque effectus, & necessitas exponuntur. Ib. L. 15. p. 5. n. 1. Christus est ejus author. n. 2. Confirmationem semper habitam fuisse in Ecclesia, ut verum Sacramentum a Baptismo distinctum, patet ex Scri-

Scripturis, Conciliis, Pontificum decisionibus, multis Patrum testimoniis, & ex constanti praxi Ecclesiæ universæ. n. 3. ad 7. Argumenta Dallæi solvuntur. n. 22. ad 30. Manus impositio est materia necessaria Confirmationis. n. 8. Qua quidem etiam Græci veteres usi sunt. n. 25. Chrismatis unctio est etiam materia necessaria hujus Sacramenti. n. 9. Materia igitur adæquata Confirmationis ex manus impositione, & Chrismatis unctione constat. n. 10. Chrisma ex oleo, & balsamo conficitur. n. 11. Balsamum an sit materia necessaria Sacramenti in se, an solum ex Ecclesiæ præcepto? Ib. Num Potifex Rom. in Balsamo dispensaverit? n. 28., & 29. Necessarium est, ut Chrisma sit ab Episcopo consecratum. n. 12. Materia proxima Confirmationis est unctio Chrismatis ex oleo, & balsamo confecti, consecratique ab Episcopo, & facta in fronte in figuram Crucis. n. 13. Forma hujus Sacramenti, qua utitur Latina Ecclesia, aptissima est. n. 14. Solus Episcopus est de jure Ordinarius minister Confirmationis. n. 15. Argumentis Morini respondetur, & agitur de unctione verticali facta a Presbyteris, & de Ministro delegato. n. 31. ad 34. Subjectum Confirmationis est quilibet homo baptizatus. n. 16. Effectus hujus Sacramenti exponuntur. n. 16. & 17. Confirmatio imprimit animæ spiritualem caracterem. n. 17. Adultis non nisi volentibus, & consentientibus conferri debet Confirmatio; parvulis vero etiam nescientibus. n. 16. Antiquitus Baptismus, & Confirmatio simul conferebantur. Ibid.

Congregationes Romanæ quot sint? Et de singulis brevis notitia datur. T. 5. L. 12. p. 12. n. 31. & 32.

Conjugicidium quale matrimonium dirimat? T. 6. L. 16. p. 13. n. 20.

Conjux an possit petere, & reddere debitum in die festo? T. 7. L. 17. p. 4. n. 23.

Consanguineis quid debeatur? T. 4. L. 8. p. 9. n. 4.

Conscientia non est habitus, sed actus rationis. T. 3. L. 6. p. 5. n. 7. Conscientia definitur. T. 4. L. 8. p. 14. n. 19. Conscientia subsequens quid sit? Ib. Antecedens quid? Ib. Hæc est duplex. n. 20. Conscientia recta quid sit? Ib. Conscientia probabilis. Vid. Probabilis. Conscientia dubia. Vid. Dubia. Conscientiæ remorsus est pœna peccati. Ib. L. 9. p. 5. n. 4.

Consecratio est de essentia Sacrificii. T. 6. L. 14. p. 4. n. 2. Consecratio utriusque speciei est necessaria ad rationem integritatis, & perfectionis Sacrificii Eucharistici. n. 8. Argumenta opposita diluuntur. n. 10. Cur in Sacrificio duplex species consecretur? Ib. L. 15. p. 8. n. 15. De consecratione a multis Sa-

cerdotibus in ordinatione plurium Presbyterorum, & in consecratione Episcopi. Ib. L. 14. p. 4. n. 19.

Conservatio rerum omnium pertinet ad Divinam Omnipotentiam. T. 2. L. 1. p. 14. n. 7., & 8.

Consiliator quando ad restitutionem teneatur? T. 4. L. 8. p. 10. n. 7.

Consilium, quod pars est prudentiæ, quid sit? T. 3. L. 6. p. 7. n. 1.

Consilium quid sit? & in quo differat a præcepto? T. 5. L. 12. p. 14. n. 1. Sunt quædam in lege Christi consilia, eaque observare sanctum, & pium est. Ib. Consilia Evangelica sunt religiosi voti materia. Ib. p. 15. Consilium, quod donum est Spiritus Sancti, necessarium est in rebus ad æternam salutem spectantibus. T. 3. L. 7. p. 17. n. 6. Consilium non est perfectio voluntatis, sed rationis, & quidem practicæ. n. 7. Invenitur in omnibus, & solis charitatem habentibus. Ib. Donum hoc, sicut alia in Beatis, permanet. n. 8.

Constantia firmat animum contra difficultates non ex ipsa actus diuturnitate, sed ex aliis principiis extrinsecis provenientes. T. 3. L. 6. p. 27. n. 8.

Consuetudo & habet vim legis, & legem abolet, & est legum interpres. T. 4. L. 8. p. 15. n. 3. Ut hujusmodi effectus sortiatur, nonnullæ conditiones requiruntur. n. 4. Consuetudo rationalis qualis sit? & irrationalis qualis? Ib. Consuetudo legitime præscripta qualis dicatur? n. 5. Ut consuetudo habeat vim legis, aut antiquam legem abroget, non est necessarius consensus Principis tacitus, aut expressus; necessarius vero est consensus interpretativus, generalis, aut legalis. Ib. Consuetudo ex quo jus, & vim habeat? & a quo induci possit? Ib. Consuetudinem quis faciat? quæ frequentia actuum requiratur? quæ conditiones actuum ad valorem consuetudinis? n. 6. An bona fides necessaria sit ad consuetudinem inducendam adversus legem? Ib.

Contactus virtutis tripliciter differt a contactu quantitatis. T. 3. L. 6. p. 2. n. 7.

Contentio quid sit? Ib. L. 7. p. 22. n. 3.

Continentia frænat primos motus voluntatis agitatæ ex impetu passionis. Ib. L. 6. p. 32. n. 1. In quo differat a temperantia? n. 2. Continentiæ votum pium est. T. 5. L. 12. p. 17. n. 1. Argumenta solvuntur. n. 2. ad 8.

Contingentia effectus quomodo stare queat cum Divina Providentia? T. 2. L. 1. p. 20. n. 12., & 13.

Contritio cordis necessaria est ad Sacramentum Pœnitentiæ. T. 6. L. 16. p. 2. n. 1. ad 3. Contritionis nomine quid significetur? Ib. In quo consistat? n. 6. Contritio alia est perfecta, imperfe-

cta

cta alia, & in quo differant? n. 7. Contritio perfecta cum voto suscipiendi Sacramentum justificat impium ante absolutionem. n. 8. Cur hoc votum sit necessarium? & quomodo includatur in contritione? n. 9. Contritio perfecta non est simpliciter necessaria ad justificationem intra Sacramentum. n. 10. Perfecta, & viva contritio æquivalet omni satisfactioni, & remittit omnem reatum pœnæ temporalis, Ib. p. 7. n. 2., atque etiam in Purgatorio infligendæ. n. 5.

Contumelia quid sit? T. 3. L. 6. p. 21. n. 2. Est peccatum mortale fortasse majus quam furtum, aut rapina. Ib. Causa vero correctionis, aut disciplinæ licet aliquem verbis contristare, ut resipiscat. Ib. Per contumeliam repræsentatur defectus moralis alicujus. n. 3. Contumelia etiam committitur absente offenso. n. 4.

Convitium quid sit? Ib. n. 3.

Corpus Christi in Eucharistia. Vid. Eucharistia. Corporis Christi festum quando institutum sit? T. 6. L. 15. p. 6. n. 11. & T. 7. L. 17. p. 3. n. 13. Pie, ac salubriter istitutum est, ut in die festo Corporis Domini, & in aliis temporibus solenni supplicatione per urbem circumgestetur. T. 6. L. 15. p. 6. n. 11.

Corpora Sanctorum in resurrectione Impassibilitate, Subtilitate, Agilitate, & Claritate splendescunt. T. 7. L. 18. p. 6. n. 1. ad 6. Oppositis occurritur. n. 6. & 7.

Correctio fraterna quando sub præcepto cadat? & quomodo fieri debeat? T. 3. L. 7. p. 14. n. 8. ad 10.

Creatæ res in Deo esse dicuntur multipliciter. T. 2. L. 1. p. 2. n. 14.

Creatio, ut in scholis accipitur, quid sit? & quid secundum latinam consuetudinem? T. 5. L. 13. p. 6. n. 2. Creatura creare non potest tanquam ex propria virtute. T. 3. L. 5. p. 2. n. 6. ad 8. Nec assumi potest a Deo tanquam instrumentum creationis. n. 9. Creavit Deus omnia sex dierum vero, ac naturali intervallo. Ib. p. 5. n. 8. ad 14.

Creatura omnis ad nihilum redigi a Deo potest. T. 2. L. 1. p. 14. n. 9. Nullam tamen in nihilum redactam, aut redigendam esse credendum est. n. 10.

Crimen dirimit matrimonium. T. 6. L. 16. p. 13. n. 20.

Crudelitas quid sit? T. 3. L. 6. p. 34. n. 4.

Crux, uti Reliquiæ, Latriæ adoratione est colenda. T. 7. L. 18. p. 10. n. 11. De signo Crucis, ejusque usu agitur. n. 12. & T. 6. L. 14. p. 8. n. 55.

Culpa in contractibus quid sit? & in quo differat a dolo? T. 4. L. 8. p. 10. n. 4. Triplex est, & quælibet explicatur. Ib.

Culpa directe remittitur a Deo, indirecte retinetur, similiterque fit a Sacerdote. T. 6. L. 16. p. 7. n. 4.

Cul-

Cultus quid sit? T. 2. L. 1. p. 21. n. 1. Cultus externus nulli creaturæ humana natura superiori exhiberi potest tanquam Deo propinquiori. T. 3. L. 6. p. 23. n. 2. Neque Idolis exhibendus est cultus externus tanquam vulgari consuetudini consonus. Ib. Cultus Sanctorum pius, & sanctus est. T. 7. L. 18. p. 8. Hujusmodi cultus natura explicatur. n. 1. ad 4. Assertio probatur ex Scripturis, Traditione, authoritateque Conciliorum, & PP. n. 5. Argumenta contraria enervantur. n. 6. & 7. Cultus universalis. Vid. Canonizatio.

Cultus disparitas Matrimonium dirimit. T. 6. L. 16. p. 13. n. 22.

Curiositas opponitur studiositati, estque inordinatus sciendi appetitus. T. 3. L. 6. p. 34. n. 7. Hæc inordinatio perversa esse potest tum propter finem, tum propter ipsam inordinationem appetitus, & hæc quadrupliciter esse potest. Ib. & n. 8. Non solum in mente, sed etiam in sensibus curiositas invenitur. n. 9. Studere porro sensibilibus cognoscendis dupliciter potest esse vitiosum. Ib.

D

DÆmon pœnitentiæ est incapax. T. 3. L. 5. p. 19. n. 2. Dæmones, & damnati sempiterna pœna cruciantur. T. 7. L. 18. p. 4. Sententiæ Platonicorum refelluntur. n. 1. & 2. Probatur conclusio PP. testimoniis, authoritate Scripturarum, & ratione. n. 3. ad 15. Objectionibus ex PP. testimoniis desumptis fit satis. n. 15. ad 24. Socinianis, aliisque respondetur. n. 25. ad 27. An Dæmones æterno suplicio crucientur ante ultimum diem judicii? n. 28. ad 35. De triplici Dæmonum damnatione, & in quo loco sint. Ib.

Damnati. Vid. Dæmones. Quantitas pœnæ damnatorum ex æquo commensurabitur. T. 7. L. 18. p. 4. n. 36., & 37. Pœna eorum nunquam mitigabitur, aut intermittetur. n. 39. ad 43. An pro damnatis in Missa orari possit? T. 6. L. 14. p. 5. n. 37. & 40. ad 46.

Damnum emergens occasione, & causa mutui justus titulus est ad aliquid ultra sortem exigendum. T. 3. L. 6. p. 22. n. 33. Damnum, quo ab aliquo aufertur, quod actu habebat, compensandum est ad æqualitatem. n. 34. Quo vero impeditur, ne quis adipiscatur id, quod erat habiturus, debet non ex æquo, sed ex existimatione prudentum compensari. Ib.

Danielis Liber Canonicus est. T. 2. L. 2. p. 18. Hoc nomine solum ejus prophetiam intelligimus. n. 1. Danielis additamenta divinæ authoritatis sunt. Ib. p. 26. Daniel Propheta fuit, qui Susannam liberavit. n. 7.

Darius, de quo in Esdra, est filius Hystaspis. Ib. p. 9. n. 5. Darius Me-

Medus, qui apud Danielem regnasse dicitur, Baltasare occiso, quisnam fuerit? Ib. p. 18. n. 2. Darius Medus, Cyaxaris dictus, fuit Esteris maritus. Ib. p. 21. n. 13.

Datariæ munia recensentur. T. 5. L. 12. p. 13. n. 32.

Debitor ob moram in solvendo quasi in pœnam cogitur, aliquid ultra sortem dare. T. 3. L. 6. p. 22. n. 20.

Decalogus quid sit? T. 4. L. 8. p. 4. n. 2. Decalogi præcepta congruentissimo & numero, & ordine, & modo traduntur. n. 3. Decalogi præcepta in particulari. Vid. Præceptum.

Decimæ Ecclesiasticæ explicantur. T. 7. L. 17. p. 8. n. 1. Decimarum solutio omni juri conformis est; atque adeo Ecclesia eam præcipere potest, & subditi ad hujnsmodi legem servandam tenentur in conscientia. Ib. Decimæ in lege Moysis ordinatæ fuerunt ad sustentationem Ministrorum Dei: eratque præceptum partim naturale, partim judiciale, & partim cæremoniale. Ib. Decimæ, etsi prout sunt alimenta Ministrorum, sint ex jure naturali, determinatio certæ partis exhibendæ Ministris non est de jure naturali, sed introducta institutione divina secundum conditionem illius populi, cui lex dabatur. Ib. Quia in lege naturali non erant determinati Ministri cultus divini, non erat determinata aliqua pars ipsis exhibenda, unusquisque, quod sibi videbatur, propria sponte dabat divino cultui. n. 2. In veteri lege tenebantur fideles ad triplices decimas. Ib. Ex his autem quænam in lege nova locum habeant? Ib. Decimæ, quantum ad id, quod morale est, a Domino præceptæ sunt; quantum vero ad certæ partis determinationem reservatæ sunt ordinationi Ecclesiæ. Ib. Taxatio decimæ partis rationi consona est, & æqua. n. 3. ad 5. Argumenta solvuntur. n. 6. & 7. Decimæ aliæ prædiales, aliæ personales sunt, & aliæ mixtæ, & personales de quibus rebus solvi debeant? n. 8. ad 10. Jus accipiendi decimas est jus spirituale. n. 11. Acceptio Decimarum Principibus, & laicis concedi potest; jure vero accipiendi Ecclesiæ Ministris reservato. Ib. Decimæ dari debent Pastoribus, & Ministris etiam divitibus. Ib. Dantur decimæ non solum ad victum, & sustentationem Ministrorum, sed etiam ad subveniendum pauperibus. Ib. Qui decimas solvere debeant? n. 12.

Declaratoria sententia in quo differat a condemnatoria? T. 4. L. 8. p. 12. n. 7.

Defensio, sive exceptio ita competit reo, ut juri naturæ repugnet damnare non defensum. T. 3. L. 6. p. 20. n. 8.

Delicatus dicitur, qui nescit vel tenuem laborem perferre. Ib. p. 29. n. 9.

De-

Democratia omnium regiminum pessimum est. T. 5. L. 11. p. 10. n. 2. Dupliciter dici potest imperium, aut regimen penes populum esse. Primo, si omnia publica negotia per semet populus administret. Secundo, si populus ipse Magistratus creet; & in hac acceptione ad popularem gubernationem quatuor necessaria sunt. Ibid.

Derisio fit ore, id est, verbis, vel cachinis, quibus malum alterius in risum, & jocum vertitur. T. 3. L. 6. p. 21. n. 9. & 10. Quando, & quale peccatum sit? Ibid.

Derogatio legis quid sit? T. 4. L. 8. p. 15. n. 2.

Desperatio peccatum est. T. 3. L. 7. p. 12. n. 1.

Detestatio, seu displicentia peccati est de ratione formali pœnitentiæ. T. 6. L. 16. p. 2. n. 6.

Detractio est denigratio famæ. T. 3. L. 6. p. 21. n. 6. In quo, & quomodo a contumelia differat? Ib. n. 5. Detractio per se loquendo est grave peccatum. n. 6. Detrahere famæ fieri potest directe, vel indirecte: & directe quidem quadrupliciter. n. 7. Qui detractori non resistit, fit ejusdem peccati particeps. Ib. Quomodo vero teneantur detractori resistere? Ib.

Deus est. T. 2. L. 1. p. 1. Deus est prima causa. Ib. Dei existentia non ita per se nota est, & conspicua, ut demonstratione non egeat. n. 1. ad 5. Dei existentia non ita est ab hominum captu aliena, ut demonstrari non possit. n. 6. ad 15. Deus est prima causa omnium contigentium, & necessariorum. n. 14. Deus est movens immobilis. n. 12. Deus est suprema quædam natura intelligens, a qua res omnes in suos quæque fines ordinantur. n. 15. & p. 7. n. 2.

Deus æternus est. T. 2. L 1. p. 2. Simplex omnino est. Ib. p. 3. Deus est purissimus actus, & nullo modo in potentia. n. 1. Deus non est compositus ex materia, & forma; n. 4., neque ex substantia, & accidentibus; n. 5., neque ex partibus integralibus; n. 6., neque ex quidditate, aut essentia, & existentia; n. 7., neque ex individuatione, & natura; n. 8., neque ex natura, & subsistentia; n. 9., neque ex genere, & differentia; n. 10. Deus in compositionem rei alicujus venire non potest. n. 12. Deus non est anima primi Cœli, aut mundi. n. 11. Non est in Deo sexuum diversitas. Ib. Deus perfectissimus est. Ib. p. 4. n. 1. & 2. Omniumque creatarum rerum perfectionem in se præhabet. n. 3. Deus summe Bonus, sive Optimus est, & ipsa bonitas. n. 4. In Deo malum esse non potest. n. 5. Deus unus est. Ib. p. 5. Deus est simpliciter infinitus. Ib. p. 6. n. 1., & 2. Nihil præter Deum potest esse simpliciter, vel per pro-

propriam essentiam infinitum. n. 3. Divina omnia prædicata sese mutuo transcendunt. n. 4.

Deus est intelligens. T. 2. L. 1. p. 7. n. 1. ad 6. Deus primario, & necessario, & per se seipsum, & solum seipsum intelligit. n. 5. In Deo non est habitus scientiæ. n. 8. Deus non intelligit ratiocinando, aut discurrendo; n. 9., neque intelligit per compositionem, aut divisionem. n. 10. Cognoscit tamen veritatem, aut falsitatem enuntiabilium. n. 11. Deus est perfectissimum vivens. n. 12. Deus cognoscit alia a se; Ib. p. 8. n. 1., & quidem distincta, & propria cognitione. n. 2. Divinæ cognitioni falsum subesse non potest. n. 9. ad 12. Deus cognoscit singularia, sive sint, sive non sint. Ib. p. 9. n. 1. ad 3. Deus cognoscit futura contingentia libera. Ib. p. 10. n. 1. ad 11. Deus cognoscit conditionata futura. n. 12. Prædicta cognitio non est conjecturalis, sed certa, & infallibilis. Ib. & n. 13. Hujusmodi scientia ad simplicem intelligentiam est reducenda. n. 14. & 15. Deus in se ipso tanquam in causa cognoscit mere conditionata futura. n. 16.

Deo est voluntas. T. 2. L. 1. p. 12. n. 1. & 2. Vid. Voluntas.

Deus est potens. Ib. p. 14. n. 1. & 2. Potentia Dei est infinita. n. 3. Deus est Omnipotens. n. 4. ad 6. Estque omnium creaturarum conservator. n. 7. Deus operatur in omni operatione agentis creati sive naturali, sive libera; quodque quadrupliciter intelligi potest. n. 11. Deus naturalis ordinis institutor naturali ordini non est subjectus. n. 13. Deus quædam interdum præter ordinem naturæ operatur. Ib. Solus Deus est miraculorum operator. Ib. Non tamen quia in miraculorum operatione Deus consuetum ordinem prætergreditur, contra naturam facit, aut violentiam infert creaturis. n. 14. Explicatur quomodo Deus, Omnipotens cum sit, quædam non possit. n. 19. ad 21. Deus mentiri non potest. n. 21.

Deus est immensus. T. 2. L. 1. p. 15. n. 1. ad 6. Deus est in omnibus rebus per potentiam, per præsentiam, & per essentiam. n. 7.

Deus Justus est. Ib. p. 16. n. 1. ad 3. Oppositæ difficultates enodantur. n. 3. ad 10. Deus Sanctus est; n. 11., & ita Sanctus, ut a Sanctitate deficere non possit. Ib.

Deus a creata mente comprehendi non potest. T. 2. L. 1. p. 17. n. 1. ad 5. Divina natura per aliquam creatam similitudinem, aut imaginem videri nequit. n. 7. Deus a nulla mente creata solo naturæ lumine videri potest. n. 6. ad 9. Potest vero videri a mente creata supernaturali lumine elevata. Ib. p. 18. n. 1. ad 9. Deus non potest videri nunc oculis corporeis, ac proinde nec post corporis resur-

rectionem. n. 15. Deus ab homine lumine gloriæ illustrato potest in hac mortali vita videri, a nemine vero in hac vita visus est. n. 16. ad 19.

Deus beatus est. T. 2. L. 1. p. 19. n. 1. & 2. Deus providus est. Ib. p. 20. Vid. Providentia. Deus colendus est; Ib. p. 21., neque interno solum animi affectu, verum etiam externo aliquo cultu; Ib. p. 22. n. 4. & hic cultus debet esse Latriæ. T. 3. L. 6. p. 13. Deus loquutus est, sive est aliqua Dei revelatio. T. 2. L. 1. p. 24. Vid. Revelatio.

Deuterocanonici Libri qui dicantur? Ib. L. 2. p. 1. n. 6.

Devotio quid sit? & ex quo oriatur? T. 3. L. 6. p. 12. n. 2.

Diaconus est Ordo Sacer. T. 5. L. 12. p. 6. n. 15. An Diaconi, de quibus in Act. Ap. 6. ad sacræ, an solum ad profanæ mensæ ministerium electi fuerint? Ib. & n. 16. Vid. Ordo. Utrum Diaconi Eucharistiam antiquitus sub utraque specie dispensaverint? T. 6. L. 15. p. 7. n. 2. ad 4. An Diaconi habuerint unquam facultatem consecrandi? n. 6., & 7. & an de facto consecraverint? Ib. Diaconi numquam habuerunt facultatem absolvendi. Ib. L. 16. p. 4. n. 2. Diaconis committi potest, & committebatur reconciliatio Canonica pœnitentium. n. 14.

Diaconissæ ordinabantur per manuum impositionem ab Episcopo, traditionem annuli &c., sed hæ cæremoniæ piæ non erant consecretariæ, & verum ordinem significantes. Ib. p. 9. n. 15.

Diffidentia opponitur fortitudini per audientiæ defectum. T. 3. L. 6. p. 29. n. 3.

Discordia concordiæ opponitur, semperque est peccatum, si sit per se intenta. Ib. L. 7. p. 22. n. 2.

Dispensatio quid sit? T. 4. L. 8. p. 15. n. 2. Datur potestas dispensandi. Ib. Dispensatio in quo differat ab Epikiia, interpretatione, permissione, & privilegio? Ib. Nullus homo in jure naturali dispensare potest. Ib. p. 3. n. 10. Dispensatio Voti. Vid. Votum.

Dispositio latius patet, quam habitus. Ib. L. 9. p. 8. n. 7.

Dissimulatio quid sit? T. 3. L. 6. p. 25. n. 4. Dissimulare, sive occultare religionem aliquando licet. Ib. p. 28. n. 8.

Dissipatio est vitium oppositum per excessum magnificentiæ. Ib. p. 29. n. 8.

Divinatio quid sit? Ib. p. 23. n. 3. Est quædam superstitionis species. n. 4. Divinatorum, & divinationum genera tot fere sunt, quot in mundo corpora. n. 5. Illicitum est adhibere signa ex mera hominum vanitate ad cognoscenda, & pronuntianda futura. n. 6.

Docilitas quid sit? T. 3. L. 6. p. 7. n. 2.

Dolor de peccato commisso est necessarius ad pœnitentiam. T.

6. L. 16. p. 2. n. 6. Vid. Contritio, & Attritio.

Dolus quid sit? T. 4. L. 8. p. 10. n. 4. In quo a culpa differat? Ibid.

Dominica a quo sic appelletur? T. 7. L. 17. p. 2. n. 1. Ejus observatio antiquissima est, & Catholica. Ib. Dominica dies cultui sanctitsimæ Trinitatis singulariter deputata est. Ib. Ejus prærogativæ exponuntur. Ib. Dominica Sabbato successit. n. 2. Deputatio hujus diei facta fuit ab ipso Ecclesiæ exordio. n. 2. & 3. Ostenditur catholicam esse hujusmodi observantiam. n. 4. & 5. Dominicæ observantia quo jure inducta sit? n. 6. & an consuetudine, aut aliquo Ecclesiæ statuto abrogari possit? Ib. Vid. Sabbatum.

Dominicale litteræ, & Cycli solares explicantur. Ib. p. 2. n. 7. ad 14.

Dominium quid sit? T.3.L.6.p.11. n. 1. Dominium aliud est jurisdictionis, proprietatis aliud; & hoc est duplex perfectum, & imperfectum, & imperfectum rursus aliud dicitur directum, & dominium utile aliud; hujusque quadruplex est species. Ib. Sancta, & laudabilis est rerum omnium abdicatio ob studium perfectionis suscepta. n. 8. ad 11. Eadem vero abdicatio non est ita necessaria, ut noxium sit rerum temporalium dominium. n. 12. Dominium quibus modis naturali jure acquiratur? n. 14. ad 18. Sunt alii duo modi a civili jure introducti ad dominium acquirendum. n. 19. Quis sit dominii capax? n. 28. Quid ad dominium herile spectet? T. 4. L. 8. p. 9. n. 11. ad 14.

Dominus quid famulo debeat? Ib. n. 14.

Dona Spiritus Sancti in quo a virtutibus distinguantur. T. 3. L. 7. p. 16. n. 1. Prædicta dona non sunt actus, sed habitus; n. 2., suntque necessaria ad æterni finis assequutionem. Ib. Disponunt quoque ad sequendum ductus Spiritus Sancti supra rationem etiam supernaturali lumine elevatam. n. 3. Dona potiora sunt virtutibus quum intellectivis, tum moralibus, non autem Theologicis. n. 4. Dona omnia inter se connexa sunt per charitatem. Ib. Septem Spiritus Sancti dona numerantur, eorumque ordo exponitur n. 5.

Dotes animæ beatæ quales sint? T. 7. L. 18. p. 5. n. 20. & quænam Corporum SS. post resurrectionem? Ib. p. 6. n. 1.

Dubia conscientia quid sit? T. 4. L. 8. p. 14. n. 21. Qui agit conscientia dubia, peccat. Ib.

Ducum honor, ac dignitas a Longobardis videtur originem duxisse. Ib. p. 13. n. 6. Carolus Magn. cœpit Ducum dignitatem hæreditariam concedere. Ibid. Quinam sub Ducis nomine supremam in temporalibus potestatem habeant, quinam non? Ibid.

Duellum quid sit? T. 3. L. 7. p. 22. n. 7. Nunquam licet duellum indicere; neque provocatus illud acceptare potest, nisi quando ex non acceptatione sibi, aut suorum alicui, vel innocenti personæ certa, & injusta mors immineat, quam aliter vitare non potest. Ib. Princeps Christianus infidelibus quibusvis in terris suis degentibus, sive subditi ejus sint, sive non, duellum permittere non potest. Ib. Nullo modo licitum est indicere duellum belli terminandi causa. Ib. p. 23. n. 19. In quo casu unico potest hujusmodi duellum acceptari. Ib.

Dulia virtus explicatur. T. 4. L. 8. p. 9. n. 6. Duliæ cultus exponitur. T. 7. L. 18. p. 8. n. 1.

E

EBrietas quid sit? T. 3. L. 6. p. 33. n. 4. Dupliciter accipi potest. Ib. Quando sit peccatum? Ib.

Ecclesiæ definitio. T. 5. L. 11. p. 1. n. 1. Non pertinent ad Ecclesiam omnes non baptizati. Ib. Excluduntur ab ea Hæretici, atque Apostatæ. Ib. Ab ipsa separantur publice Excommunicati. n. 2. Extra Ecclesiam sunt omnes Schismatici. n. 3. Ecclesia non est cœtus electorum. n. 4. Ecclesia non est dumtaxat congregatio perfectorum. n. 5. Neque est solum congregatio justorum. n. 6. Nec solum peccatores, sed & hæretici occulti sunt in Ecclesia. n. 7. & 8. Ecclesia visibilis est, & conspicua, atque omnibus nota. Ib. p. 2. n. 1. ad 3. Infidelium argumenta solvuntur. n. 3. ad 6. Ecclesia vera Christi una est. Ib. p. 3. n. 1. ad 3. Juræi, atque aliorum hæreticorum objectiones diluuntur. n. 4., & 5. Ecclesia vera Christi Sancta est. Ib. p. 4. n. 1. ad 3. Argumenta Frereti solvuntur. n. 4. Vera Ecclesia Christi Catholica est. Ib. p. 5. n. 1. ad 7. Argumentis contrariis occurritur. n. 8. Ecclesia vera Christi Apostolica est. Ib. p. 6. Ecclesia tota errare non potest. Ib. p. 7. Tota Ecclesia visibilis deficere non potest. Ib. p. 8. n. 1., & 2. Solvuntur objectiones. n. 3. & 4. Ecclesia habet authoritatem legislativam. Ib. p. 9. Ecclesiæ regimen non est populare, aut democraticum; Ib. p. 10. n. 1. & 2., nec mere aristocraticum; Ib. p. 11. n. 1., & 2., sed monarchicum aristocratia quadam temperatum. n. 3. An præstet pauperem, an opulentam esse Ecclesiam? Ib. L. 12. p. 11. n. 10. ad 13. Ecclesia nunquam satis dives esse potest. n. 14. Ecclesia Christi habet potestatem quodvis peccatum remittendi. T. 6. L. 16. p. 1. n. 1. & 2. Ecclesia hac potestate constanter usa est ab Apostolorum ætate. n. 3. ad 5. Ecclesia habet potestatem ligandi, ligatque per reatum pœnæ; atque adeo habet potestatem pœnam pro

pro peccatis singulis statuendi, & taxandi, ac statutam a peccatore exigere vel per publicum, vel per privatum, & secretum judicium. Ib. p. 7. n. 3. Habetque potestatem determinandi, quæ vel a jure naturali, vel divino non sunt determinata; hujusmodique statutis obedire tenemur. Ib. Ecclesia habet potestatem pœnas a se taxatas, & statutas vel omnino remittendi, vel ex parte breviores faciendi, vel in leviores, & mitiores commutandi; Ib., atque adeo habet facultatem concedendi indulgentias tum partiales, tum plenarias. Ib. Vid. Indulgentia. Ecclesiam habere facultatem acceptandi suffragia Sanctorum in remissionem pœnæ, probatur documentis antiquitatis. Ib. n. 5. ad 10. An Ecclesia habeat facultatem dispensandi Thesaurum Ecclesiæ prout conflatum ex meritis Sanctorum? n. 28., & 29. Utrum habeat facultatem dispensandi merita Christi extra Sacramenta? n. 30., & 31.

Ecclesiæ præcepta. Vid. in singulis locis.

Ecclesiasticæ omnes personæ ab sæculari jurisdictione exemptæ sunt. T. 5. L. 12. p. 12. n. 1. In causis mere Ecclesiasticis Ecclesiastici a sæcularium jurisdictione jure divino exempti sunt. n. 6. Argumenta solvuntur. n. 8. In causis mere civilibus, & criminalibus exempti sunt a jurisdictione civili ex concessione, & privilegio Christianorum Principum. n. 10., & 11. Hæc concessio æquissima est. n. 12. Brevis notitia de mutationibus, quibus obnoxia semper fuit Ecclesiasticarum personarum exemptio. n. 13. Ecclesiastici non sunt exempti ab obligatione legum civilium, quæ eorum Ordini, ministerio, aut officio non repugnant. n. 14. Siquam autem exemptionem a civilibus legibus Ecclesiastici habent, eam ex concessione Principum habent. n. 15. ad 17. Immunitas personarum, & bonorum Ecclesiasticorum, quæ ex constitutione Ecclesiæ procedere non potuit, non potuit procedere ex consuetudine, aut præscriptione aliqua Ecclesiæ adversus Principem. n. 38. Ecclesiasticæ Hierarchiæ sintagma traditur. Ib. p. 13. n. 36. Ecclesiastici a populo alimenta debentur. Vid. Clericus.

Ecclesiastica bona. Vid. Bona Ecclesiastica.

Ecclesiastis Liber Canonicus est: Author Salomon. T. 2. L. 2. p. 13.

Ecclesiasticus Liber est Canonicus. Ib. p. 24. n. 3. Ejus author Jesus. n. 5.

Estasis, sive raptus quid importet? T. 3. L. 7. p. 24. n. 16.

Electio Sacrorum Ministrorum neque jure divino ad plebem spectat. T. 5. L. 12. p. 4. n. 1., neque jure apostolico; n. 2., neque jure Ecclesiastico, aut cano-

no-

nonico. n. 3. ad 9. De jure divino communi, & ordinario hujusmodi electio ad Petrum, & ad ejus successores spectat. Ib. p. 5. In electionibus sacris non licet uti sorte. Ib. p. 2. n. 1. In Ecclesiastico ministerio constitutus non potest sibi successorem destinare. Ib. p. 3. n. 1. ad 4.

Eleemosyna definitur. T. 3. L. 7. p. 14. n. 3. Septem sunt corporales eleemosynæ, totidemque spirituales. Ib. & n. 4. Eleemosyna est de necessitate præcepti. n. 6. Quando obliget? Ib. A quo, & de quibus rebus fieri debet? n. 7. Ordo, quo in largitionibus alii aliis præferendi sunt, idem est ac ordo charitatis. n. 8.

Eliseus non permisit Naamano Syro, nec permittere poterat, ut Rege adorante in templo Remnon, & ipse cum eo Idolum adoraret adoratione propria, sed ut gereret in templo munus illud, quod etiam extra templum gerebat sustentando corpus Regis super famuli dextram innitentis. T. 3. L. 6. p. 28. n. 10.

Emphyteusis quid sit, & in quo differat ab usufructu, & locatione. Ib. p. 11. n. 3.

Emptio, & venditio dupliciter considerari possunt. Ib. p. 22. n. 1. Emptio illicita esse potest ex triplici defectu rei emptæ. n. 2. Emptor, qui fructus incertos, & dubios emit, quamvis plus fructuum percipiat, quam fuerit pretium, nihil restituere tenetur. n. 16. Emere rem vilius, quam sit justum pretium, eo quod pecuniam ante solvit, quam res tradi possit, est peccatum usuræ. n. 40.

Energumenus. An pro energumenis Sarificium Missæ offerri queat, & quomodo illis prosit. T. 6. L. 14. p. 5. n. 35., & 39.

Epacta explicatur. T. 7. L. 17. p. 3. n. 7.

Epikeia ad quid ordinatur? T. 3. L. 6. p. 18. n. 5. In quo differat ab interpretatione? T. 4. L. 8. p. 14. n. 23.

Epiphaniæ Festum. T. 7. L. 17. p. 4. n. 2. De ortus stellæ tempore, de Baptismo Christi, & conversione aquæ in vinum. Ibid.

Episcopatus non est Ordo a Sacerdotio distinctus. T. 5. L. 12. p. 6. n. 10. Episcoporum jurisdictio non est immediate a Deo. Ib. L. 11. p. 15. n. 23. ad 26. Episcopi Presbyteris jure divino superiores sunt. Ib. L. 12. p. 13. n. 2. ad 7. Objectionibus occurritur. n. 8. ad 10. Episcoporum Confirmatio hodie ad Rom. Pontificem spectat. n. 11. Episcopus a quo consecrari debeat? n. 12. Episcoporum translatio non nisi de Rom. Pontificis authoritate, & licentia fieri potest. n. 13. Idemque dicendum de Cessione, Resignatiane, ac Episcoporum depositione. n. 14. Episcopi Coadjutores qui sint? n. 18. Auxiliares quas ob causas Episcopis dari possunt? n. 19. Auxiliaris

Episcopus consecrari non potest ad titulum Ecclesiæ, cui auxiliatur. Ib. An possit aliquis honoris causa Episcopus consecrari? n. 20. Episcoporum jura recensentur. n. 24. Episcopi in Concilio Oecumenico non sunt meri Rom. Pontificis consultores, sed veri conjudices. Ib. L. 11. p. 16. n. 19. Probabilius Titularibus Episcopis jus suffragii in Conciliis competit. n. 14.

Eremitæ ita appellantur, a loco, in quo vitam agebant. T. 5. L. 12. p. 19. n. 7.

Erubescentia explicatur. T. 3. L. 6. p. 31. n. 7.

Esdræ Libri primus, & secundus Canonici sunt; tertius, & quartus apocriphi. T. 2. L. 2. p. 9. n. 1. Esdras est author primi Libri, n. 2., secundi autem Nehemias. Ib. Esdras libros sacros post captivitatem solutam non denuo ex integro dictavit. n. 13. Esdras accentum, & punctorum vocalium non fuit inventor. n. 18.

Esther Liber cum omnibus suis partibus Canonicus est. Ib. p. 21. Capita Libri Ester non juxta rerum gestarum seriem, atque ordinem sunt disposita. n. 6. Author Libri Esther, quicumque fuerit, ex Mardochæi quum Epistolis, tum adversariis librum coagmentavit. n. 17.

Ebulia est virtus prudentiæ annexa. T. 3. L. 6. p. 7. n. 5.

Eucharistia est novæ legis Sacramentum. T. 6. L. 15. p. 6. n. 1. Ejus convenientia ostenditur. Ib. Differentia hujus Sacramenti ab aliis. n. 2. Eucharistiæ Sacramentum non conficitur, nisi offeratur Sacrificium. Ib. L. 14. p. 6. n. 7., & 8. Corpus, & Sanguis Christi post consecrationem reapse, & physice existit in Eucharistia sub speciebus panis, & vini. Ib. p. 3. Et existit per modum substantiæ. n. 28. Christus est totus sub utraque specie; n. 44., & totus in singulis partibus, etiam divisis, cujuslibet speciei. n. 46. Christus non est in Eucharistia localiter. n. 45. Corpus Christi in Eucharistia est immutabiliter. n. 47. Ibi pati non potest, aut ab aliquo exteriori immutari. n. 48. Nullam ibi vitalem, animalem, aut naturalem operationem, aut sensationem habet. n. 49. Nullam rem corpoream afficere, aut immutare potest; neque videri, audiri, neque quoquomodo sentiri etiam a beatis. n. 50. Corporis Christi præsentia in Eucharistia nec circumscriptiva, neque definitiva est. n. 51. Præsentia Christi ex præsenti providentia a naturali, & quantitativa pendet. n. 52. Quibus dimensionibus Christus in Eucharistia existat? n. 28. In Eucharistia non remanet substantia panis, & vini; n. 26., remanent vero species, & quantitas. n. 27. Quomodo species, & qualitates panis, & vini in Eucharistia maneant? n. 30. ad 34. Utrum species consecratæ agere, pati, putrefari,

aut

Sacramenti in genere nomen, & definitio. T. 6. L. 15. p. 1. n. 1. & 2. Sacramentum in Theologica acceptione debet esse signum aliquod, n. 3., sensibile quidem, n. 4., a Deoque institutum. n. 5. Res corporeæ, in quibus instituta sunt Sacramenta, nulla humana authoritate possunt mutari. n. 6. Res eædem non naturaliter, sed ad Dei placitum significant. n. 7. Determinatio verborum pro forma Sacramentorum pertinet solum ad Dei, Christique institutionem. n. 8., & 9. Verba, quibus Sacramenta conficiuntur, quod attinet ad rem significatam, nulla humana authoritate mutari possunt. n. 10. Verbum in Sacramentis ex Dei institutione adhibitum non est doctrinale, & concionatorium, sed materiæ visibilis consecratorium. n. 11. Verbis a Christo determinatis nihil addere, aut substrahere licet. n. 12. Ubi de variatione verborum ex defectu intentionis, aut pronuntiationis agitur. Ib. Effectus Sacramentorum operatur intrinsece in anima, a Deoque solo producitur; Sacramenta vero tantum instrumentaliter operantur. n. 13. Sacramentorum effectus Christus ultra Sacramenta conferre potest, ac contulit. n. 14. Christus, ut Deus, est Sacramentorum institutor, secundum humanitatem autem agit, sicut egit nostram justificationem per modum impetrationis, meriti, atque etiam causæ efficientis non principalis, sed instrumentalis. Ib. Potestas authoritatis, & excellentiæ in quo consistat? Ibid. Christus non potuit aliis communicare has potestates, ut Sacramenta possint instituere. n. 15. Argumenta opposita solvuntur. n. 16. ad 18.

Sacramentum ut conficiatur, necessaria est intentio Ministri. T. 6. L. 15. p. 1. n. 19. ad 21. Error Ministri in fide extra Sacramenti materiam Sacramentum non vitiat; n. 22., neque error circa ipsam materiam Sacramenti. n. 23. Sanctitas Ministri non est necessaria ad valorem Sacramenti. n. 24. Perversa intentio Ministri non vitiat Sacramentum, dum non sit circa ipsius substantiam. n. 25. Sacramenti Minister ex Dei institutione debet esse homo, non Angelus. n. 26. Sacramenti subjectum debet esse homo. n. 27. Fides suscipientis non est necessaria, ut vere Sacramentum accipiat. Ib. Sacramenta sanctitatem, & justitiam conferunt. n. 30. ad 37. Eamque conferunt ex opere operato. n. 38. Sacramenta causant gratiam per modum causæ instrumentalis physicæ. n. 39. ad 42. Argumenta opposita dissolvuntur. n. 43. ad 45. Quædam Sacramenta caracterem relin-

quunt in suscipiente. n. 48. Quid sit caracter? exponitur. Vid. Caracter. Sacramenta, quæ imprimunt caracterem, repeti non possunt. n. 49.

Sacramenta aliqua esse in Ecclesia Christi oportuit. T. 6. L 15. p. 2. n. 1. In statu innocentiæ, vel ante peccatum Adami, vel si iste non peccasset, non fuerunt necessaria Sacramenta. n. 3. Post peccatum autem Sacramenta sunt adhibita etiam ante Christum sive in lege naturæ, sive in lege Mosaica. n. 4., & 5. Quænam fuerint hæc Sacramenta? n. 6. ad 8. Differentia Sacramentorum novæ, & veteris legis. n. 8. ad 12. Ecclesia potestatem habet instituendi ritus, & cæremonias, quibus Sacramenta conficiantur, ac dispensentur. Ib. p. 3. n. 1. ad 4. Parendumque est Ecclesiæ in observantia horum rituum. n. 5. Hæreticorum calumniæ refutantur. n. 6. Sola Ecclesia habet facultatem mutandi ritus antiquos, & cæremonias. Ib. p. 3. n. 3. ad 5., & L. 16. p. 4. n. 17. Rituum, & cæremoniarum, quibus Sacramenta conficiuntur, ac administrantur, congruentia, decentia, & sanctitas adstruitur. Ib. p. 3. Non est necessarium, ut Sacramenta lingua vulgari administrentur. Ib. L. 14. p. 8. n. 21., & 22. Congruentius, ac decentius est, ut communi aliqua lingua, sed non vulgari administrentur. n. 23., & 24. De ritu, & cæremoniis, quæ in aliquibus Sacramentis adhibentur. Vid. Missa.

Sacrificium jure naturæ Deo debetur. T. 3. L. 6. p. 14. n. 1. ad 3. Sacrificium est, quo res aliqua sensibilis, ac permanens per sacros Ministros offertur Deo in protestationem divini dominii consummanda, aut quoquomodo transmutanda. n. 1. Soli Deo Sacrificium debetur. n. 4. Omnes omnino homines ad aliquod Sacrificii genus offerendum tenentur. n. 5. Hæretici immerito Catholicos reprehendunt, quod Cœlitibus Sacrificia offerant. n. 6. In sacrificio corporis, & sanguinis Domini quatuor sacrificiorum genera continentur. n. 7. Sacrificium aliquod verum, & proprium oportuit esse in Ecclesia Christi. T. 6. L. 14. p. 1. n. 1., ad 3. Non pugnat cum perfectione religionis Christianæ neque ex parte hominis offerentis. n. 4., neque ex parte Dei. n. 5., neque ex parte rei oblatæ. n. 6., neque ex parte modi offerendi. n. 7. Argumentis contrariis satisfit. n. 8. ad 16. Sacrificium novæ legis repetitur non in solutionem, sed in applicationem solutionis in Cruce jam præstitæ. n. 12. In hujusmodi sacrificio idem est Sacerdos primarius, & invisibilis, non secundarius. n. 13. Sacrificium carnalis legis, & servitutis indigebat morte, & sanguinis effusione: non ita sacrificium mysticæ legis, & libertatis. Ib. Sacrificium altaris Eu-

Eucharisticum quoad rem immolatam, nimirum Corpus, & Sanguinem Christi, non est figura, aut Symbolum Crucis; quod attinet vero ad actionem immolativam est commemoratio, & repræsentatio symbolica sacrificii cruenti. Ib. p. 4. n. 2., & 3. Sacrificii cruenti, & incruenti differentia. Ib. p. 5 n. 16. ad 31. Vid. Missa.

Sacrilegium est violatio cujusque rei sacræ, personæ, vel loci. T. 3. L. 6. p. 23. n. 17. Est speciale vitium. Ib. Secundum diversam rationem sanctitatis rerum, quibus irreverentia fit, sacrilegii species distinguuntur. n. 18.

Sævitia, aut feritas in quo consistat. Ib. p. 34. n. 5. Clementiæ non opponitur directe sævitia, sed pietati. Ib.

Salivæ usus in Baptismo sanctitas suadetur. T. 6. L. 15. p. 4. n. 59.

Salutatio Angelica ex quibus verbis componatur. T. 5. L. 12. p. 9. n. 3.

Samuelis anima loquentis Saulo vera fuit. T. 2. L. 2. p. 7. n. 11. ad 13.

Samson utrum peccaverit, cum sibimet mortem intulit? Ib. p. 5. n. 21.

Sanctificatio festorum quid importet? T. 7. L. 17. p. 4. n. 23., & 24.

Sanctorum omnium festum cœpit primum Romæ ex Bonifacii IV. mandato. Ib. n. 18. Sanctorum invocatio pia est. Ib. L. 18. p. 7. n. 1. ad 7. Argumenta contrariorum solvuntur. n. 8. ad 18. Quomodo Sancti nostras preces audiant? n. 10., & 11. Sanctos invocando, nullam eis Deitatem tribuimus. n. 18., & 19. Mendacia, & calumniæ hæreticorum refutantur. Ib. Sancti in Cœlo orant pro nobis. n. 20. Sanctorum cultus pius, & sanctus est. Ib. p. 8. n. 1. ad 5. Adversariorum argumentis occurritur. n. 6., & 7. Expedit Sanctos Canonizari, & quidem a Rom. Pontifice. Ib. p. 11. Vid. Canonizatio.

Sapientiæ Liber Canonicus est; T. 2. L. 2. p. 24. ejus author incertus. n. 4.

Sapientia est cognitio rerum per causas altissimas. T. 3. L. 6. p. 5. n. 6. Sapientia, quæ donum est Spiritus Sancti, differt a sapientia, quæ est virtus intellectualis, & a sapientia, quæ est gratia gratis data. Ib. L. 7. p. 17. n. 2. Sapientiæ donum non est habitus mere speculativus, sed etiam practicus. n. 3. Hujusmodi donum sine charitate esse non potest. Ib. Sapientia sæculi, sive prudentia carnis, importat errorem circa finem. Ib. L. 6. p. 8. n. 8.

Sara quomodo tam a mendacio, quam a periculo adulterii, cui se commisit, excusetur. T. 2. L. 2. p. 3. n. 10. ad 12. Difficultas non minima diluitur de pulchritudine Saræ, ut Abimelechum in sui amorem rapuerit, cum jam esset nonagenaria. n. 10.

Satisfactionis nomine quid intelligatur? T. 4. L. 9. p. 14. n. 1. Ex parte Dei offensi necessariam esse satisfactionem, duplici argumento convincitur. Ib. Satisfactionem condignam pro peccato homo exhibere non potest. Ib. Probatur primo de homine gratia destituto. Ib. Secundo de homine in statu justitiæ originalis, aut saltem gratia sanctificante ornato. n. 2. An homo, quatenus membrum Christi est, pro suo possit, aut alieno peccato satisfacere? Ib. Satisfactio est pars integralis, & necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. T. 6. L. 16. p. 4. n. 12. & 13. Duplex est satisfactionis genus. n. 13. Satisfactoria opera sunt oratio, jejunium, & eleemosyna. Ib. p. 5. n. 4. In satisfactione quæ æqualitas requiratur? Ib. Satisfactionem unius pro alio Deus non tenetur, nec promisit unquam acceptare, neque Ecclesia potest scire, nisi Deus revelet, an acceptata fuerit satisfactio, an non; atque adeo hæc nobis certa, & infallibilis non est. Ib. p. 6. n. 8. Satisfactio unius pro alio nunquam mereri potest de condigno, ut aliis pœna remittatur. Ib. Solvuntur argumenta Suarezii probantis, satisfactionem unius pro aliis semper esse per modum solutionis. n. 9. Possumus a Deo obtinere, ut ex pura misericordia pœnam nobis remittat, atque id ipsum pro nobis quivis petere potest. n. 11. Opera afflictiva, & laboriosa per sese non sunt grata, nec satisfactoria nisi per charitatem. Ib. p. 7. n. 2. Quodnam pœnarum genus sit satisfactorium, dependet a divino arbitrio: in hac vita nullum taxavit Deus, sed solum in Purgatorio quoad pœnam temporalem. n. 3. Opera nostra satisfactoria sunt pro pœnis in Purgatorio ex concessione Divina per Christum, atque per ipsum Deus ea acceptare promisit. Ib.

Saul: quomodo intelligatur textus 1. Reg. c. 13.? Filius unius anni erat Saul &c. Duobus autem annis regnavit Saul super Israel? T. 2. L. 2. p. 7. n. 2.

Scandalum quid sit? T. 3. L. 7. p. 15. n. 3. Aliud est activum, passivum aliud. Ib. Scandalum habet specialem, & propriam speciem peccati. n. 4. Quænam dimittenda sint; vel non propter scandalum vitandum? Ib.

Schisma est quædam discordiæ species. T. 3. L. 6. p. 22. n. 4. Nomen generale schisma usu contractum est ad significandam divisionem ab unitate Ecclesiæ. Ib. In quo differant in acceptione Theologica hæresis, & Schisma? n. 5. Nullum est Schisma, quod non in decursu aliquam sibi hæresim confingat. Ib. Potest tamen, & longi temporis Schisma sine hæresi inveniri. Ib. Schisma ex se est gravissimum peccatum, unde & gravissima excommunicationis pœna punitur, & omni Ecclesiasti-

stica jurisdictione privatur. n. 6.

Schismatici sunt extra Ecclesiam. T. 5. L. 11. p. 1. n. 3.

Scientia visionis quomodo differat a scientia simplicis intelligentiæ. T. 2. L. 1. p. 10. n. 18. Scientia Dei est causa rerum. Ib. p. 11. n. 1. Scientia rerum effectrix ea est, quæ simplex intelligentiæ dicitur. n. 2. ad 7. Argumenta opposita enodantur. n. 4. ad 7. Scientiæ Divinæ discrimen ab Angelica, & humana adnotatur. n. 1.

Scientia est cognitio rerum per proximas causas. T. 3. L. 6. p. 5. n. 6. Sciendi appetitus perversus esse potest tum propter finem, tum propter ipsam inordinationem appetitus. Ib. p. 34. n. 7. Hæc autem inordinatio quadrupliciter esse potest. Ib. & n. 8. Scientia, quæ donum Spiritus Sancti est, differt a scientia, quæ est virtus intellectualis, & a scientia, quæ est gratia gratis data. Ib. L. 7. p. 18. n. 1. Scientiæ donum ad fidei certitudinem ordinatur. n. 2.

Scribarum Correctio vel nulla fuit, vel si fuit, non corruptio, sed purgatio scripturarum ea est dicenda. T. 2. L. 3. p. 1. n. 10.

Scriptura per sese non ubique clara, & perspicua est. Ib. p. 14. Scripturæ verborum non unus sensus est. Ib. p. 15. Sensus litteralis, sive historicus, sensus spiritualis, & hujusce divisiones exponuntur. n. 2. Ex solo litterali sensu a Theologo sumenda sunt argumenta. n. 3. De aliis vero quando, & quomodo utendum sit? n. 5. ad 8. Scriptura sui ipsius judex esse non potest. Ib. p. 16. n. 2. Scripturæ sacræ judex nequit esse Spiritus privatus. n. 3. Scripturæ Sacræ infallibilis judex est Ecclesia. n. 4. ad 9. Scripturæ non ex proprio sensu, sed ex mente Patrum exponendæ sunt. Ib. p. 17. Scripturæ sensus ad Patres, qui temporibus Apostolicis parum abfuerunt, purior, & clarior pervenit. n. 7. Ex sacra Scriptura licet sensus non adversos, & repugnantes Patribus, diversos tamen eruere. n. 19.

Scurrilitas opponitur per excessum Eutropeliæ. T. 3. L. 6. p. 34. n. 12.

Secretariæ R. status brevis notitia traditur. T. 5. L. 12. p. 13. n. 32.

Seditio in quo differat a rixa, & bello? T. 3. L. 7. p. 23. n. 20.

Segnities est defectus promptæ voluntatis circa actum præcepti proveniens ex cordis hebetudine ad agendum. Ib. L. 6. p. 8. n. 6.

Sensus est potentia quædam passiva nata immutari ab exteriori sensibili. Ib. p. 5. n. 3. Et hæc immutatio duplex esse potest. Ib. Sensus externi, sive potentiæ animæ sensitivæ quinque sunt. Ib.

Septuagesimæ Dominicæ nomen, & of-

& officium. T. 7. L. 17. p. 6. n. 13., & 14.

Septuaginta Interpretum Versio an prima fuerit, incertum est. T. 2. L. 3. p. 3. n. 1. ad 3. Nec constat, quo præcise tempore illam Septuaginta Seniores adornaverint. n. 4. Utrum Septuaginta totum Scripturarum Canonem, an solum Pentateuchum verterint, incertum est. Ib. p. 4. Historiam universam translationis Septuaginta Interpretum ut fabulosam respuere, æquum non est. Ib. p. 5. Septuaginta Interpretum prima, & pura versio Canonica est. Ib. p. 6. Varietates, quæ inter versionem Septuaginta, textumque Hebraicum, & Vulgatam inveniuntur, cui referendæ sunt? Ib. p. 7. n. 1. & 2. Septuaginta Interpretes afflatu Spiritus Divini addiderunt aliqua, aut omiserunt, aut permutarunt. n. 3. Chronologia Septuaginta de Patriarchis retinenda est; nec projicienda hebraici textus, & Vulgatæ nostræ lectio. n. 5. ad 7. Septuaginta Interpretes non sine causa Cainan generationem addiderunt: nec sine mysterio eandem prætermisit Moyses, utrumque vere, utrumque prudenter factum est: alterum & vere, & prudenter Lucas sequutus est. n. 9. ad 12. An Septuaginta Interpretum laudatissima versio exstet? n. 15.

Servitia minuta, ut vulgo dicuntur, Ministris Romanæ Curiæ exhibere solita pro expeditione Litterarum Apostolicarum non sunt Simoniaca. T. 5. L. 12. p. 11. n. 34.

Servitus quo jure inducta sit? T. 4. L. 8. p. 9. n. 11. Servitus tam jure naturali, quam divino, Ecclesiastico, & civili permittitur. T. 3. L. 6. p. 11. n. 29. ad 32. Servitutis causæ quatuor habentur. T. 4. L. 8. p. 9. n. 11. Exponuntur tituli, quibus permittitur servitus. T. 3. L. 6. p. 11. n. 30. ad 33. A servitute quis per manumissionem eximitur. T. 4. L. 8. p. 9. n. 11. Æthiopum servorum innumera multitudo, quæ in Americæ Colonias delata est, an, & quomodo justa, & licita sit. T. 3. L. 6. p. 11. n. 32. Multa genera servorum jure positivo sunt. T. 4. L. 8. p. 9. n. 11. Servitus an ex se impediat matrimonium? T. 6. L. 16. p. 13. n. 7. Servitutis ignorantia jure naturæ, civili, & canonico Matrimonium evacuat. Ib. Servorum matrimonia contra Romanorum, & Paganorum leges Ecclesia semper legitima, ac Sacramenta reputavit. n. 8. Distinctio inter servitutem cognitam, & ignoratam ante XII. sæculum adhibita fuit a Concilio Vermeriensi, & Zachariæ Pontif. decreto apud Gratianum. Ib. In hac nunquam fuit Ecclesiæ innovatio, cum hoc impedimentum proveniat ex ipsa natura conjugalis contractus. Ib. Prædicta distinctio non est inventa occasione apocryphi decre-

creti Julii Papæ. Ib. Eaque non authoritate Gratiani, sed Pontificum, & Conciliorum Gratiano antiquiorum in decretalibus inducta fuit, ac Canonistarum, & Theologorum usu recepta. Ib. Prædicta omnia probantur. n. 8. ad 12.

Servus quid præter honorem, & reverentiam Domino debeat? T. 4. L. 8. p. 9. n. 13. De servorum peculio utilis notitia traditur. Ib. Servi quid, quando, & quomodo sibi, aut Domino acquirant? Ib. Vid. Servitus.

Severitas est, quæ strictam æqualitatem, aut proportionem pœnæ ad culpam in puniendo sectatur. T. 3. L. 6. p. 34. n. 4.

Sexagesimæ Dominicæ nomen, & Officium explicatur. T. 7. L 17. p. 6. n. 13., & 14.

Sexta, Hora Canonica, ex quibus constet? T. 5. L. 12. p. 8. n. 14.

Signatura justitiæ est Congregatio, ad quam pertinet de legitimis appellationibus cognoscere in eis causis, quæ proprium tribunal non habent. Ib. p. 13. n. 32. Signatura gratiæ quas causas comprehendat? Ib.

Simeonis in Sichimitas aggressionem Scriptura non laudat. T. 2. L. 2. p. 3. n. 19. ad 21.

Simeon, qui in Templo Christum accepit, an fuerit Sacerdos? T. 7. L. 17. p. 4. n. 3.

Simonia definitur. T. 3. L. 6. p. 23. n. 22. Est quædam species sacrilegii. Ib. Simonia a quo sic appelletur? Ib. Nomine emptionis, & venditionis, cum de Simonia loquitur, intelligitur omnis contractus non gratuitus. Ib. Simonia alia est juris naturalis, & divini, alia juris Ecclesiastici, & positivi. Ib. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui Sacramenta ministrant secundum ordinationem Ecclesiæ, & approbatas consuetudines non est Simonia, neque peccatum. n. 23. Actus, qui ex spirituali gratia procedunt, aut ad eam disponunt, ut sunt Officia Ecclesiastica prædicandi, psallendi, docendi &c., vendere, aut emere, simoniacum est: accipere autem, aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, licitum est. Ib. Spiritualibus annexa sunt in duplici differentia. n. 25. Simoniacum est vendere, quæ ex spiritualibus dependent, quæ autem ad spiritualia ordinantur, aliquomodo vendi possunt. Ibid.

Simplicitas, pars parsimoniæ, ad qualitatem, & pretiositatem supellectilis spectat. T. 3. L. 6. p. 34. n. 16. Simplicitas, aut sinceritas est, qua homo non solum verbis, sed etiam in omnibus actionibus, totoque vitæ tenore talem, qualis est, aliis se exhibet. Ib. p. 17. n. 1.

Simulatio est mendacium quoddam in externis rebus, aut actionibus consistens; omnis igitur simulatio suapte natura fugienda est, & vitanda. Ib. p. 25.

25. n. 4. Simulare Religionem nunquam licet. Ib. p. 28. n. 8.

Sinceritas. Vid. Simplicitas.

Sinus Abrahæ explicatur. T. 7. L. 18. p. 1. n. 4.

Siriacæ Versionis notitia datur. T. 2. L. 3. p. 2. n. 3. Siriaca Versio duplex distinguitur. Ib.

Sobrietas præstat circa potum id, quod circa cibum abstinentia. T. 3. L. 6. p. 30. n. 14.

Socius, qui cum alio societatem init, sive uterque pecuniam, sive alter pecuniam, alter operam, aut industriam conferat, licite potest partem lucri inde provenientis expetere. Ib. p. 22. n. 31.

Socordia est defectus promptæ voluntatis circa actum præcepti proveniens ex cordis hebetudine ad considerandum. Ib. p. 8. n. 6.

Solertia est facilis, & prompta conjecturatio circa inventionem mediorum. Ib. p. 7. n. 3.

Solicitudo opposita negligentiæ explicatur. Ib. p. 8. n. 7. Hæc illicita esse potest tripliciter. Ib.

Sordidus dicitur, qui non nisi sumptus tenuitatem intendit. Ib. p. 29. n. 8.

Spe infusa excitare debuit homo ad bona æterna exoptanda. T. 3. L. 7. p. 11. n. 1. Hæc spes non passio, sed virtus, sive habitus est. n. 2. Spes a desiderio in duobus differt. n. 3. Quatuor in spei objecto considerantur. Ib. Habetque duo objecta. Ib. In utroque autem invenitur & principale, & secundarium. Ib. Spes est in voluntate tanquam in subjecto. n. 4. Estque virtus Theologica. Ib. Neque in Beatis, neque in damnatis est spes Theologica. n. 5.

Spiritualia moventur a Deo secundum locum, & tempus. T. 7. L. 18. p. 1. n. 1.

Spiritus Sanctus Deus est. T. 5. L. 13. p. 4. Probatur tredecim argumentationibus ex Scriptura depromptis. n. 2. ad 5. Argumenta contraria ex principiis naturalibus desumpta diluuntur. Ib. p. 5. Ex Scripturis. Ib. p. 6. sed præcipue n. 6. ad 11. Ex Patribus Ante-nicænis. Ib. p. 7. n. 1. ad 4. Ex aliis PP. n. 5. ad ult. Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedit. Ib. n. 7. Convincitur argumentationibus ex Scriptura desumptis. n. 7. & 8. Multis rationibus Theologicis. n. 9. ad 13. Hanc fuisse antiquorum Patrum Græcorum sententiam, demonstratur. n. 14. ad 16. Latinam Ecclesiam corrupti Symboli ream non esse, ostenditur. n. 17. Quo tempore, quove authore additio illa: *Ex Patre, Filioque procedit*, Symbolo inserta fuerit? n. 18. ad 20. Spiritus Sanctus quo sensu pro nobis orare, gemere, &c. dicatur. Ib. p. 6. n. 8. Spiritus Sanctus quibus modis communicetur? T. 6. L. 15. p. 5. n. 19.

Sponsores, seu Patrini in Baptismo adhiberi debent. T. 6. L.

15.

15. p. 4. n. 68. Atque etiam in Confirmatione. Ib. p. 5. n. 36.
Squallor opponitur luxui. T. 3. L. 6. p. 34. n. 19.
Stationes quæ dicantur? T. 7. L. 17. p. 7. n. 3.
S. Stephani festum an semper fuerit celebratum die 26. Decembris? Ib. p. 4. n. 15.
Stipendium Missæ quando inceperit, quo titulo detur, quid prosit danti, & quam obligationem pariat in recipiente? Ib. p. 9. n. 4. ad 7.
Studiositas est quædam in discendo sobrietas. T. 3. L. 6. p. 32. n. 5. Estque virtus moralis, & non intellectualis. Ib.
Studium est vehemens applicatio mentis ad aliquid cognoscendum, aut inveniendum. Ib.
Stultitia, sive stupiditas opponitur scientiæ. Ib. p. 6. n. 3. in quo differat a fatuitate? Ib.
Sub-Diaconatus. Vid. Ordo.
Subsannatio in quo differat a derisione? Ib. p. 21. n. 9., & 10.
Subsistentia quid, & quotuplex sit? T. 5. L. 13. p. 5. n. 7. ad 11. Subsistentia abstractive sumpta in Divinis an sit prædicatum absolutum, an relativum? n. 4. Vocum quarumdam vis, & significatio, quibus Patres ad hujus mysterii expositionem utuntur, prius statuuntur. n. 4. ad 11. Subsistentia abstractive sumpta est prædicatum absolutum. n. 12., & 13. Argumentis contrariis respondetur. n. 14. ad 19.
Substantiæ nomine quid Patres intelligant. Ib. p. 5. n. 11.
Subtilitas corporum Sanctorum post resurrectionem stabilitur. T. 7. L. 18. p. 6. n. 3.
Sufficientia, pars parsimoniæ, pertinet ad quantitatem externi cultus, aut supellectilis. T. 3. L. 6. p. 34. n. 16.
Suffragia in Officio, quare ita dicantur. T. 5. L. 12. p. 9. n. 31. Conditiones ad suffragii valorem requisitæ recensentur. T. 6. L. 16. p. 6. n. 12. Suffragiis Sanctorum pœnæ temporalis remissio sive in hoc sæculo, sive in futuro a Deo obtineri potest. Ib. p. 6. Stabilitur conclusio Scripturarum authoritate, ac Conciliorum; ex praxique, ac usu constanti Catholicæ Ecclesiæ in omnibus locis, ac sæculis; ac potissimum denique ratione unitatis Ecclesiæ, sive corporis mystici sub uno capite Christo Mediatore. n. 1. ad 4. Tripliciter potest alter alterum ad satisfaciendum adjuvare. n. 6. Fieri potest, ut nobis non cooperantibus, neque poscentibus, neque scientibus aliorum suffragia prosint per modum solutionis, & pretii, maxime si persona pro nobis patiens, aut offerens sit nobis sanguine, aut officio, & munere ita conjuncta, ut nostri cura ad eum pertineat. n. 7. In satisfactione pro alio requiruntur spontanea, & determinata oblatio offerentis, & acceptatio personæ offensæ. Ib. Suffragia Sancto-

ctorum quomodo Deus, & Ecclesia acceptare possunt in remissionem pœnæ? Ib. p. 7. n. 5. Stabilitur conclusio, & probatur ex Scripturis, usu Ecclesiæ, monumentis antiquitatis, ex Libellis Martyrum, & ex Conciliis. n. 5. ad 9 Quomodo nobis Sanctorum merita prosint, de congruo ne, an de condigno? n. 17. ad 27. Omnis Sanctorum, & nostrorum operum pro aliis oblatio, dicatio, aut directio non est nisi congrua intercessio. n. 28.

Summistæ Theologi qui dicantur? T. 4. L. 8. p. 14 n. 15. Eorum Cathalogus texitur. n. 15. ad 18.

Sumptio Eucharistiæ ab ipso Sacerdote celebrante est de essentia sacrificii. T. 6. L. 14. p. 4. n. 6. Nec de ratione sacrificii, nec de necessitate divini præcepti necessarium est, ut omnes, aut aliqui præter Sacerdotem de oblatis participent. n. 7. De ratione integritatis, & perfectionis sacrificii Eucharistici necessaria est utriusque speciei oblatio, consecratio, & sumptio. n. 8. Argumentis contrariis fit satis. n. 14. ad 19. Utrum Christus corpus, & sanguinem suum sumpserit, cum Eucharistiam instituit? n. 14.

Superbia est appetitus immodicus excellentiæ. T. 3. L. 6. p. 34. n. 6. Quatuor superbiæ species numerantur. Ib.

Superficies contractus est, quo superficies solum ad aliquid ædificandum, aut plantandum alteri conceditur. Ib. p. 11. n. 5.

Superfluitas opponitur sufficientiæ. Ib. p. 34. n. 16.

Superioribus debetur honor. T. 4. L. 8. p. 9. n. 6. Debeturque obedientia, & obsequium. n. 7.

Superstitio est vitium oppositum Religioni per excessum, quia cultum divinum defert vel cui non debet, vel modo, quo non debet. T. 3. L. 6. p. 23. n. 1. Superstitionis variæ sunt species. Ib. Superstitio divinatoria. Vid. Divinatio.

Suppositum quid sit? T. 5. L. 13. p. 5. n. 9. ad 11.

Susurro in quo differat a detractore? T. 3. L. 6. p. 21. n. 8. Susurratio majus peccatum est, quam detractio. Ib.

Symboli Apostolorum origo. T. 5. L. 12. p. 9. n. 4. Quare dicatur symbolum? n. 5.

Synderesis munus est instigare ad bonum, & arguere de malo. T. 3. L. 6. p. 5. n. 7.

Synesis virtus prudentiæ annexa ad judicium pertinet, est enim bene judicativa, sed secundum communes regulas agendorum. Ib. p. 7. n. 5.

T

TActus sensus externus animæ sensitivæ ad plures contrarietates extenditur. T. 3. L. 6. p. 5. n. 3. Tactus delectationis duo sunt genera. Ib. p. 30. n. 2.

Temeritas, prudentiæ defectus, explicatur. Ib. p. 8. n. 2.

Tem-

Temperantia, secundum Isidorum, est virtus, qua libido, concupiscentiaque frænatur. Ib. p. 30. n. 1. Partes autem potentiales temperantiæ tres assignat Tullius. n. 2. Ejusdem veluti partes integrales sunt verecundia, & honestas. Ib. Partes vero subjectivæ ex diversitate objectorum desumuntur. Ib.

Templa cultui divino solenniter dedicare, & consecrare, sanctum, & pium est. T. 6. L. 14. p. 8. n. 3. & 4.

Tempus aliquod divinis destinare jure naturæ tenemur. T. 4. L. 8. p. 8. n. 1. Temporis autem determinatio ad jus positivum pertinet. Ib.

Tentatio: tentare est proprie experimentum sumere de eo, qui tentatur, & hoc fit dicto, vel facto. T. 3. L. 6. p. 23. n. 8. Tentatio in hoc sensu alia est formalis, sive explicita, alia interpretativa, seu virtualis. Ib. Tentare Deum est actus, quo quis aliquid agit, aut dicit, quod ad nihil aliud est utile, quam ad sumendum experimentum, sive ad probandam Dei bonitatem, potestatem, aut cognitionem. Ib. Tentare Deum est peccatum Religioni oppositum. n. 9.

Testamenti veteris Libri Deutero-Canonici numerantur. T. 2. L. 2. p. 20. Testamentum novum Divinæ authoritatis est. T. 4. L. 10. p. 3.

Testamenta, & successiones jure Gentium sunt stabilitæ, super fundamento autem æquitatis naturalis, & rationis. Ib. L. 8. p. 9. n. 4.

Testimonium ferre, quando quis teneatur? T. 3. L. 6. p. 20. n. 11. Falsum testimonium in judicio ex triplici capite deformitatem habet. n. 12. Verum testimonium vendere non licet. n. 15.

Tertia, Hora Canonica, ex quibus constet? T. 5. L. 12. p. 8. n. 14.

Theologi Classici qui sint? T. 4. L. 8. p. 14. n. 2. Eorum Cathalogus texitur. n. 3. ad 6.

Thesaurus quid sit? Ib. p. 9. n. 21. Circa hunc diversæ sunt apud diversos populos leges. Ibid.

Thesaurus inexhauribilis meritorum Christi, a quo provenit efficacia Indulgentiarum, exponitur. T. 6. L. 16. p. 7. n. 15. Hunc thesaurum Christus suis Vicariis reliquit dispensandum. Ib. An in hoc thesauro includantur etiam merita Sanctorum, & quomodo hæc nobis prosint? n. 17. ad 27. Doctrina de adjudicatione alienarum satisfactionum in thesauro Ecclesiæ repositum usque ad XII. sæculum omnibus retro Patribus ignota fuit. n. 22., & 23. Applicatio thesauri prout conflati ex meritis Christi, nititur justitia; prout conflati ex meritis Sanctorum, nititur clementia. n. 24 Sancti nobis dupliciter præstant adminiculum. n. 27. Utrum applicatio thesauri prout conflati ex me-

meritis Sanctorum pendeat ab intentione ipsorum, opera bona facientium? n. 28. Dubium est, an Pastores Ecclesiæ dispensare possint thesaurum prout conflatum ex meritis Sanctorum. n. 29. Possunt vero prout conflatum ex meritis Christi. Ib. An possint extra Sacramentum dispensare? n. 30. & 31.

Thurificationis usus est in Ecclesia antiquus. T. 6. L. 14. p. 8. n. 54.

Timiditas est dispositio animi ad timorem proclivis; atque adeo morbus est, & vitium fortitudini oppositum. T. 3. L. 6. p. 29. n. 1.

Timor est passio, sive affectio transiens. Ib. Dedecoris timor duo operatur. Ib. p. 30. n. 3.

Timor, Spiritus Sancti donum, duplex habet objectum. Ib. L. 7. p. 18. n. 4. Timor servilis, & filialis specie differunt. Ib. Solum timor filialis Spiritus Sancti donum est. n. 5. Quomodo timor in patria permaneat? n. 6. Timor servilis bonus est. T. 6. L. 16. p. 2. n. 10.

Tituli nomine quid olim, quid nunc intelligatur? T. 5. L. 12. p. 7. n. 8.

Tobiæ Liber sacer est. T. 2. L. 2. p. 22. Author prorsus incertus. n. 2. Tobias quando in Ninivem captivus fuerit deportatus? n. 4. Prophetice loquutus est de futura captivitate, & incendio templi tanquam de preterito. Ib.

Tollerantia est vitium vindicationi oppositum, quando ex ea fit, ut scelera impunita relinquantur. T. 3. L. 6. p. 25. n. 1. Tollerantia Ecclesiastica adversus hæreticos nulla est. Ib. L. 7. p. 10. n. 17. Tollerari non possunt a Principibus Catholicis in terris suis hæretici, qui novas hæreses moliuntur. Ib. Neque item hæretici nominatim denuntiati. Ib. Hæretici non denuntiati nominatim in terras Catholico Principi subjectas admitti denuo non possunt ob aliquam temporalem utilitatem. Ib. Principes Catholici quos hæreticos, & quibus de causis tollerare possint? Ib. Hæretici, qui quovis honesto titulo in Catholicorum terris per aliquot annos ex Principis consensu commorati sunt, sine nova superveniente causa expelli non possunt. n. 18. Vid. Hæresis.

Tonsura non est Ordo. T. 5. L. 12. p. 6. n. 5. ad 9.

Traditiones sunt in triplici differentia. Ib. L. 11. p. 15. n. 38. & T. 3. L. 7. p. 9. n. 14. Traditionum veritas, necessitas, & authoritas utriusque Testamenti testimoniis stabilitur. T. 2. L. 4. p. 1. Ex Patribus evincitur. Ib. p. 2. Necessitas traditionum rationibus Theologicis firmatur. Ib. p. 3. Hæreticorum objectionibus ab Scriptura desumptis occurritur. Ib. p. 4. Ex Patribus petitæ diluuntur. Ib. p. 5. Argumenta a ratione solvuntur. Ib. p. 6. Traditiones, quæ ad disciplinam, cæremonias, & exter-

ter-

ternam Eccleſiæ politiam, & regimen ſpectant, mutationi ſunt obnoxiæ. n. 2. Quæ vero ad fidei, & ethicæ Chriſtianæ regulam, non item. Ib. Traditio de fidei rebus eruitur, non ex privata alicujus Patris ſententia, niſi accedat cæterorum PP., & ſæculorum, atque adeo totius Eccleſiæ conſenſus. n. 13.

Tranſubſtantiatio explicatur. T. 6. L. 14. p. 3. n. 23.

Tributa quid ſint? T. 4. L. 8. p. 9. n. 21. Eorum impoſitio ad Principem ſpectat. Ib.

Tridentini Concilii Congregatio eſt pro interpretatione, & exequutione decretorum Concilii. T. 7. L. 12. p. 13. n. 33.

Trinitas vera eſt in Deo, ſive trium Perſonarum diſtinctio in unitate naturæ. Ib. L. 13. p. 1. Probatur ex Scripturis, & traditione trium priorum ſæculorum. n. 1. ad 3. Ex traditione reliquorum ſæculorum. n. 4. Firmatur eadem Eccleſiæ doctrina ex contrarii erroris deteſtatione. Ib. Trinitatis fides non adeo imperfecta, ac deformis fuit ante Nicænam Synodum, ut ſcripſit Juræus, neque Nicæni PP. novam fidem addiderunt. n. 5. Trinitas cum ratione naturali non pugnat. Ib. p. 5. Demonſtratur ſolutione argumentorum, & primo ſolvuntur ea, quibus ex principiis ſcientiarum naturalium fidem noſtram oppugnant Pagani. n. 11. ad 19. Solvuntur, quæ contra Catholicam de Trinitate profeſſionem opponuntur. n. 20. Diluuntur, quæ contra rationem generationis in Divinis objiciuntur. n. 21. ad 30. Trinitas Perſonarum cum Sacra Scriptura non pugnat. Ib. p. 6. Trinitas Perſonarum Conſubſtantialium cum Patrum doctrina non pugnat. Ib. p. 7. Trinitatis Sanctiſſimæ feſtum quo tempore inceperit? T. 7. L. 17. p. 3. n. 12.

Triſtitia duplici ex capite conſequitur amorem. T. 3. L. 7. p. 21. n. 1.

V

VAgus quis ſit? & quibus legibus teneatur? T. 4. L. 8. p. 13. n. 1.

Vanæ, ſeu inanis gloriæ appetitus vitium importat. T. 3. L. 6. p. 29. n. 6. Vana gloria tripliciter eſſe poteſt. Ib. Opponitur per exceſſum magnanimitati. Ibid.

Varatra. Vid. Mohatra.

Vaſorum Sacrorum antiquitas, decentia, & neceſſitas ſuadetur. T. 6. L. 14. p. 8. n. 7., & 8.

Vectigalia quid ſint? T. 4. L. 8. p. 9. n. 21. Eorum impoſitio, additio &c. ad Principem attinet. Ib.

Venditio ob defectum rei venditæ illicita redditur: triplex autem rei defectus eſſe poteſt. T. 3. L. 6. p. 22. n. 2. Multis de cauſis poteſt aliquid licite carius, quam fuerit emptum, vendi. n. 5. Si pretium lege aliqua, aut pu-

publica authoritate stabilitum sit, pluris vendere non licet. Ib. Vendere rem carius, quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifesta usura est. n. 40. Venditor per legem commissoriam ultra sortem lucratur omnes fructus exstantes, & omnia commoda, & accessiones rei. n. 21. & 22.

Venialia peccata non sunt materia necessaria præcepti annuæ Confessionis; pie tamen & laudabiliter confitentur. T. 7. L. 17. p. 10. n. 1.

Verberare aliquem, cui liceat? T. 3. L. 6. p. 19. n. 15.

Verbum Dei scriptum in iis Libris continetur, quos Canonicos Catholici vocamus. T. 2. L. 2. p. 1. n. 1. Argumenta contraria diluuntur. Ib. p. 3. n. 6. ad ultim.

Verbum, seu Filius Dei, Deus est Patri consubstantialis. T. 5. L. 13. p. 3. Vid. Filius. Verbi nomine Filius intelligitur. Ib. n. 1. Verbum procedit ex cognitione omnium, quæ Deo insunt, & cognitione creaturarum tum possibilium, tum futurarum, tum existentium. Ib. p. 7. n. 29. ad 31. Argumenta opposita enervantur. n. 32., & 33. Verbum est Imago, quatenus refertur ad Patrem, quatenus autem refertur ad res alias extra Deum, Exemplar. n. 31. Verbi unio ad humanitatem facta est in Persona. T. 4. L. 10. p. 14. n. 3. Objectionibus fit satis. n. 15. & 16.

Verba in Sacramentis adhibita. Vid. Sacramenta.

Verecundia est timor dedecoris ex turpi commisso. T. 3. L. 6. p. 30. n. 3. Verecundia non est virtus, sed passio. Ib. A quibus maxime verecundamur, recensentur. Ib.

Veritas dupliciter accipitur, & explicatur. Ib. p. 17. n. 1. In quo sensu veritas appellari possit simplicitas, & sinceritas? Ib. Veritas, & simplicitas est specialis quædam virtus. n. 1. & 2. Veritas partim cum justitia convenit, partim ab ejus propria ratione deficit. n. 3. & 4.

Vermis, qui in Inferno cum igne conjungitur, an corporeus sit? T. 7. L. 18. p. 4. n. 45.

Versiculi: Gloria Patri, & Filio &c. quis sit author? T. 5. L. 12. p. 9. n. 9. & 10. Ejus antiquitas, dignitas, & hodiernus usus explicatur. n. 10. ad 12. Versiculi, aut versus dicuntur quænam breves sententiæ ex Scripturis fere semper depromptæ. n. 18. Alii ad statum, alii ad qualitatem Officii pertinent. Ibid.

Versiones Orientales a Theologo non magni æstimandæ. T. 2. L. 3. p. 2. Versionum Orientalium nomine quid intelligatur? n. 1. De singulis brevis notitia traditur. n. 1. ad 8. Versio Septuaginta Interpretum. Vid. Septuaginta Interpretum. Omnes Græcæ Versiones præter Septuaginta, privatæ dumtaxat authoritatis sunt. Ib. p. 8. Octo omnino

nino numerantur. n. 1. ad 6. Versio Vulgata. Vid. Vulgata Versio. Latinæ Catholicorum Versiones præter Vulgatam privatæ authoritatis sunt. Ib. p. 11. Sex numerantur, & de singulis utilis notitia traditur. n. 1. ad 7. Latinæ Protestantium Versionis indicantur, atque earum perutilis, sed brevis notitia datur. Ib. p. 12. n. 1. ad 4. Versionum vulgarium lectio passim omnibus, & sine discrimine concedenda non est: neque in publico, & communi usu Ecclesiæ Scripturas vulgaribus linguis canere, aut legere. Ib. p. 13.

Versus *Deus in adjutorium* &c., a quo omnes Horæ canonicæ præter Completorium incipiunt, ad omnem statum, & universos incursus proprie, & competenter aptatur. T. 5. L. 12. p. 9. n. 7.

Vesperæ, Hora Canonica, quibus constent? Ib. p. 8. n. 15.

Vestium, quibus Ecclesia in Sacrificio utitur, sanctitas, & pietas ostenditur. T. 6. L. 14. p. 8. n. 9. ad 15.

Via a Theologis vocatur, illud intelligibile temporis intervallum, quo ad patriam tendit rationalis natura. T. 3. L. 5. p. 25. n. 1. Viæ publicæ ad supremam potestatem pertinent. T. 4. L. 8. p. 9. n. 21.

Vigilia Pentecostes ex privata fidelium devotione, & pietate jejunium incepit, quod ex observatione multorum sæculorum in legis, & præcepti Ecclesiastici consuetudinem transiit, atque adeo ex necessitate observandum est. T. 7. L. 17. p. 7. n. 2. De aliis vigiliis, seu stationibus. n. 3., & 4.

Vindicatio injuriam persequitur, & compensat, & est sicut justitia ad alterum. T. 3. L. 6. p. 17. n. 6. Per vindicationem quædam inducitur æqualitas, ut quantum quis peccat, tantundem puniatur. Ib. Secundum circumstantias actus vindicationis ad diversas virtutes pertinere potest. Ib. Vindicatio eatenus honesta est, ac licita, quatenus tendit ad cohibitionem malorum. n. 7.

Vinum non fuit antediluvianis prohibitum. Ib. p. 30. n. 14. Vinum prout est pars Sacrificii Missæ. Vid. Missa.

Virginitas est propositum perpetuo abstinendi ab omni deliberata delectatione venerea. T. 3. L. 6. p. 30. n. 16. Virginitas est bona. Ib. p. 31. n. 1., & 2. Nuptiis etiam melior. n. 3., & 4. Virginitas pie, ac recte vovetur. Vid. Continentia.

Virgo Maria. Vid. Maria.

Virtus in genere explicatur. T. 3. L. 6. p. 5. n. 7. Virtutis nomen cui proprie conveniat? Ib. Virtutis subjectum solum esse possunt potentiæ illæ, quæ aut ratio sunt, aut de rationis directione participant, & potentiæ istæ in homine quatuor sunt. n. 13.

Visus perficitur sine ulla naturali ob-

objecti, aut organi immutatione. Ib. n. 3.

Vitia intellectualibus virtutibus contraria explicantur. Ib. p. 6. Vitium in genere definitur. n. 1. Idem vitiorum, ac virtutum est subjectum. Ibid. Intellectui duo vitia opponuntur. n. 1., & 2. Vitium tanto est gravius, quanto majus repugnat oppositæ virtuti. Non autem semper quod est gravius, est turpius. Ib. p. 26. n. 2.

Vituperium idem, quod contumelia significat. Ib. p. 21. n. 4.

Unio Verbi ad humanitatem non est accidentalis. T. 4. L. 10. p. 14. n. 5. ad 7. Argumenta enodantur. n. 21. Ex unione duarum naturarum oritur communicatio idiomatum, seu proprietatum. n. 12. Unio hypostatica non pertinet ad spiritualem Sanctitatem humanitatis, sed causa est, & radix illius. Ib. p. 18. n. 6.

Voluntas est in Deo. T. 2. L. 1. p. 12. n. 1., & 2. Voluntas Dei, & ejus operatio non est aliquid a Divina Essentia distinctum. n. 4. Primarium, & adæquatum objectum Divinæ voluntatis est Divina Essentia. n. 5. Velle Divinum non nisi unum, & simplex est. n. 6. An sit in Deo voluntas eorum, quæ non sunt? n. 10. Ad alia extra se duplex a Theologis distinguitur Divina voluntas. n. 11. Unico voluntatis actu Deus vult omnia, quæcumque vult. n. 7. Deus, quamvis propter unum, & unico actu voluntatis omnia velit, est tamen in eo multitudo eorum, quæ vult. n. 8. Voluntas Divina non movetur ab appetibili in iis, quæ Deus extra se vult. n. 9. Voluntatis Divinæ quinque sunt signa, & explicantur. n. 12. Voluntas libera est in Deo. Ib. p. 13. n. 1. ad 10. Difficultates oppositæ evertuntur. n. 5. ad 10. Voluntas Dei est immutabilis, & hæc immutabilitas cum libertate non pugnat. n. 11. Voluntas in Christo. Vid. Christus. Voluntas libera est in homine. Vid. Libertas. Voluntas, seu appetitus intellectivus simplex potentia est. T. 3. L. 6. p. 5. n. 9. Voluntas dicitur & ipsa animi facultas, seu potentia volens, & ipse actus voluntatis. T. 4. L. 10. p. 15. n. 1.

Votum est promissio Deo facta de meliori bono. T. 3. L. 6. p. 15. n. 1. Ad votum tria sunt necessaria, deliberatio nimirum, propositum, & promissio. Ib. Septem rerum genera, circa quæ actus humani versantur, exponuntur, ex quorum explicatione multa dubia, quæ circa voti materiam excitantur a Theologis, facile dilui possunt. n. 2. Voti obligatio ultra voventis propositum, ac intentionem non extenditur. n. 3. Nemo vovere potest, nisi sui compos, suique juris sit. n. 4. Licet se voto obstringere ad aliquid in Dei obsequium faciendum, aut vitandum. n. 5., & 6. Quadrupliciter cessat votum. n. 7.

n. 7. ad 9. & n. 22. Recensentur justæ causæ voti rescindendi, & a quibus rescindi possit. n. 11. Jure novo quinque sunt vota Summo Pontifici reservata. Ibid. Votum aliud est simplex, solemne aliud. n. 12. Referuntur opiniones Theologorum circa voti solemnitatem. n. 12. ad 15. Tria votum solemne necessario constituunt. Ib. Sex conditiones ad voti solemnitatem requisitæ exponuntur. n. 16. An distinctio voti solemnis, & simplicis sit ex ipsa utriusque natura, an ex jure Canonico, & institutione Ecclesiæ? n. 17. An votum solemne possit ab homine dispensari? n. 18. ad 21. Votum solemne matrimonium dirimit. T. 6. L. 16. p. 13. n. 13.

Vox: voce Deum laudare ad Religionem spectat. T. 3. L. 6. p. 16. n. 1. ad 3.

Usucapio, & præscriptio pro eodem communiter accipiuntur, differunt tamen; nam usucapio proprie de rebus mobilibus, & corporeis, præscriptio autem etiam de immobilibus, & incorporeis dicitur. Ib. p. 11. n. 19. Eædem conditiones ad utramque requiruntur, de quibus breviter agitur. n. 19. ad 26. Vide Præscriptio.

Usufructuarius lege, aut conventione privata constituitur. T. 3. L. 6. p. 11. n. 2. Ad quid teneatur usufructuarius? Ib.

Usura est lucrum quodvis pecunia æstimabile quæsitum ex mutuo, qua tali. Ib. p. 22. n. 6. Usura jure divino, & Canonico prohibita est. Ib. atque etiam jure naturali. n. 7. Vid. Mutuans.

Usus est facultas utendi re, salva ejus substantia. Ib. p. 11. n. 6. Usus cum usufructu aliquando conjunctus est. Ib. Usus inseparabilis est a dominio in rebus, quæ primo usu consumuntur. n. 7. Brevis notitia de quæstione sæculo XIV. hac super re agitata. Ib.

Usufructus est jus utendi, fruendique re aliena salva ejus substantia. Ib. n. 2. Ususfructus per quæ finiatur? Ib.

Vulgatæ antiquioris author incertus est: T. 2. L. 3. p. 9. n. 1. Recentioris fere totius Hieronymus habetur. n. 2. Quæ vero habeat ex Hieronymo, quæ non? n. 2. ad 10. Vulgata Authentica est. Ib. p. 10. n. 1. Quo sensu Authentica dicatur? n. 2. Decretum Conc. Trident. Sess. 4. c. 3. non aufert recursus ad Hebraicos, & Græcos fontes. n. 3. Traduntur sex regulæ ad dignoscendum quando opus sit, quando non illos consulere. n. 4. Vulgata nostra plura menda habet. n. 5., & 6. Vulgatæ editionis Interpres non singulari Spiritus Sancti afflatu versionem suam perfecit. n. 7.

Ad. M. D. G.

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *Fr. Gio: Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Franciſci Xaverii Alegrii, & Inſtitutionum Theologicarum, &c. Tomus Septimus complectens: De Eccleſia Præceptis. De futuro Piorum & Impiorum ſtatu, &c. MS.* non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e Buoni Coſtumi, concediamo licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 4. Agoſto 1790.

(Andrea Querini Rif.
(Pietro Barbarigo Rif.
(

Regiſtrato in Libro a Carte 395. al Num. 3102.

Marcantonio Sanfermo Seg.

Adi 1790. 9. Agoſto.

Regiſtrato a Carte 158. tergo nel Magiſtrato degl'Illuſtriſſimi ed Eccellentiſſimi Signori Eſecutori contro la Beſtemmia.

Antonio Perazzo Seg.

ER-

ERRATA CORRIGE.

Pag.	num.	linea.	Errata		Corrige
3		2	Decimum septimus	leg.	Decimus Septimus
Ibid.		3	De Ecclesia præceptis	leg.	De Ecclesiæ præceptis
6	1	18	de Sancta Trinitatæ.	leg.	de Sancta Trinitate
31	12	24	S. Joannes	leg.	S. Joannis
59		16	Et solemne (in conent. hujus loci) Quod si cum Chrisostomo, e Oecunio velis.	leg.	Et solemne. Quod si cum Chrisostomo, & Oecumenio (in coment. huj. loci) velis,
62		21	& semper fiebat	leg.	& semper fiebant
63	4	1	Ecclesia	leg.	Ecclesiæ
92	4	7	Consuetudinis huic	leg.	Consuetudini huic
160		14	est imperfectum. Voluntas	leg.	est imperfectum: post habere (id est postquam finis habetur) perfectum. Voluntas.
161		4	sed effectiva	leg.	sed affectiva
168	11	2	Scis	leg.	His
169	13	17	Satisfacit	leg.	satisfacio,
187	7	3	pietatem illos	leg.	pietatem in illos
227	16	5	eo, quæ	leg.	eo qui
244 col. 1		39	homines, quibus	leg.	homines sine culpa oppressi. Ibid. Illicite sunt confederationes, quibus
252 col 2		36	men	leg.	nomen
263 col. 1		23	Dominicale	leg.	Dominicales

Digitized by Google

Digitized by Google